7 in 6 Lieferungen. Vollständig
Mark 600 Pränum. Ladenpreis
Mark –

Salomon Kleiner delineavit et sculpsit Vienæ Anno.

MONUMENTA
AUG. DOMUS AUSTRIACÆ
IN QUINQUE TOMOS DIVISA.

TOMUS PRIMUS
SIGILLA VETERA, & INSIGNIA
CUM ANTIQUA, TUM RECENTIORA
VARII GENERIS COMPLECTITUR,
QUIBUS USI SUNT
MARCHIONES, DUCES, ARCHIDUCESQUE
AUSTRIÆ,
NUNC PRIMUM
EX TABULARIIS, ALIISQUE IDONEIS LOCIS ERUTA,
TYPISQUE ÆNEIS EXPRESSA,
CUM AUCTARIO
DIPLOMATUM AUSTRIACORUM.
OPERA & STUDIO

P. R. P. MARQUARDI HERRGOTT,
Ord. S. Benedicti, Principalis Aſceterii ad S. Blasium in Nigra Sylva Capitul.
Reverendiſſimo ac Celſiſſimo S. R. I. Principi Abbati San-Blaſiano a Secretis
Conſiliis, Vices Gerentis, & Præpositi in Crozingen, nec non Sac. Cæſ. Reg.
Majeſtatis Consiliarii & Historiographi.

Carol. Freyh. ex Sternbach

CUM CONSENSU AULÆ CÆSAREÆ.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Prostant apud LEOPOLDUM JOANNEM KALIWODA,
Aulæ Imperialis Typographum.
ANNO MDCCL.

IMPERATRICI
REGINÆ
MARIÆ
THERESIÆ
AUSTRIACÆ,
D. CAROLI CÆS. AUG. F.
MAGNÆ MATRI,
PIISSIMÆ AC CLEMENTISSIMÆ
DOMINÆ NOSTRÆ AUGUSTÆ

VITAM, SALUTEM, GLORIAM,
PERPETUITATEM

MARQUARDUS HERRGOTT.



DOMINA AUGUSTA!

Ix Genealogiæ Diplomaticæ Auguſtæ Gentis TUÆ, SACRATISSIMA DOMINA IMPERATRIX & REGINA INDULGENTISSIMA, commentaria conſummaveram; quum DIVUS PARENS TUUS, im-

immortalis memoriæ, CAROLUS VI. Imp. Cæſ. Aug. magna animo meo hortamenta admovit, uti ad condendam totius Auſtriæ Hiſtoriam pleniorem me accingerem, &, quod mancum in ea eſſet, vel non curate elaboratum, id omni ope ſarcirem, & debita uſus adcuratione in litteras referrem. Obſtupui, cum Optimi CÆSARIS benigniſſimam hanc voluntatem audirem, & partim præclaram EJUS de me exiſtimationem, partim vero de Auſtria ſua dignam Summo Principe deſtinationem intelligerem. Neque potui aliter, & meæ mihi tenuitatis, & temporum, quæ vivimus, indolis probe gnarus. Ergo, ut tantæ molis laborem cum demiſſiſſima veneratione declinarem, reſpondi: nondum nos eam attigiſſe ætatem, quæ tanto, tamque arduo operi, cum fructu & optato ſucceſſu exſequendo, ſaltem quomodocumque ſufficeret. Sciſcitanti cauſſam obſequentiſſime repoſui: deficere nos hucdum tantæ ſubſtructioni rite fundandæ neceſſaria coementa, calcem & idoneam materiam aliam. Dum porro ſcire cuperet Sapientiſſimus CÆSAR, quorſum dicta hæc mea valerent, ſubmiſſe dedi reſponſum: monumenta me intelligere priſcæ ac genuinæ antiquitatis, ſine quibus in Hiſtoriæ ſtudio nihil ſolidi inchoari, nedum perfici poſſet. Exſpectanda itaque fuerit ætas, qua ea, quæ latent in obſcuro, ſuntque tenebris obruta, longioris ævi indefeſſa diligentia eruderet, cumque DEO & die tot eruditorum votis deſideratas Hiſtoriæ patriæ acceſſiones in apricum protrahat. His & iſtud addidi: LAMBECIUM, non incelebre ſub LEOPOLDO M.

Avo

Avo TUO nomen, aliquid ſpopondiſſe, quod magni in hanc rem momenti futurum a doctis exiſtimabatur: *Veterum* nempe *monumentorum, ad res Auſtriacas illuſtrandas unice adtinentium, congeſtam ex idoneis locis farraginem;* ſed eum quidem importuna morte ab ea deſtinatione deturbatum fuiſſe. Reliquum ergo eſſe, ut adhuc, ſi quid velimus præſtitum, ex ſacratioribus ſcriniis *Sigilla, Inſignia*, & quæ his ſunt conjuncta, expromamus; colligamus *Nummos, Imagines* & *Anaglypha* Principum, tamquam teſtes rerum præteritarum omni exceptione majores; excutiamus *Cryptas emortuales, Sepulcra, Cenotaphia;* denique diſperſas undique *Inſcriptiones* omnes (quantum fieri poteſt) in unum comportemus.

Ut hæc CÆSAR indulgentiſſimus ex me audivit (audivit autem pro ſuo in litteras meliores amore prorſus Auguſtali, & benigne, & adtente) facileque, uti erat in cognoſcendis rebus perſpicaci ingenio, pervidit, plerosque Principum & Ducum noſtrorum actus cum ſuis monumentis ita eſſe conjunctos, ut ſine his plena (ne dicam exaggeratius) eorum cognitio haberi nequeat. Quibus rebus inductus Auguſtus Parens TUUS extemplo conſilium cœpit, ut operoſam conquirendorum undequaque monumentorum provinciam hanc, multa uſus benignitate, mihi demandaret.

Quem ſane laborem, mei ipſius, ac rerum, quæ me circumſtant, conſcius, conceptis precibus fuiſſem deprecatus, niſi doctorum virorum exempla incitamento mihi fuiſſent, ut ab indulgentiſſimo Imperatore ſpartam ſerio delatam, poſt varios co-

gitationum conflictus, procurandam ſuſciperem. Quantum enim ipſa operis propoſiti materies ſplendore ſuo illiciebat animum, tantum rei gravitas, objectis quaſi Majeſtatis faſcibus, deterrebat, ne me tam arduæ, ac propemodum inexſuperabili deſtinationi irretiri ſinerem. At enim vero vicit tandem diviniſſima illa ac vere Auſtriaca clementia & benignitas, propriæ nimirum heroicis mentibus virtutes, ut ad negotium oppido laborioſum, ac non unius difficultatis, cum cura adminiſtrandum, Optimi CÆSARIS voluntate me accingerem.

Adhæſit poſtea, dignum CÆSARE Patreque Patriæ inſtitutum; quippe, morte Maximi Principis, quæ in annum MDCCXL. ad diem XX. Oct. inciderat, ſufflaminatum, dum moles omnis regendorum regnorum TIBI uni, AUGUSTISSIMA DOMINA, incumberet. Tunc enim muſæ meæ ex tumulo, in quem eas mors Divi Parentis TUI ſecum traxerat, in vitam quaſi revocatæ, novo velut ſpiritu animabantur, uti ad TE de toto eo negotio, cum ſe occaſio, difficillimis illis temporibus, daret, confidenter referrent. Huic ergo tamdiu imminebam avidus, dum abs TE, INDULGENTISSIMA REGINA, benigniſſime ad audientiam admiſſus, litterarum hoc placitum Parentis Optimi, ad Majeſtatem gentis Auſtriacæ præcipue adtinens, TIBI uberiori ſermone exponerem. Adhuc inuſitatam illam non benignitatem modo, ſed & ſapientiam TUAM, quoties rei ejus venit in mentem recordari, miror; quando, audito, quid in hoc genere Optimus Parens TUUS decreverit, nec rogatis

tis arbitrorum ſententiis, negotium omne adprobaſti non tantum, ſed hac in re genitoris exemplum mox ſecuta, regium ad modum, datis quaquaverſum mandatis providiſti, ut per univerſas Auſtriacas provincias, quæ adeundæ fuerant, reſerarentur mihi per ſingulorum locorum magiſtratus *archiva*, adaperirentur emortuales *cryptæ* ac *tumuli*, liberque mihi fieret acceſſus ad Auguſtæ gentis TUÆ *pinacothecas*, *gazophylacia*, & *thecas numismaticas*, permittereturque eorum, quæ propoſito meo opportuna fore putarem, lineamenta, & factas manu artificis adumbrationes deſignari facere, mecumque deferre. Fructuoſa hæc TUÆ MAJESTATIS indulgentia fuit tantopere; ut præter ſpem fere meam, haud minorem ex provinciis TUIS omnis generis monumentorum collegerim adparatum, quam eum per exteras provincias potueram conquirere; neque tamen intermiſi, reliqua, quæ adhuc deſiderari poſſe videbantur, ſumptu licet laboreque haud exiguo, undequaque comparare.

Congeriem demum materiarum omnem in quinque Tomos diſpertitus ſum conſulto. Agmen in his ducunt *Sigilla* & *Inſignia*. Succedent *Nummi*. Poſt quos *Pinacotheca* Principum Auſtriæ adperietur. Hanc excipient *Monumenta funebria*, denique varii generis *Inſcriptiones*. Quæ cum omnia, tum ſingula (ut quidem confido) nova quodammodo adfuſa luce res Auſtriacas illuſtrabunt, & quod in toto hoc inſtituto haud poſtremum eſt, PRINCIPIBUS JUVENTUTIS, Sereniſſimis FILIIS TUIS Archi-Ducibus, ſtimulos poterunt indere, ut ex

his MAJORUM SUORUM clariſſimis monumentis auctoramenta capiant, ad heroicos eorum actus cum imitandos, tum etiam æmulandos.

Cum igitur voluntate DIVI PATRIS TUI, TUISque auſpiciis, quemadmodum id expoſui, excitus, *primam* hujus operis *Partem* jam exegi, ad reliquas vero conficiendas, tantum adparatus collegi, ut ſubinde lucem quoque publicam (ſi faveant Superi) queant adſpicere; patere, DOMINA INDULGENTISSIMA, ut eam MAJESTATI TUÆ, demiſſiſſimi obſequii mei ſignificandi cauſſa, nuncupem conſecremque; quippe quam & animo ac verbis profiteor, & ipſo hoc opere, quod non tam meo, quam totius devotiſſimæ TIBI *Congregationis San-Blaſianæ* nomine, cernuus offero, etiam atque etiam teſtificor, precorque, ut noſtrum S. Blaſii ſodalitium favore & gratiis TUIS porro proſequi haud dedigneris.

Dabam Vindobonæ III. Non. Febr.
MDCCL.

LECTO-

LECTORI.

QUod bono Auguſtæ Domus Auſtriacæ auſpicio eveniat! Marchionum, Ducum, Archi-Ducumque Auſtriæ, per varia tempora, locaque ac homines diverſos, ſparſa retruſæ antiquitatis monumenta, in unum, quantum ejus fieri poteſt, cum cura colligere, eaque tum cognoſcenda penitus, tum ſpectanda adtentius præbere illuſtrareque pro virili adgredior. In quo tamen opere tractando non eſt propoſiti mei ratio, ſeu faſtos Auſtriacos, ſeu Marchionum Ducumve vitas denuo retexere, ſeu eorum ſeriem litteris conſignare; ſed ut oculis ſpectanda proponeremus, quæ à priſcis Auſtriæ Principibus in hoc genere prodita, ad ætatem usque noſtram perdurarunt, ſuperaruntque, magno Hiſtoriæ patriæ commodo atque incremento, illæſa intemerataque; ut hinc condiſceremus quidpiam ante vel incognitum prorſus, vel non ſatis idonee propalatum. Id vero inſtitutum meum eſt, ac deſtinatio, quam data opera proſequi, & liquida luce colluſtrare, firma ſtat animi mei ſententia.

Hiſtoria fons eſt & origo, unde monumentorum veritas eruderatur; ubi enim monumentorum reliquiæ ad retro acta tempora referuntur, atque cum his ſollicite atque ſcrupuloſius contenduntur, veritas, quæ vel latuit hucusque, vel in dubio erat poſita, evidenter pateſcit. Mota quidem fuit a Criticis longioris ſubſellii quæſtio: utrum in re dubia, pro Hiſtoria, an pro veteri ac genuino monumento ſtandum ſit? Potior tamen pars Scriptorum favit Hiſtoriæ: Contra Viri Clariſſimi *Johannes Harduinus* & *Johannes Vaillantius*, multique alii cum ratione contendunt: plurima in Hiſtoria manca ſupereſſe, quæ nusquam aliunde, quam ex monumentis redintegrari poterunt: ita nempe laxatas Chronologiæ rationes ex nummis reſtitui, & Hiſtoriæ circumſtantias alias ad antiquiorum monumentorum fidem exigi oportere. Equidem, ſi in re momentoſa libere, quid ſentiam, auſim exprimere, vera ac genuina monumenta, cum alibi, tum in Hiſtoria potiſſimum medii ævi, de qua nobis cumprimis ſermo eſt, Scriptorum recentiorum contraria ſentientium fidem & auctoritatem diminuere, atque efficaciſſime omnium labefactare, haud vane adſeruerim. Id ſi ad Hiſtoriam Auſtriacam accommodare velimus, in qua multæ paſſim lacunæ ſuperant, hiatus item multi, facile conſenſeris; quum illi quidem ob coævorum aut ſupparium Scriptorum defectum nequeant commode expleri, non modo operæ pretium, ſed etiam neceſſarium eſſe, ab antiquis monumentis id mutuari oportere; quo ad idonea Hiſtoriæ ſupplementa nobis opus eſt.

Quocirca ita pridem exiſtimavi, majorem undequaque monumentorum Auſtriacorum ſupellectilem congerendam eſſe, ut inde erronea recentiorum placita refelli, defectus coætaneorum penſari, eademque opera plenior redundantiorque ad texendam aliquando, multo, quam nunc eſt, numeris ſuis abſolutiorem Hiſtoriam patriæ adparatus ſuppeditari queat. Ecquis

enim eſt inter doctos, quem lateat, quod antiquorum monumentorum ope multa retegantur, quæ longa retro annorum ſerie in obſcuro ſunt poſita; plurima conſolidentur, quæ vel fide vacillabant, vel prorſus fuerunt dubia? Monumenta certe ſunt, quæ rebus vetuſtis novitatem, novis auctoritatem, lucem arcanis, ſuſpectis integritatem ſine omnis corruptelæ ſuſpicione adtribuunt.

Fatemur quidem, nec inviti, Scriptores varios, partes Hiſtoriæ Auſtriacæ varias, alios aliis adcuratius exaggeratiusque elucubraſſe, quorum hic nomina nihil adtinet recenſere; ſed, qui deſtinata opera ad antiqua veterum Auſtriæ Principum monumenta, quorum eximius eſt in Hiſtoria Auſtriaca uſus, cum cura colligenda animum adjeciſſet, novimus neminem. Mihi ergo deſertam hanc, neque ab aliquo tentatam provinciam, non modo ex reliquorum collatione Scriptorum, ſed etiam ex clementiſſima, dum viveret, æterna memoria digniſſimi Principis CAROLI VI. Imp. Cæſ. Auguſti voluntate, demandatam plane condidici. Quamobrem totus a XII. jam annis in eam curam incubui, ut non tantum ex provinciis Auſtriacis, quas maximam partem egomet peragravi, ſed etiam ex cæteris *Germaniæ* regionibus, tum ex *Hungaria*, *Bohemia*, *Hiſpania*, *Italia*, *Belgio* atque *Helvetia*, quæcunque comparari poterant memoriæ digna Principum Auſtriæ monumenta, non vulgari ſane ſumptu ac ſedulitate conquirerem. Quo usque vero hac in re profecerim, loquentur *Scuta*, *Inſignia*, *Numismata*, ac *Nummi* & *Monetæ*, *Imagines*, *Statuæ*, *Anaglypha*, *Cryptæ emortuales*, *Mauſolea*, *Cenotaphia*, *Urnæ*, *Inſcriptiones*, aliaque id genus, antea vel non viſa, vel neglecta, aut non ſatis intellecta, ſacræ potiſſimum vetuſtatis monumenta, quæ hoc opere, Bono cum DEO, expromemus.

Quoniam vero circa *Sigilla* & *Inſignia* multa ultra modum occurrunt, quæ adcurate exquiri, propterque ſententiarum, quæ ſunt apud Auctores, divortia, ad regulas critices ſedulo revocari oportet, priusquam ad aliud monumentorum genus procedatur; idcirco primum præcipuumque ſibi locum, diſtinctamque operam & perſpicuitatis lumen depoſcit *Sigillorum* atque *Inſignium* Auſtriacorum tractatio. Colliges hinc, L. B. quam operoſe, quaque ratione finis ille, quem mihi in ordine ad illuſtrandas res Auſtriacas propoſui, ex hac monumentorum collectione enaſci & poſſit, &, ut bene ſperare jubeor, debeat.

Sigilla autem & *Inſignia* magnorum Principum, tam prolixi, non in rebus tantum genealogicis, ſed in univerſo etiam hiſtoriarum circuitu, ſunt uſus, ut inde, velut ex divite auraria quadam, inexhauſtæ opes hauriri queant. At enim & de temporibus & de legitima antiquitate maxime nos hac in re oportet eſſe ſollicitos, diligenterque indagare, quas expreſſa in Sigillis ſymbola antiquis & recentioribus temporibus formas habuerint? Neque facile fides habenda traditionibus illis, quas olim obſcuriorum temporum credulitas generavit; quippe quæ nubem ſæpius pro Junone amplexa eſt. Conſtat præterea apud omnes: Sigilla ſeu ſymbola ea, in cera, interdum auro aut plumbo expreſſa, & diplomatibus vel infixa, vel adnexa,

ad-

adpenſave, non modo imaginibus Principum, inſcriptionibus, aliisque additamentis prædita eſſe; ſed præter alia bene multa, eaque notatu maximopere digna, ſæpiſſime *Inſignia* quoque gentilitia complecti ac repræſentare.

Inſignium porro Auſtriacorum in Sigillis occurrentium explicatio latiſſime porrigitur, eſtque utilitatis exuberantiſſimæ. Primo enim conſtare debet, qualibus olim ac priſcis illis temporibus uſi ſint Sigillis Auſtriæ Principes? Deinde quæſtio movenda & diſputanda de ſymbolo, quod in veteri Auſtriæ ſcuto primum omnium fuerit; quando, & a quo pro *Inſignibus* recepta inductaque *Faſcia hodierna*; quæ deinde acceſſerint ſigna alia; quemadmodum a quibusdam Archi-Ducibus peculiaria reliquis provinciis hæreditariis ſuperaddita fuerint? Hic præterea conſideranda ſe offerunt *veſtes* ac *ornamenta* Ducum, *pilei* & *diademata*, *gladii*, *vexilla*, *baculus* ſeu *ſceptrum*, *globus*, *claves*, aliaque ſigna, quæ in Solemnibus homagii Archi-Ducibus præferri ſolent, & quorum pars major in ſigillis paſſim conſpicitur. Quas res omnes, ſi forte quis uno faſce complecti vellet, næ ille mihi aut ſingula leviter ac deſultorie adtemeraret; aut, quod plenum eſt tædii, verboſa & faſtidii plena oratione exaggerare cogeretur. Quare optimum expeditiſſimumque factu, conſulto judicavi, de ſingulis his, & multum momenti ſecum trahentibus rebus, ſeorſim, & per ſejunctas partes pro re nata commentari.

Præſens volumen, quod in octo tantummodo *Diſſertationes* diſpertivimus, in primis & generatim *Sigilla* exponet, & tamquam circa factum hiſtoricum occupabitur. Unde firma ducemus argumenta, quæ poſtea de *Scutis* Auſtriæ *veteri* & *recentiori* ſuperſtrui poterunt. Quo igitur operoſæ huic tractationi eo liquidiorem adfundamus lucem, ex archivis vetuſtiſſima Sigilla Marchionum & Ducum Auſtriæ ſtirpis *Babenbergicæ* expromemus, mutationesque præcipuas in *teſſeris* & *ſymbolis* gentilitiis ſenſim ſenſimque factas curate adnotabimus; Sigilla demum Ducum & Archi-Ducum ex Auguſta gente *Habsburgica*, quemadmodum aliquot retro ſæculis conſtituta fuerant, eadem adcuratione adjecturi. Neque tamen in toto hoc de *Sigillis commentario* ſolliciti ſumus, præterquam de *Sigillis* præcipue *Equeſtribus*, & quæ vocant *Sigilla Auctoritatis*, noſtrorum Principum; idque eo cum delectu, ut antiquiora modo & rariora ſeligamus. Hac de cauſſa præcedenti Dedicatoriæ ſimulacrum AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS NOSTRÆ, tamquam fuiſſet cera expreſſum, inter alia gentis Auſtriacæ monumenta æri inaratum excuſumque præfigi curavi; quoniam id priſcis temporibus uſitatius fuit, ut non niſi ſummo loco natis, rerumque potientibus Principibus ac Comitibus *Equeſtris Sigilli* uſus concederetur; ut eſſet ſolemne ſignum *Auctoritatis*. Quin inter Auſtriæ Principes familiare id quondam fuit, ut ſolus primo loco natus, & qui ad clavum hæreditariarum provinciarum peculiari ſibi jure ſedebat, in Sigillis *Equitem* ſe repræſentaret. Longius vero ab inſtituto digrederer, laboremque mihi conſciſcerem propemodum inexſuperabilem, ſi omnia Sigilla Auſtriacorum, etiam *Regia* & *Imperatoria*, quibus uſi ſunt Auguſti, gente Auſtriaca ſati, quæque obvia ſunt paſſim, vellem conſectari, atque in eodem iſto cenſu referre.

Hinc

LECTORI.

Hinc demum cætera Auſtriacorum Principum *Inſignia* ſuccedent. Sed, ne in ipſo limine tractationis hujus prolixior ſim, quam par eſt, conſpectum totius operis Præfactioni huic ſubjungam; ut conſtet Eruditis Lectoribus, quid mediter, quidque, DEO propitio vires mihi ac otium largiente, publici juris facere deſtinato conſilio inſtituerim. Tunc & Elenchum dabo octo earum Diſſertationum, & Auctarii Diplomatum Auſtriacorum, quæ omnia primo hoc Volumine continentur. Quod eo pertinebit, ut Lector Benevolus totius inſtituti rationem in tabella quaſi, atque nucleo, ſibi ob oculos poſitam habeat.

Supereſt, ut obiter quaſi oſtendam, quæ ex hac mea de *Sigillis* ac *Inſignibus* lucubratione, Hiſtoriæ patriæ, ſicuti confido, acceſſiones ſint proditurae: quod & breviter exſequar, & ita temperate, ut ne habeant Ariſtarchi, quod adrodant, tamquam ab jactantia profectum. Ea nimirum, quæ deſiderantur & quæ fruſtra apud Scriptores Auſtriacos quæras, videre Tibi, Lector Benevole, licebit in rarioribus atque pretioſis monumentis, imagines videlicet priſcorum Marchionum ac Ducum cera expreſſas, quarum pars maxima in tabulariis hucusque delituit, ex authenticis inſtrumentis multo labore ſumptuque collectas. Ex iisdem autem ceris manifeſtum fit, veteres *Babenbergicæ* ſtirpis Marchiones ac Duces, ad exceſſum usque LEOPOLDI *Glorioſi*, ſimplicis Aquilæ figuram in ſcuto tuliſſe. Unde condocemur, vulgatam illam opinationem, qua tradebatur, veteri Auſtriacorum ſcuto *quinque Alaudas* repræſentatas fuiſſe, alienam a vero eſſe. Origines porro ſcuti hodierni, ſeu *faſciæ Auſtriacæ*, fruſtra ac præter, immo contra monumentorum fidem, LEOPOLDO *Virtuoſo* in acceptis referri, oſtenditur; quippe quæ FRIDERICUM *Bellicoſum* auctorem habuit.

Adduntur demum vera ac potiora Inſignia ex monumentis *Tirolenſibus*, oſtenditurque, quemadmodum ſervato temporis ordine ſymbola ac teſſeræ plurium regnorum ac provinciarum ad clypeum Auſtriacum acceſſerint; quibus titulis & Inſignibus uſi ſint Archi-Duces, qui *Belgium* regnaque *Hiſpanica* moderabantur; qualia eorum ſymbola & lemmata; quem denique morem tenuerint *Ordinis Sacri* Archi-Duces, & quæ ſymbola Ordinum Equeſtrium vel ab iis inſtituta, vel aliunde adſumpta ſint.

Ultimum fuerit, ut ſchemata Tibi L. B. *veſtium Ducalium*, aliorumque huc adtinentium ornamentorum, *gladii* nempe, *vexilli*, *baculi* ſeu *ſceptri*, ac reliquorum Auſtriæ Inſignium, non edita hactenus, plane ſpectanda exhibeamus. Cæteroquin, quid contra inſuetam hanc in Auſtria methodum ſcribendi, rationemque exhibendi Principum monumenta, dicturi ſint æmuli, ne tantillum quidem ſatago; modo fructum ea pariant, quem unice cupio: litterarum ſtudiis, rebusque Auſtriacis lucem adfundant liquidiorem multo, quam id forſitan hariolantur conatuum noſtrorum invidi exiſtimatores; & cumprimis, ut

IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

CON-

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS DE MONUMENTIS AUGUSTÆ DOMUS AUSTRIACÆ.

TOMUS I.

COmplectitur Sigilla & Insignia cum auctario Diplomatum, uti præfixus huic Tomo titulus te edocet. Elenchum vero contentarum in eo Dissertationum VIII. proxima post conspectum pagina enodate subministrabit.

TOMUS II.

NUmmothecam Principum Austriæ aperiet, qua continentur numismata mnemonica atque historica, quæ vel horum jussu, vel eorum gratia ab aliis in lucem prodierunt; nummi item omnis generis & moduli, nec non monetæ; singula æneis ex tabulis expressa.

TOMUS III.

PInacotheca est, in qua Marchionum, Ducum, Archi-Ducumque Austriæ utriusque sexus effigies, simulacra, statuæ, anaglypha, cæteraque cælata, sculpta, pictave Austriacorum monumenta, tabulis æneis incisa, referentur, adjecta singulorum descriptione.

TOMUS IV.

COntinet monumenta sepulcralia Augustæ gentis Austriacæ, Dissertationibus VII. exposita, & tabulis æneis illustrata.

I. Agit de vetustate funerum, exequiisque Principum Austriæ.
II. De tempore emortuali, locisque sepulcralibus.
III. De sepulcris & tumulis.
IV. De sepulcretis ac cryptis.
V. De urnis extorum & cordium.
VI. De Mausoleis.
VII. De cenotaphiis.

TOMUS V.

INscriptiones Augustæ Domus Austriacæ, ex templis, foris, palatiis, sepulcris, cryptis, signis æneis, saxeis, aliisque monumentis, nec non Scriptoribus fide dignis, ubivis fere gentium collectas exhibebit. Quibus accedit codex epistolaris RUDOLPHI I. Rom. Regis, ab Eruditis tantopere hactenus expetitus.

ELENCHUS
OCTO DISSERTATIONUM
DE
SIGILLIS & INSIGNIBUS
PRINCIPUM AUSTRIÆ,
NEC NON
AUCTARII DIPLOMATUM AUSTRIACORUM,
QUÆ HOC TOMO I. CONTINENTUR.

DISSERTATIO PRIMA,
HISTORICO-CRITICA.
De Sigillis Marchionum, Ducum, & veterum Archi-Ducum Auſtriæ, ab ERNESTO I. *Strenuo* lineæ Babenbergenſis, ad MAXIMILIANUM I. Imperatoris FRIDERICI *Pacifici* filium usque, ex gente Habsburgo-Auſtriaca.

§. I.

QUo *tempore cœptum ſit, tabulas Marchionum Auſtriæ Sigillis teſtari?*

II. *Antiquiſſimum Principum Auſtriacorum Sigillum expenditur.*

III. *Sigillum* LEOPOLDI Pii, *ſeu* Sancti *figuram* Aquilæ *refert;*

IV. *Quam reliqua filiorum nepotumque ejus Sigilla, in ſcutis conſtanter exhibent; idque ad finem usque ſæculi XII. quo demum* Aquila *etiam in vexillis adparuit.*

V. *Sæculo XIII. ineunte, Sigilla Ducum Auſtriæ rurſus mutata.*

VI. *Tertia Sigilli Auſtriaci mutatio* LEOPOLDUM Glorioſum *auctorem habet.*

VII. *Quarta mutatio ſcuti Auſtriaci adſumptione Faſciæ hodiernæ a* FRIDERICO Bellicoſo *facta.*

VIII. *Qua ratione Faſcia hæc in ſcuto Auſtriaco ſit propagata per feminas?*

IX. *Conſervata ab* OTTOCARO *Bohemiæ Rege.*

X. *Retenta item ab Auſtriacis, imperante* RUDOLPHO I. *Rom. Rege.*

XI. *Demum ab* ALBERTO I. RUDOLPHI *filio in Sigillis auctoritatis reſtituta, atque ad ſeros Auguſtæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ nepotes transmiſſa.*

XII. *Ectypa Sigillorum a filiis* ALBERTI I. *Imp. uſitatorum.*

XIII. RUDOLPHUS IV. ALBERTI II. *filius Sigilla diverſæ formæ adhibuit, illaque auxit aliarum provinciarum teſſeris.*

XIV. *Idem fuit auctor novi ſymboli, ſcuto Auſtriæ adjecti.*

XV. *Ejusdem Sigillum ſcuto,* quinque volucres *referente, auctum.*

XVI. *Cauſſa numeri quinarii volucrum.*

XVII. *Schemata Sigillorum, quibus* LEOPOLDUS III. Probus, RUDOLPHI IV. *frater, uſus eſt.*

XVIII. *Si-*

ELENCHUS.

XVIII. *Sigilla* ALBERTI III. *dicti* cum Trica.

XIX. ALBERTI IV. & WILHELMI Ambitiosi, *nec non* ERNESTI Ferrei *Sigilla.*

XX. *Observationes singulares circa Sigilla* ALBERTI IV.

XXI. *Sigilla* ALBERTI V. *ejusque filii* LADISLAI Posthumi.

XXII. FRIDERICI Placidi *Sigilla, & Bulla aurea ex persona Regis Romanorum, & Cæsaris; nec non ejusdem Sigillum* Ducale majus.

XXIII. ALBERTI VI. *Archi-Ducis Sigillum.*

XXIV. MAXIMILIANI I. *ejusque posterorum Sigilla.*

XXV. *Colores cereorum, uti & ligaminum in Sigillis Principum Austriæ diversi sunt generis.*

XXVI. *Conclusio & transitio ad sequentia.*

DISSERTATIO SECUNDA.

De Scuto veteri Principum Austriæ.

§. I.

O*Pinatio communis de quinque* Alaudis *in veteri Scuto Austriaco,*

II. *Adducitur in dubitationem.*

III. *Sententia nostra, quæ* Aquilam unam *pro insignibus Marchionum, & primorum Austriæ Ducum constituit.*

IV. *Probationes disponuntur.*

V. *Insignia, quæ* a legione Romana *deduci solent, primis Austriæ Principibus, ex sanguine Babenbergensi oriundis, tribui haud possunt.*

VI. *Provinciam Austriæ olim* quinque Alaudas, *insignium loco, celebrasse, præter fidem postulatur.*

VII. *Instauratur argumentum.*

VIII. *Nec juvat, quod Duces Austriæ Insignia Ducatus* Styriæ *adsciverint.*

IX. *Dicere vero: a Ducibus Austriæ aliis in monumentis extra clypeum,* quinque Alaudas *frequentatas esse, vanum est effugium;*

X. *Insignia namque Austriaca, horumque figura & usus ex Sigillis Marchionum, & Ducum Babenbergensium legitime eruuntur;*

XI. *Quæ antiquis temporibus imaginem non nisi simplicis avis, alas pandentis, referebant.*

XII. *Avem hanc dicimus* simplicem *fuisse* Aquilam.

XIII. *Idque firmatur sigillo civitatis Wiennensis.*

XIV. Aquilæ *figura deinceps in scuto Austriæ multiplicata; ejusque rei causa.*

XV. *In* RUDOLPHI IV. *Ducis Austriæ scuto,* quinque avibus *conspicuo, forma* Alaudarum *perperam adseritur.*

XVI. *Adversariorum objectionibus occurritur.*

XVII. *Respondetur ad aliud adversariorum argumentum:*

XVIII. *Et ostenditur, sæculo etiam tum XV. in scuto Austriæ figuras* Aquilarum *esse conservatas.*

XIX. *Quamquam eodem sæculo XV. multa de originibus Insignium Austriacorum excogitata sint falsa & inepta.*

XX. *Falsum quoque est,* S. LEOPOLDUM *vestibus indutum fuisse, figuris* Alaudarum *intertextis.*

XXI. *Osten-*

XXI. *Oſtenditur demum, qua ratione* quinque Alaudæ, vetus Inſigne Auſtriæ *nuncupentur.*

XXII. *Quinque porro volucrum in ſcuto Auſtriaco collocatio, & ordo haud unus.*

XXIII. *Corollaria.*

DISSERTATIO TERTIA.

De Faſcia Auſtriaca, ſeu de ſcuti hodierni origine.

§. I.

Dicenda.

II. *Communis opinio de origine* Faſciæ Auſtriacæ,

III. *Veterum Scriptorum auctoritate ſuffulta non eſt;*

IV. *Sed tantum fide recentiorum auctorum nititur.*

V. *Quare hæc refellitur:*

VI. *Primo ob ſilentium Scriptorum veterum.*

VII. *Secundo ob diſſenſum & variationem recentiorum.*

VIII. *Tertio quia monumentorum fides, utpote ſcriptorum teſtimoniis major, iis contraria eſt.*

IX. *Quin origo* Faſciæ Auſtriacæ *ex bello ſacro peti haud poteſt.*

X. *Ejus vero uſus a* LEOPOLDIS, *Auſtriæ Ducibus, penitus neglectus.*

XI. FRIDERICUS Bellicoſus *auctor* Faſciæ hodiernæ *conſtituitur.*

XII. *Idipſum adſeritur teſtimonio* ENNENCKELII *ſynchroni Scriptoris, & fide aliorum auctorum.*

XIII. ENNENCKELII *locus magis illuſtratur;*

XIV. *Resque monumentis antiquitatis firmatur.*

XV. *Cauſſa factæ hujus a* FRIDERICO *Duce mutationis in ſcuto Auſtriaco,*

XVI. *Factio erat Miniſterialium contra Ducem Wiennæ oborta, civibus vetera Auſtriæ Inſignia retinentibus.*

XVII. *Quid de monumento Vindobonenſi, Auſtriæ inſignia referente, ſentiendum ſit?*

XVIII. *Occaſio, qua in ſcutum Auſtriæ colores pro ſymbolo inducti,*

XIX. *Ducum ſunt veſtimenta ex cocco, baltheoque albo, ſubductis pellibus pretioſis.*

XX. *Hinc* area rubra *cum* Faſcia alba *in clypeum Ducis, & ex hoc colores in militum ſaga manarunt.*

XXI. *Concidunt itaque cæteræ contrarium ſentientium opiniones.*

XXII. *Faſcia vero Auſtriaca loco* Inſignium recentiorum *merito habetur.*

XXIII. *Horum præſtantia præ cæteris commendatur.*

XXIV. *Eorum uſus.*

DISSERTATIO QUARTA.

Acceſſiones ad Inſignia Auſtriaca ſervato temporis ordine percenſentur.

§. I.

Inſtitutum.

II. *Monumentum Oenipontanum, quod vulgo a* tecto aureo *nomen habet, ſcutis XI. Auſtriacis conſpicuum eſt.*

III. *Referuntur imagines pictæ in monumento, cum reliquis ſcutis.*

IV. *Turris Oenipontana, inſignibus ornata, graphice deſcribitur, cum notis chronologicis.*

V. *In-*

V. *Insignia enumerantur.*

VI. *Observatio singularis circa scutum* Lothrych, *seu* Lotharingiæ inferioris.

VII. *Quot symbola, Austriæ insignibus accesserint?*

VIII. *Tempore Marchionum, & Ducum familiæ Babenbergensis,* simplex Aquila *vetustissimum Austriæ insigne; quod accedente Ducatu* Bavariæ, *& regione* supra Anasum, *Austriacis cessa, fuit conservatum.*

IX. *Eidem tandem etiam insignia principatus Austriæ* supra Anasum *adnexa;*

X. *Uti & Ducatus* Styriæ.

Tum mutatum Austriæ scutum in Fasciam hodiernam *a Duce* FRIDERICO;

Ab eodem addita Austriæ Carniola.

XI. *Ab* OTTOCARO *Rege Bohemiæ ducatus* Carinthiæ *comparatus.*

XII. *Epocha Ducum Austriæ ex Augusta gente Habsburgica.*

XIII. *Insignia* Vinidorum Marchiæ.

Portus Naonis.

Leo Habsburgicus.

Insignia Kyburgensia.

Landgraviatus Alsatiæ.

Comitatus Hohenbergensis.

Ducatus Sueviæ.

XIV. *Comitatus* Pherretanus.

Marggraviatus Burgoviæ.

XV. *Ducatus* Carinthiæ.

Comitatus Tyrolensis.

Quinque volucres in scutum *Austriæ, quod vocant* vetus *adsumptæ.*

XVI. *Ducatus* Burgundiæ *insignia.*

Brabantiæ.

Marchionatus Antverpiæ.

Luxemburgi, *seu* Luzelburgi.

Flandriæ.

Salinarum.

XVII. Goritiæ.

Comitatus Cilejensis.

XVIII. *Regnorum* Hispaniæ.

Castiliæ, *seu* Castellæ.

Legionis.

Arragoniæ.

Utriusque Siciliæ.

Portugalliæ, *seu* Lusitaniæ.

Granatæ.

XIX. *A* CAROLO VI. *Imp. plurium regnorum Insignia in scutum Austriacum illata:*

Neapolis,

Indiarum,

Hierosolymorum,

Navarræ,

& Cataloniæ.

XX. *Insignia Ducatus* Wirtembergensis.

Mediolanensis,

& Lombardiæ.

XXI. *Regni* Hungariæ.

XXII. Dalmatiæ.

Croatiæ.

Slavoniæ.

Bosniæ.

Serviæ.

Bulgariæ.

Galliciæ.

Lodomeriæ.

Cumaniæ.

XXIII. Bohemiæ.

Moraviæ.

Silesiæ.

Lusatiæ.

Transylvaniæ.

XXIV. *In-*

XXIV. *Insignia* Lotharingiæ.
Hetruriæ.
Barri.
XXV. *Descriptio Insignium* Nellenburgensium.
XXVI. *Comitatus* Veldkirchii.
XXVII. *Summarium reliquarum imaginum in scuto Austriaco.*
XXVIII. *Scutum Austriæ hodiernum.*
XXIX. *Rationes, cur quædam insignia raro in monumentis Austriacis occurrant.*
XXX. *Notantur insignia nonnumquam in monumentis perperam exarata;*
XXXI. *Quin & falsa atque conficta.*

DISSERTATIO QUINTA.

Tituli & Insignia Archi-Ducum Austriæ, qui Belgium regnaque Hispaniarum moderabantur, fecialium verbis enuntiata. Accedunt eorum symbola heroica & lemmata epigraphica.

§. I.
Causa & partitio dicendorum.
II. *Notitia generalis de usu titulorum & insignium Belgii & Hispaniarum in chartis ac diplomatibus Austriacis.*
III. *Tituli, & insignia, ab Austriacis ex Belgii provinciis adsumpta.*
IV. *Secretio eorundem.*
V. *Tituli Ducis* Lotharingiæ, & Comitis Palatini.
Insignia Limburgensia.
VI. *Scutum* Geldriæ.
VII. Artesiæ.
Burgundiæ Comitatus.
VIII. Hannoniæ.
Hollandiæ.
IX. Zelandiæ.
Namurci.
Zutphaniæ.
X. Frisiæ.
Mechliniæ.
Ultrajecti.
XI. *Tituli* Hispano-Austriaci.
XII. *Separatio illorum.*
XIII. Tituli *sine Insignibus adhibiti.*
XIV. Tituli *cum* Insignibus.
XV. Caroli V. *Hispaniarum Infantis scutum.*
XVI. Caroli VI. *Imp. & Regis Hisp. insignia.*
XVII. *Insignia* Maximiliani I.
XVIII. *Ejusque uxoris* Mariæ Burgundicæ.
XIX. Philippi I. *Regis Castellæ, cognomento* Pulchri.
XX. Caroli V.
XXI. Philippi II. *Regis Hispan.* & Philippi III. *ejus filii.*
XXII. Alberti *Archi-Ducis Austriæ.*
item Isabellæ Claræ Eugeniæ, Alberti *Archi-Ducis viduæ.*
XXIII. Philippi IV. *Reg. Hisp.* & Caroli II. *ejusdem filii.*
XXIV. *Scutum* Margaretæ *Austriacæ, Ducis* Sabaudiæ.
item Mariæ *Austriacæ, Regis Hung. & Bohem. viduæ;*
nec non Margaretæ *filiæ* Caroli V. *ux. Ducis* Parmensis.
XXV. *Insignia* Joannis *Austriaci,* Caroli V. *filii.*

XXVI. ERNESTI *Archi-Duc. Auſtriæ.*
XXVII. *item* ANDREÆ ab Auſtria, & FERDINANDI *Inf. Hiſp. Cardinalium;* *nec non* LEOPOLDI GUILIELMI *Arch. Auſt. Epiſc.*
XXVIII. JOANNIS ab Auſtria, PHILIPPI *filii.*

DISSERTATIO SEXTA.

Inſignia Principum Auſtriæ Ordinis Eccleſiaſtici. Accedunt Inſignia Ordinum Equeſtrium, quos Auſtriaci Principes vel inſtituerunt, vel adſumptis illorum ſignis decorarunt, vel ab aliis inſtitutos ejusmodi Ordines ſua auctoritate comprobarunt.

§. I.

DE titulis & inſignibus Principum Auſtriæ Ordinis Eccleſiaſtici in genere.
II. *Principes Ordinis Eccleſiaſtici ex gente Babenbergica oriundi.*
III. POPPO *Archi-Epiſc. Trevirenſis.*
IV. CONRADUS *Archi-Epiſc. Salisburgenſis,* & OTTO *Epiſc. Friſingenſis.*
V. *Viri, ſacrum ordinem profeſſi, ex familia* HABSBURGO-AUSTRIACA.
VI. GEORGIUS ab Auſtria *S. R. E. Cardinalis.*
VII. ANDREAS ab Auſtria *Cardinalis.*
VIII. MAXIMILIANUS *Ord. Teutonici Magiſter.*
IX. ALBERTUS *Archi-Dux S. R. E. Cardinalis.*
X. LEOPOLDUS *Archid. Epiſcopus.*
XI. CAROLUS Poſthumus, *Archid. Epiſcopus & Ord. Teut. Magiſter.*
XII. FERDINANDUS V. PHILIPPI III. *Reg. Hiſp. fil. Archi-Epiſcopus,* & *Cardinalis.*
XIII. LEOPOLDUS WILHELMUS *Archid. Ord. Teutonici Magiſter.*
XIV. SIGISMUNDUS FRANCISCUS *Archid. Epiſc.*
XV. CAROLUS JOSEPHUS *Archid. Epiſc. & Ord. Teut. Magiſter.*
XVI. *Reliqua Auſtriacorum Ordinis ſacri utriusque ſexus inſignia.*
XVII. *Inſignia Ordinum Equeſtrium, quatenus res Auſtriacas attingunt.*
XVIII. Societas Aquilina *ab* ALBERTO II. *Imp. inſtituta.*
XIX. *Ordo* S. GEORGII *a* FRIDERICO Pacifico *Imp. decretus.*
XX. *A* CAROLO V. *Ordo* Crucis Burgundicæ de Tuneto.
XXI. *Ab* ISABELLA Societas Balliſtariorum *Bruxellis aucta fuit muneribus.*
XXII. Mancipia virtutis *inſtituit* ELEONORA Mantuana *Imperatrix.*
XXIII. Sociata Crucis veneratio *ab eadem Aug. Imperatrice conſtituta.*
XXIV. *Ab* ELISABETHA CHRISTINA *Aug.* CAROLI III. *Hiſp. Regis Sponſa Ordo* pro amore proximi *inſtitutus.*
XXV. ERNESTUS Ferreus, *Eques* S. Sepulcri Hieroſoly. *creatus.*
XXVI. *Ordo* temperantiæ *a* FRIDERICO Pacifico *Cæſare adſumptus.*
XXVII. *Item* Ordo Cyprius.
XXVIII. *A* MAXIMILIANO I. *Inſignia* Aurei Velleris *recepta.*
XXIX. *Eidem inſignia* Ordinis Periſcelidis *tribuuntur.*
XXX. *In* CAROLUM V. *Imp. Magiſteria Ordinum Eq. collata.*
XXXI. JOAN-

XXXI. JOANNES ab Austria *Ordini Equest.* JESU CHRISTI *nomen dedit.*

XXXII. *A quatuor Archi-Ducibus Austriæ Magisterium* Ordin. Teutonici *susceptum.*

XXXIII. *Alii Ordines Equestres in dubio positi, an ad res Austriacas spectent.*

XXXIV. *Ordines Equestres a Domo Austriaca protecti & privilegiis aucti.*

XXXV. *Symbola* MAXIMILIANI I. *Imp. singularia.*

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Diademate Principum Austriæ.

§. I.

RATIO *dicendorum.*

II. *Diadematis Austriaci mutationes præcipuæ numerantur* IV.

III. Cassida *vetustum Marchionum & Ducum Austriæ tegmen capitis;*

IV. *Eam* cristis *&* coronis *exornarunt.*

V. *Illæ ex* pennis pavoninis *plerumque Ducibus Austriæ in deliciis erant.*

VI. *Istæ varii generis & diversæ figuræ fuerunt.*

VII. *Alterum capitis operimentum* Pilei.

VIII. Domestici.

IX. Ecclesiastici.

X. *Pilei item* coronati.

XI. *Proferuntur decem illorum schemata.*

XII. MAXIMILIANUS I. *Archi-Dux* Laureatus.

XIII. *Cæteri nudo capite nonnunquam comparent.*

XIV. *Pileus Archi-Ducalis hodiernus, auctorem habet* MAXIMILIANUM III. *Supremum Ordinis Teutonici Magistrum.*

XV. *Ejus descriptio.*

XVI. *Locus apud* BALBINUM *de* Corona Domestica *a* RUDOLPHO II. *Imp. Domui Austriacæ comparata, adducitur.*

DIPLOMATA,

Quibus Pileus Archi-Ducalis pro Insigni Austriacæ Domus sancitur.

I.

DIPLOMA SANCTIONIS.

STatuæ argenteæ & Pilei Archi-Ducalis, quæ in honorem S. LEOPOLDI *Marchionis Austriæ* MAXIMILIANUS *Archi-Dux, Supremus Ordinis Teutonici Magister, Ecclesiæ, quæ* Claustro-Neoburgi *est, offerebat die XXVII. Novembris anno MDCXVI.*

II.

Bulla PAULI V. *Papæ, diploma sanctionis, a* MAXIMILIANO *Archi-Duce, Divo* LEOPOLDO *Marchioni in Ecclesia Neoburgensi factæ, confirmans, die IV. Febr. an. MDCXVII.*

III.

MATTHIAS *Imp. sanctionem* MAXIMILIANI *Archi-Ducis, Divo* LEOPOLDO *Claustro-Neoburgi factam, auctoritate sua roborat, die* 9. *Aprilis anno MDCXVII.*

DISSER-

ELENCHUS.

DISSERTATIO OCTAVA.

De veſte Ducali, gladio, vexillo, baculo, ſive ſceptro, globo cruce inſtructo, & cæteris Auſtriæ inſignibus, horumque uſu & ordine in pompis & ritibus publicis.

PRÆMONITUM.

CAPUT I.

De Veſte Ducali.

§. I.

V. *Eſtis Ducalis an inter inſignia Principum cenſenda?*

II. *Veſtes Principum triplicis ſunt generis.*

III. *Primum genus* veſtis loricata.

IV. Camiſiæ *loris ſuperindutæ.*

V. *Alterum genus* veſtis quotidiani uſus, *a* MONTEFALCONIO *non bene diſcreta.*

VI. *Exempla quædam veſtium* quotidiani uſus.

VII. *Genus tertium*, veſtis in pompis ſolemnibus *adhiberi ſolita*, toga talaris manicata.

VIII. *Veſtes* talares & pallia.

IX. *Diſtinctio habita inter veſtes Ducum, & aliorum Principum.*

X. *Veſtis Archi-Ducalis, qua* FERDINANDUS I. *in ſolemniis uſus eſt, deſcribitur.*

XI. *Forma* habitus fecialium *Auſtriacorum.*

CAPUT II.

De Gladio.

§. I.

D. *Ucibus Auſtriæ* eductus gladius *præfertur.*

II. *Gladio accincti inveſtiuntur.*

III. *Poſt obitum gladius quoque ſepulturæ traditus.*

IV. *De forma gladiorum Principum Auſtriæ.*

V. *Schema gladii Cæſaris* MAXIMILIANI I.

VI. *Figura gladii Cæſaris* CAROLI V.

VII. *Eclypa cæterorum gladiorum Principum Auſtriæ, ex cryptis & nummis deprompta.*

CAPUT III.

De Vexillo.

§. I.

A. *Lterum inſigne, geſtatio publica* vexilli *Auſtriaci.*

II. *Vexillorum Auſtriæ veterum recentiorumque forma.*

III. *Figuræ vexillis inſcriptæ.*

IV. *Eorundem colores.*

V. *Forma vexilli, quod in ſolemniis homagii hodie præferri ſolet.*

CAPUT IV.

De Baculo, ſeu Sceptro.

§. I.

S. *Ceptrum Auſtriæ Inſignibus adnumerandum.*

II. *Ejus figura & ornamenta varii generis.*

III. *Forma hodierna ſceptri Archi-Ducalis.*

IV. *Baculus ſummi aulæ Magiſtri hæreditarii, nec non hæreditar. Præfecti Dapiferorum.*

CAPUT V.

De pomo, seu globo, imposita cruce instructo.

§. I.

GLobus *inter insignia Austriæ numerandus.*

II. *Origo hujus insignis.*

III. *Ejus significatio.*

IV. *Globi Archi-Ducalis auctor, materia & forma.*

CAPUT VI.

De reliquis insignibus Archi-Ducum Austriæ.

§. I.

REcensio cæterorum insignium.

II. *Schemata nonnullorum hujus generis.*

CAPUT VII.

De usu Insignium Austriacorum.

§. I.

USus Insignium Austriacorum præcipue duplex.

II. *Alter in solemni investitura;*

III. *Quod ex monumento docetur;*

IV. *Alter in homagii publica panegyri.*

V. *Usus vexillorum frequentior.*

VI. *Recensio insignium in funebri pompa* CAROLI V. *Imp. adhibitorum.*

CAPUT VIII.

Distinctio & Ordo Insignium Austriacorum.

§. I.

DIstinctio inter Insignia Ducum & Officiorum Austriacorum.

II. *Ordo insignium Archi-Ducatus duplex:*

III. *Unus chronologicus;*

IV. *Alter in hodiernis ceremoniis.*

AUCTARIUM DIPLOMATUM AUSTRIACORUM.

PRÆMONITIO.

I.

Circa annum Christi 1178. LEOPOLDUS VI. *Dux Austriæ monasterio* S. Crucis *Austriæ inferioris, terminos sylvæ, in qua idem situm est, interposito concambio, in gratiam monachorum ampliat.*

1178. 19. Junii. II. *Idem* LEOPOLDUS *Dux Austriæ, qua hæreditarius Advocatus utriusque monasterii* San-Crucensis *&* Mellicensis, *litem de decimis in* Drumawe, *&* Talarn, *ac vinetis in* Medliche, *&* Draschirchen *componit.*

III. *Idem* LEOPOLDUS *Dux Austriæ cum consensu fratris sui* HENRICI, *& conjugis suæ* HELENÆ *monasterio ad* S. Crucem *Austr. inferioris jurisdictionem concedit in loco* Munchendorff. 1187. 18. Martii.

IV. LEOPOLDUS VII. *Dux Austriæ confirmat monasterio* San-Crucensi *donationem villæ* Weilndorff, *eidem a fratre suo* FRIDERICO Catholico *factam.* 1203. 25. Martii.

V. HENRICUS III. Senior *Dux de* Medlico *monasterio* S. Crucis *confert* Jus montium *in vinets.* Post an. 12 - -

VI. LEO-

1216. 11. Novemb. VI. LEOPOLDUS VII. *Dux Auſtriæ lites de decimis, inter monaſteria* Mellicenſe, *& San-Crucenſe diu agitatas, componit.*

1229. 19. Decemb. VII. *Confirmatio ejusdem* LEOPOLDI *Ducis Auſtriæ ſuper emptione curiæ in* Mangolds, *ab Abbate* Zwethalenſi *facta.*

1236. VIII. *Concambium ab* EGLOLFO *Abbate* S. Crucis *cum* LIUPOLDO *plebano in Alecht factum, auctoritate* RUDGERI *Epiſcopi* Patavienſis *firmatur.*

1253. IX. GERTRUDIS *Duciſſa Auſtriæ monaſterio* S. Crucis *parochiam Alecht cum jure patronatus confert.*

1262. 23. Maji. X. *Diploma* MARGARETÆ *Romanorum Reginæ & Ducis Auſtriæ, quo monaſterio* S. Crucis *jus montanum in* Talarn *relaxat.*

1262. XI. OTTOKARUS *Rex Boëmiæ & Dux Auſtriæ monaſterio* S. Crucis *penſum annuum vini perſolvendum remittit, ac condonat.*

1280. 31. Auguſt. XII. RUDOLPHI I. *Roman. Regis litteræ fundationis pro monaſterio* Tulnenſi, *Monialium Ordinis* S. Dominici.

1281. 20. Maji. XIII. *Reverſales civium in* LA, *quibus* RUDOLPHO I. *Regi Rom. ejusque filio* ALBERTO *per Auſtriam & Styriam conſtituto Generali Vicario, ſuper fide illis jurato data, in caſum contraventionis, pœnis in refractarios ſtatutis, ſe nominatim ſubjiciunt.*

1282. 29. Januarii. XIV. RUDOLPHI I. *Roman. Regis edictum, quo Comites, Nobiles miniſteriales, milites, clientes, & vaſalli Auſtriæ jubentur, filiis ſuis* ALBERTO *&* RUDOLPHO, *ob collatos iisdem* Ducatus Auſtriæ *&* Styriæ, *fidelitatem plenam, ſubjectionemque omnimodam præſtare.*

1283. XV. ALBERTUS I. *Dux Auſtriæ & Styriæ monaſterio* Admontenſi *confirmat privilegia a* RUDOLPHO I. *Rom. Rege eidem conceſſa.*

1286. 24. Decemb. XVI. ALBERTI I. *Ducis Auſtriæ confirmatio privilegiorum Abbatiæ* S. Crucis *Auſtr. infer. elargita.*

1287. 13. Octob. XVII. *Idem* ALBERTUS *Dux Auſtriæ roborat privilegia Monialibus ad* S. Nicolaum *Viennæ conceſſa, & nova ſuperaddit.*

1304. 22. Sept. XVIII. *Teſtamentum* BLANCÆ, *primæ uxoris* RUDOLPHI III. *Auſtriaci, poſtea Regis Bohemiæ, quo Capellam* S. Ludovici *Viennæ in monaſterio* S. Crucis *FF. Min. Conventualium conſtitutam, donat; ibidem ſepulturæ ſuæ locum eligit; diverſisque Auſtriæ monaſteriis, & noſocomiis dona legat, & confert.*

1314. 28. Junii. XIX. FRIDERICUS Pulcher *Dux Auſtriæ confirmat privilegia & immunitates Abbatiæ B. V. M.* ad Scotos *Viennæ, Ordinis* S. Benedicti.

1314. 1. Sept. XX. *Idem* FRIDERICUS *Dux Auſtriæ,* ALBERTI I. *Imp. fil. confirmat anniverſarium ab* ELISABETHA *matre ſua, in Abbatia B. M. V.* ad Scotos *Viennæ conſtitutum, eique viduam ſti-*

pendiariam certis conditionibus tribuit.

1316. 13. April. XXI. *Idem* FRIDERICUS *Rex Rom. & Auſtriæ Dux monaſterio* S. Nicolai *Ord. Ciſterc. extra muros Viennæ confirmat privilegia, eidem ab* ALBERTO *Duce Auſtriæ conceſſa.*

1327. 15. Martii. XXII. *Litteræ fundationis ejusdem* FRIDERICI *Rom. Regis, pro monaſterio* FF. Eremitarum Sancti Auguſtini *Viennæ.*

1357. 13. Maji. XXIII. *Litteræ protectionis a* RUDOLPHO IV. *Auſtriæ Duce, in gratiam Cleri Eccleſiæ* S. Stephani *Viennæ conceſſæ.*

1357. 15. Junii. XXIV. *Renovatio privilegiorum, ab* ALBERTO III. *Auſtriæ Duce, fratre* RUDOLPHI IV. *in gratiam Monialium* ad S. Nicolaum *Viennæ facta.*

1362. 1. April. XXV. *Pancharta* RUDOLPHI IV. *Archi-Ducis Auſtr. qua monaſterio* S. Crucis *Auſtr. inferior. privilegia a* FRIDERICO II. *Imp.* RUDOLPHO I. *Rom. Rege, &* ALBERTO Sapiente *Auſtriæ Duce eidem conceſſa, confirmat, ac roborat.*

1396. 5. Sept. XXVI. WILHELMUS *&* ALBERTUS *patrueles, Auſtriæ Duces, Abbatiæ* ad S. Crucem *vetera privilegia confirmant.*

1404. 17. Decemb. XXVII. *Idem* WILHELMUS *Dux Auſtriæ, ſuo &* ALBERTI *Ducis adhuc minorennis nomine, vetera privilegia Abbatiæ B. M. V.* ad Scotos *Viennæ, ad inſtantiam Abbatis ipſius monaſterii, in linguam germanicam verti curat, eaque denuo confirmat.*

1424. 19. Junii. XXVIII. ALBERTUS V. *Dux Auſtriæ confirmat immunitates Abbatiæ* S. Crucis *Auſt. infer. eidem ab anteceſſoribus ſuis, Auſtriæ Ducibus collatas.*

1438. 25. Maji. XXIX. *Idem* ALBERTUS II. *Rom. Rex, lites, inter monaſterium B. M. V.* ad Scotos, *& magiſtratum, civesque Wiennenſes, agitatas dirimit.*

1439. 5. Junii. XXX. *Conſenſus ejusdem* ALBERTI *Rom. Regis pro venditione prædiorum in* Gunzeſtorff, *cum annuo cenſu,* Capellæ Aulæ Wiennenſis *ſolvendo.*

1460. 9. Junii. XXXI. *Idem* ALBERTUS *Dux Auſtriæ Abbatiæ* S. Crucis *confirmat quædam privilegia, eidem ab anteceſſoribus ſuis collata.*

1479. 5. Jul. XXXII. *Diploma* FRIDERICI Placidi *Imp. quo Abbatiæ* ad S. Crucem *privilegia ab anteceſſoribus collata, confirmat.*

DISSER-

DISSERTATIO PRIMA HISTORICO-CRITICA.

De Sigillis Marchionum, Ducum, & veterum Archi-Ducum Auſtriæ, ab ERNESTO I. STRENUO *lineæ Babenbergenſis, ad* MAXIMILIANUM I. *Imperatoris* FRIDERICI PACIFICI *filium usque, ex gente* HABSBURGO-AUSTRIACA.

§. I.

TRANSACTIS TEMPORA REDDO.

Quo tempore cœptum ſit tabulas Marchionum Auſtriæ Sigillis teſtari?

Ermaniæ noſtræ Principes tarde, nec uno quidem tempore, neque eodem prorſus modo, tabulas ſuas publicave inſtrumenta Sigillis teſtandi, vel cera conſignandi uſuram ſibi ſumpſerunt. Veterum pagorum Comites, Marchiones, & Duces in exarandis promulgandisque Regum Diplomatibus ſatis habebant, teſtes adeſſe & nominari: in edendis vero Chartis Pagenſibus, ſeu propriæ auctoritatis, illis erat ſolemne, a Cancellariis ac Scribis in facti fidem eorum nomina adſcribi, dein vel ſignaculo quopiam membranam roborare, vel conſignatam jam certo ritu tradere ac publicare. Neque vero Bullæ, Ceræ vel Sigilla, quibus provinciarum Proceres primo uſi ſunt, ſcuta familiarum, ſeu Inſignia gentilitia ſemper & ubique impreſſa ferebant; ſed vetuſtiora Inſignibus vacua, non niſi vel clypeos oſtentabant, vel ſigna erant accepti ex largitione Cæſarum ac Regum officii, a quorum nutu pendebant. Attamen iisdem prope temporibus, quibus gentilitia a Principibus Inſignia, ac ſtata ſcutorum ſymbola coorta fuerunt, non pauca

quoque propria Magnatum Sigilla, & indita his Insignia suas repetunt origines: quamquam Sigilla Insignibus vetustiora habeantur. Est autem res communi Eruditorum suffragio stabilita: vix ante migrationes in terram sanctam, quas *Cruciatas* vocant, ortam esse consuetudinem, certas imagines & figuras in scutis habere, easque non ultra, ut antea factum, mutatas, sed tamquam perpetua & rata nobilium ac illustrium familiarum symbola & Insignia retinere, in seros nepotes ac longam posteritatem exitura. Cœperunt quidem
a sacræ ejusmodi expeditiones sæculo Christi XI. (a) quo tempore usus Sigillorum in Austria pariter obtinuit; circa medium enim sæculi XI. in hisce terris invaluit: *Chartas Pagenses*, seu Marchionum tabulas, cera ac Sigillo testatas & consignatas edere, ac juris publici facere: quod ipsum jam a nobis idoneo monumento prævie demonstrabitur. Tum vero dispiciemus Sigilla Marchionum, Ducum & Archi-Ducum Austriæ veterum, ad MAXIMILIANUM, filium FRIDERICI PLACIDI Imperatoris usque, ex ipsis fontibus educta; ut Lectores Benevoli, de Austriæ Insignibus paullo diversius ab aliis forte edocti, tandem aliquando cognitum comprehensumque animo habeant, quæ & qualia iis impressa fuerint signa ac symbola, quot porro mutationes & additiones in iis factæ, aliaque observatu digna; quæ omnia in decursu sedulo adnotabimus. Hic scopus præsentis Dissertationis esto.

§. II.

Antiquissimum Principum Austriacorum Sigillum expenditur.

AB ovo rem ordiar, reliqua ordine chronologico prosecuturus. Antiquissima utique suspici meretur, quæ hodiedum sub oculis est in archivis Mellicensibus, ab ERNESTO Babenbergensi, ex persona Marchionis Austriæ Charta Pagensis bullata, quæ intra annum MLVI. & MLXXV. promulgata fuit, hujus tenoris sumens exordium: NOTUM SIT .... QUALITER EGO ERNESTO (lege: ERNESTUS) AUSTRIE MARCHIO CUM DILECTISSIMA THORI NOSTRI SOCIA DOMINA SWAENEHILDI MARCHIONISSA, ET FILIO NOSTRO LIUPOLDO PRO REMEDIO &c. Edidit
b quidem insigne hoc monumentum *R. P. Philibertus* HUEBERUS; (b) sed, cui, cæterum diligens auctor, provinciam demandaverat, Sigillum, instrumento quondam infixum, hodie vero confractum ac mutilum, delineandi, illudve in æs incidendi, is sane operam suam non omnibus numeris absolvit. Nam cum ego sub finem anni MDCCXLIV. a Viris Clarissimis Mellicensibus *RR. PP. Hieronymo* PEZIO, & *Godefrido* DEPPISCHIO petiissem, ut schema Hueberianum cum autographo Ernestini Sigilli enucleatius nonnihil conferrent, atque adcuratiori mentis trutina rem examinarent; illi egregia animi alacritate hoc in negotio amicos egerunt, novumque exemplar ad fidem prototypi summo, quo poterant, studio, quin oculis etiam armatis, delineandum curarunt, mihique liberaliter imper-
TAB. I. n. I. tierunt. Denotatio hæc, quam tanti facio, ut eam primo loco in Tabulis Sigillorum Austriæ Marchionum & Ducum, honoris ac venerandæ antiquitatis ergo exhibeam, commonstrat: non pauca fuisse

(a) PETAVIUS Ration. temp. Part. I. l. 8. c. 19. PAGIUS Crit. in BARON. T. IV. ad annum 1095. & 96.

(b) In Austria ex archivo Mellicensi Part. I. pag. 1. & Tab. I. pag. 194. n. 1.

SIGILLA VETERVM MARCHIONVM ET DVCVM AVSTRIAE.

TABVLA I^ma.

N:I. *Circa med. Sæc. XI.*



N:II. A:1136.

N:III. A:115-

N:IV. A:1162

N:V. A:1170.

N:VI. A:117-.

A

fuiſſe recens detecta, quæ in edito ab HUEBERO ſchemate deſiderabantur. Comparet enim hic ſuperne in medio exterioris marginis ſignum crucis; tum in area cuſpis lanceæ, vexillum pluribus & longioribus ſtriis ornatum, caſſida ſeu galea alterius plane formæ, quaſi tegumento inſtructa, binis laciniis ſeu tæniis defluentibus; ſed, quod notatu digniſſimum, conſpectui ſe quoque præbet, ſuperior clypei pars, quæ caput collumque alitis, Aquilæ haud abſimilis, refert. Reliqua cum typo HUEBERI ſic ſatis bene conveniunt: Marchio nimirum ERNESTUS regnantium more utrobique conſpicitur, velut equo inſidens, dextera vexillum, ſcutum ſiniſtra tenens. Monuerunt porro præfati Sodales noſtri ſolertiſſimi, Sigillum iſtud, ut in ſui monaſterii tabulario cernitur, in octo fruſta eſſe contritum: quod ſane dolendum; ſiquidem in rebus Auſtriacis vir immenſæ eruditionis *Richardus* STREYNIUS illud adhuc integrum atque illæſum Mellicii vidit, & recenſuit; quod ex ejusdem MSS. Hiſtoricis relatum accepi ab Excellentiſſimo, ſtudiorumque meorum fautore eximio *Joanne Wilhelmo Comite a* WURMBRAND, Conſilii Imperialis Præſide. Mirum autem videri non debet, nullum inveniri hac in re Sigillum, allato antiquius; præterquam enim quod & id ſatis pro re antiquum, utpote a medio fere ſæculo XI. profectum, adeo ut haud forſitan multa illius ætatis, a Marchionibus, ejusmodi obſignata Sigillis, & promulgata ex ante inſtrumenta fuerint; etiam hoc dubito: an non Canonici, priores Mellicii incolæ, hoſpitium monaſterii Patribus noſtris Benedictinis concedere & linquere coacti, horum nonnulla quoque ſuſtulerint? Utcumque ſit, ratum tamen id habeo, ERNESTI Marchionis ſcuto Inſignia gentilitia alia nequaquam fuiſſe, quam quæ ejus abinde nepos LEOPOLDUS PIUS, hujusque filii, & ſeri nepotes, perpetua & velut addicta progeniei retinuerunt. Nam ut nobis hic de ſæculo XI., cum Inſignia gentilitia hæreditaria fierent, ſermo eſt; rem ipſam loquetur, qui inde concluſerit: nepotes atque pronepotes ERNESTI Marchionis ſua Inſignia, quæ immutata perſeverarunt, non niſi ab avito ſcuto accepiſſe, nec alia hæc fuiſſe, quam quæ ipſe adſumpſerat, vel præferebat ERNESTUS.

§. III.

QUibus autem Sigillis & qualibus uſus ſit Inſignibus LEOPOLDUS PIUS Auſtriæ Marchio ERNESTI nepos, illiusque progenies, mei jam eſt, ex genuinis & intemeratis documentis, per archiva ſacra reperiundis, pariter oſtendere, Sigillorumque ſchemata ante oculos ponere. Primo itaque deſignatum exhibeo Sigillum auctoritatis LIUPOLDI DEI GRATIA MARCHIONIS AUSTRIE, infixum litteris fundationis Abbatiæ ad S. Crucem Ord. Ciſter. Auſtriæ inferioris, quæ datæ fuerunt anno MCXXXVI. Autographum *ciſta I. n. I.* continetur. In umbone Sigilli equo inſidet Marchio, dextera vexillum, imagine licet vacuum, læva ſcutum ferens, idque *figura Aquilæ*, ſatis cernendæ, inſignitum, & eam quidem in ſpeciem, ſicut in clypeis filiorum & nepotum, liquido ſimilis *Aquila* adparet. Quin *Aquilam* adpellabo avem majorem, figura ſimillimam (ut in illa quisquam ætate ſculpere aut cælare

Sigillum LEOPOLDI PII, ſeu *Sancti*, figuram *Aquilæ* refert;

TAB. I. n. II.

poterat) atque congruentem prorſus, ſicubi cum cæteris Aquilarum figuris, in Sigillis totius progeniei Leopoldinæ tam lucide cernendis, contendatur. Alterum quidem & hic adferri poſſet S. LEOPOLDI Sigillum ex chartario Clauſtro-Neoburgenſi, quo tabulæ fundationis eodem anno promulgatæ, dicto monaſterio firmantur; ſed illud ita detritum & obſoletum jam eſt, ut ne ullum quidem de Inſignibus inibi cernere liceat veſtigium. Inciderat jam dudum in hoc Sigillum pictor quidam, qui ejus delineationem curare voluit, & a quo ectypa illius una cum prototypo Clauſtro-Neoburgi in archivo *lad. I. lit. T.* adſervantur; verum hæc penicillo parum felici eſt adſecutus: faſciam enim duplicem in ſcuto depinxit; cum tamen id totum raſum penitusque oblitteratum ſit. Tum vero pauca, quæ in cera, membranæ infixa, conſpicabilia ſuperſunt ſigna, non nemini cauſſam ſuſpicandi præbere poſſent: forſitan fuiſſe ceram illam aliquando confractam, poſtea animo eam reſtituendi, nonnihil alteratam. Enimvero præter morem illius ævi (ut ex Sigillis Mellicenſibus & San-Crucenſibus, modo expoſitis patet) in cera Clauſtro-Neoburgenſi eques ſiſtitur crepitulo, quod cucullo monaſtico haud abſimile, ornatus, ſcutum quadratum exhibens, ſtapia vero & calcaribus deſtitutus. Titulus etiam inverſis litteris ſic ſatis abſtruſus; ipſa enim perigraphe reſupinatis partim litteris excuſa, duobus his abſolvitur verbis: LEOPOLDVS MARCHIO. Contra vero Sigillum, quod ex tabulario S. Crucis nactus ſum, ut antea jam monui, eam habet formam, qua ERNESTUS avus uſus eſt, quamque in ſuis Sigillis Divi LEOPOLDI filii conſervaverunt. Galea quidem hic quaſi cuneata, ſed faciem haud tegens; ſcutum oblongum, figura Aquilæ inſignitum; ſtapiæ & calcaria adparent; titulus denique ſic habet: LIVPOLDUS DEI GRA. MARCHIO AVSTRIE. Cæterum de Sigillo illo Clauſtro-Neoburgenſi ſermo infra recurret *Diſſert. VII. §. III.* ubi in adjecta Tabula *num.* 2. ſchema diadematis, in eo comparentis, æri inciſum dabimus.

§. IV.

quam reliqua filiorum nepotumque ejus Sigilla in ſcutis conſtanter exhibent.

IN Sigillis filii nepotumque S. LEOPOLDI figura Aquilæ expreſior eſt. Tria ex tribus diverſis archivis in medium proferam ſigilla HENRICI Ducis, dicti *Jaſomirgott*, ſive ex antiquo more: *Jachſamirgott*. (c) Primum ex archivo laudatæ Abbatiæ S. Crucis Ord. Ciſter. Auſtriæ inferioris, ſignatum *ciſta* 6. *n.* 2. Membrana, cui infixum eſt hocce Sigillum, æram quidem non indicat; ipſius vero Sigilli perigraphe ſic habet: HAINERICVS DEI GRATIA DVX BAWARIE. Unde inſtrumenti atque Sigilli ætas annum Chriſti MCLVI. utique ſuperans, colligitur; quippe eo anno Saxoniæ Duci ducatus Bavariæ reſtitutus eſt; titulus contra *Ducis Auſtriæ* HENRICO filio S. LEOPOLDI conceſſus. (d) Sigillum alterum ab anno MCLXII. eſt, & ex archivo Præpoſituræ Clauſtro-Neoburgenſis; ipſum prototypum notatur *n.* 3. *in Protocollo n.* 2. Quod demum *Num. V.* repræſentatur, in Abbatia Ordinis S. BENEDICTI Wiennenſi ad Scotos, cujus in Deiparæ Virginis gloriam auctor Dux fuerat, re-

c Tab. I. n. III.

d Num. IV.

Num. V.

(c) Alii etiam ſcribunt JOSAMIRGOTT, JASOMERGOTT, JOCHSAMERGOTT, & JACHSOMIRGOTT.

(d) Conf. Chron. Mellicenſe ap. P. *Hier.* PEZ. Script. Rer. Auſtr. T. I. col. 232.

Sigilla veterum Marchionum et Ducum Austriæ. Tab. II.

N. I. A. 117-.

N. II. A. 1178.

N. III. A. 1182.

N. IV. A. 1187.

N. V. A. 1188.

N. VI. A. 1190.

N. VII. A. 1203.

N. VIII. A. 1203

N. IX. A. 12

B.

reperitur, ſignatum *n.* 5. *lit. S.* ab anno MCLXX. Tribus in univerſum, & ultimo potiſſimum, Aquilæ figura, perquam diſtincta, continetur. In ſecundi vexillo Sigilli, a nobis *Num. IV.* denotati, duo annuli, ſive orbes conſpiciuntur, qui tamen non pro Inſignibus, ſed in ornamentis potius habendi ſunt; utpote qui in cæteris Babenbergenſium Sigillis modo obtinent, modo deficiunt: quod patebit Tabulam noſtram inſpicienti. Rhombos nimirum, ſeu ſtrias, ac orbes vexillis quandoque indere, mos erat illorum temporum; uti in variis aliarum familiarum Sigillis videmus. Sed cave, ne ex ejusmodi lacinulis ac ornatu Inſignia gentis ac familiæ exſcindere velis. Nam TENZELIUM, ſimile quid facere tentantem, merito caſtigavit HEINECCIUS, qui veterum formam vexillorum in Sigillis, pro rei veritate ita deſcripſit: *Velum in duas areas diſpeſcitur, quarum altera integra haſtili propior, antiquiore ævo nihil habuit in ſe aut pictum, aut intextum, niſi aut areolas, aut rhombos, aut ſtrias, ſeu colores variegatos, aut punctula, aut aliud ejusmodi, aut omnino nihil: poſteriore vero tempore Inſignia gentilitia, modo nuda, modo ſcuto incluſa; id quod innumeris fere exemplis illuſtrare liceret, niſi & nummi & Sigilla Equeſtria, quæ exſtant, ſatis ſententiam meam firmarent.* Hæc ille: ego vero ne ſingulorum Sigillorum ſignis ſeu vexillis recenſendis tempus teram, complectar brevi omnia ea autographa ſæculi XII. quæ ipſemet vidi.

Equidem in illa ætate, præterquam quod in ſcutis Ducum Auſtriæ nihil umquam fuit mutatum, etiam vexilla eorumdem, neque ſingularibus notis inſignita, nec ulla ratione variata, neque demum, idque multo minus, impreſſis ac delineatis aliis imaginibus vel figuris conſpicua, reperiuntur, ad finem usque ſæculi XII. quo tandem *Aquilæ* figura in his quoque locum obtinuit: quæ omnia ut evincam, alia ſeptem Babenbergenſium Sigilla ejus ſæculi, ætate tamen diverſa, ante oculos expono, a n. VI. Tab. I. & Tab. II. a n. I. usque ad VI. utroque numero complexo: ex quibus item ſcriniis unumquodque deſumptum fuerit, ſignificabo. Itaque quod *Num. VI.* exhibetur Sigillum, infixum eſt membranæ, notis quidem chronologicis deſtitutæ; ſed vocat in illa LEOPOLDUS *Henricum* Ducem, *Patrem* ſuum: adſervatur in archivo S. Crucis *ſign. ciſta* I. *n.* 20. In eodem archivo & loculo cuſtoditur aliud Sigillum LEOPOLDI Ducis, hic TAB. II. n. I. expreſſum, fractum & inverſo ordine infixum membranæ, etiam ſine conſignata æra promulgatæ. Meminit rurſus in illa LEOPOLDUS *Patris ſui Henrici* Ducis, Matris *Theodoræ*, & *Henrici Fratris*, nec non *contectalis* (ſeu potius *conlectalis* ac conthoralis, ſeu conſortis thori) *Helenæ* & ſobolis. Nos inſtrumentum hoc infra in Auctar. Diplom. n. I. p. 202. integrum unacum ſuis notis chronologicis adducemus. *Num. II.* delineatum Sigillum, ex eodem archivo *ciſt.* 2. *n.* 61. eductum, inverſo modo infixum eſt membranæ, quæ data fuit anno MCLXXVIII. die XIX. Junii. *Num. III.* ex autographo Neoburgenſis Præpoſituræ *ſign. n.* 4. *Proto.* 2. dat. an. MCLXXXII. *Num. IV.* ex ſcriniis Abbatiæ S. Crucis de anno MCLXXXVII. *ſign. ciſta* 6. *n.* 1. huic per omnia ſimile Sigillum exhibuit ſe in eodem archivo *ſign. ciſta* 4. *n.* 2. *lit. B.* Idem archivum S. Crucis inſtructiſſimum, tria nobis ſuppeditat LEOPOLDI

idque ad finem usque ſæculi XII. quo demum *Aquilæ* etiam in vexillis adparuit.

TAB. I. n. VI.

TAB. II. n. I.

Num. II.

Num. III.

Num. IV.

Ducis Sigilla æqualia atque eodem anno MCLXXXVIII. edita, *sign. cista* I. *n.* 2. *lit. A.* & *n.* 19. *lit. A.* item *n.* 19. *dat. IV. Kal. Jun.* quorum
Num. V. ectypon hic habes *Num. V.* Quin ex eodem educimus quoque FRIDERICI cognomento *Catholici*, filii LEOPOLDI VIRTUOSI natu majoris Sigillum ex cera lutea, dependens ab instrumento anni
Num. VI. MCXCVI. *sign. cist.* 12. *n.* 1. in Tabula nostra *Num. VI.* notatum: ex quo colliges, primum hoc esse in collectione nostra *Sigillum pendulum*, quodque etiam in vexillo figuram *Aquilæ* refert. Et en! Sigilla Ducum Austriæ sic primo mutata. Sed ut his Babenbergensium Sigillis tota sæculi XII. periodus compleatur, addi recensitis illud poterit, quod laudatus *P. Philibertus* HUEBERUS *Tab. I. n.* 4. adductum intra annum MCXCIX. & MCCIII. posuit.

§. V.

Sæculo XIII. ineunte, Sigilla Ducum Austriæ rursus mutata.

INeunte sæculo XIII. alia rursus in Sigillis Ducum Austriæ facta novatio est; cui quidem locum cumprimis fecit regionum Austriacarum divisio: ex quo enim HENRICO, *Henrici* dicti *Jachsamirgott* filio natu secundo, fratri LEOPOLDI VIRTUOSI, castrum *Medligen* cum circumjacentibus locis moderandum committeretur,(e) non ultra ille se *Ducem Austriæ*, sed a sede solummodo HAINRICUM DE MEDELICH inscripsit. Neque Sigillum *Equestre* seu *Auctoritatis* usurpavit; sed vetera Marchionum & Ducum Insignia, *Aquilam* videlicet retinuit, cum hac perigraphe: HAINRICUS. Duo ejusmodi Sigilla damus ex archivo Abbatiæ S. Crucis: horum alterum satis notabile, utpote infixum una cum Sigillo Equestri LEOPOLDI VII. Ducis Austriæ, ac Styriæ, qui fuit filius LEOPOLDI VIRTUOSI, dictus GLORIOSUS, in instrumento anni MCCIII. *sign. cista II. n.* 10.
Num. VII. *I. XI.* 8. *lit. A.* (Sigillum hoc adjecta Tabula *Num. VII.* excusum reddit) in quo LEOPOLDUS hunc Hainricum *Patruum* suum nominat, meminitque patris sui *Liupoldi*, matris *Helenæ*, & fratris *Friderici*. Utraque ejusdem notæ Sigilla HENRICI Ducis *de Medelich*, absque notis chronologicis, in recensito celebri archivo S. Crucis inveni *signat. cista* 10. *n.* 58. *& cist.* 13. *n.* 83. verum jam non infixa, sed adpensa, & *ex membranis* dependentia. Horum schema unum vide-
Num. VIII. Num. IX. bis *Num. VIII.* alterum *Num. IX.* delineatum. Dubitari utique nequit, quin ambo hæc Sigilla HENRICO Duci Medlicensi, dicto *Semori*, filio *Henrici Jachsamirgott* ac nepoti LEOPOLDI PII, adsignanda sint; cum ille quoque HENRICUS SENIOR postea cœperit duplicato ita Sigillo uti, ut ex una parte Aquila Austriaca, ex altera duo impositi essent *Leones gradientes*: velut exemplum ab anno
f MCCXX. adduxit *Philibertus* HUEBERUS. (f) Sic quoque hunc morem secutus HENRICUS, Medlicensis Ducis filius, *Ducem* se pariter *Medlicensem* inscribens, geminatum Aquila & binis Leonibus gradientibus Sigillum adhibuit, cum perigraphe: SIGILLVM HENRICI DEI GRACIA DVCIS MEDELLICENSIS. In hujus fidem
Tab. III, n. I. exhibemus schema TAB. III. n. I. quod ex archivo S. Crucis deprompsimus: autographum fuit datum anno MCCXXXII. XII. Kal. Sept. (obierat autem HENRICUS Senior jam anno MCCXXIII.) *sign. cista* 2. *n.* 28. *lit. B.* Idem Sigillum filis sericis, albi, aurei, cærulei, & rubri

(e) ARENPECK. Chron. Aust. ap. PEZ. T. I. script. rer. Aust. col. 1205. (f) Loco cit. Tab. II. n. 5.

Sigilla Veterum Ducum Auſtrice. Tab. III.

N:I. A:1232.

ad N:I. A:1232.

N:III. A:1206.

N:III. A:12--.

ad N:III. A:12---.

N:IV. A:1216.

ad N:IV. A:1216.

N:V. A:1229.

C.

To. I. p. 6.

rubri coloris, adpensum est, fractum licet, membranæ, datæ anno MCCXXXII. in eodem archivo *sign. cista 4. n. 59. lit. B.* Atque hæc, quæ hucusque adduximus Sigilla, confirmant: *Aquilam solam* cum figura equestri, ad initium usque sæculi XIII. non tantum Ducibus nostris pro scuti & aliquando, nimirum tempore LEOPOLDI VIRTUOSI etiam pro vexilli symbolo in usu fuisse, verum HENRICOS & *Seniorem* & *Juniorem* absque Sigillo Equestri Insignia Ducum Austriæ ita retinuisse, ut, sumptis insuper ex arbitrio, in aversa seu postica Sigilli parte, binis Leonibus, figura *Aquilæ* perseveraret. De binis porro hisce Leonibus, in Sigillo contrapositis expressis, infra §. XX. pag. 24. sermo recurret.

§. VI.

TErtia quidem, sed adprime notanda, Insignium Austriacorum mutatio a prædicto LEOPOLDO VII. GLORIOSO, provenit. Ille sui temporis usum, majorum licet a moribus alienum, secutus, & simplici Sigillo jam non ultra contentus (quemadmodum ex more sæculi XIII. cum titulis atque honoribus, aut saltem ditionibus & prædiis, insignia quoque novis passim figuris augebantur) suum etiam Sigillum Equestre ex utraque parte signando, Insignibus duplicare incepit. In antica enim velut Eques adparet, scuto, nec non vexillo, *Insignia* gerens *Austriaca* cum perigraphe: LIVPOLDVS DEI GRA. DVX AVSTRIE. In aversa vero parte itidem equo insidens, Insignia *Styriæ* fert scuto non minus atque vexillo, cum hac perigraphe: LIVPOLDVS DEI GRATIA DVX STIRIE, quæ singula in adjecto schemate TAB. III. *Num. II.* cernendum objicimus. Num. II. Ast reperi, etiam ea LEOPOLDUM instrumenta, quæ in *Styria* edita fuere, simplici sæpius Sigillo obsignasse, ita tamen, ut ambo Insignia, *Aquila* nempe Austriaca, non secus ac *Pantbera* Styriæ, eodem simul signaculo exprimerentur: cujusmodi Sigillum ex archivo antiquissimi & celeberrimi monasterii Admontensis mihi impertitum *Num. III.* Num. III. ante oculos expono: Dux Eques, scuto *Pantberam*, vexillo volitantem *alitem* tenet, cum perigraphe: LIVPOLDVS DEI GRACIA DVX AVSTRIE ET STYRIE. Eodem quoque titulo utitur LEOPOLDUS in contextu diplomatis, quod memorato jam Sigillo obsignatum fuit anno MCCVI. Ex archivo Mellicensi Archivarius *R. P. Philibertus* HUEBERUS tria hujus LEOPOLDI Ducis Sigilla duplicata depromit, scilicet *Tab. I. n.* 5. cujus dati annum reponit inter MCCIV. & MCCXII. deinde *Tab. II. n.* 2. & 4. Piget autem trium horum Sigillorum duplicem maxime ob causam: prima est, quia Insignia scutorum & vexillorum antiquitate jam pene exoleverunt; deinde quod per suam culpam chalcographus tam rara Sigilla non tantum non bene imitatus sit, verum etiam in nonnullis inscriptiones, in aliis ipsa insignia variaverit prorsus & adulteraverit: sicut dicta *Tab. I. n.* 5. loco *Aquilæ* Austriacæ in scuto *Pantberam* Styriæ, in parte vero Sigilli aversa pro *Stirie* excusum habet *Austrie:* & *Tab. II. n.* 4. in antica rursus parte pro *Aquila* Austriaca insigne Styriæ, scilicet *Pantberam* vexillo inditam. Has tamen hallucinationes compensat aliquo modo, aliud idemtidem Sigillum ibidem *Tab. III. n.* 1. in cujus tum scuto, tum vexillo lucide & aperte conspicitur *Aquila Austriaca*, scite efficta, cum epigraphe: LIV-

Tertia Sigilli Austriaci mutatio LEOPOLDUM GLORIOSUM auctorem habet.

LIVPOLDVS DEI GRACIA DVX AVSTRIE. Sigillum illud pendet ex membrana, quæ data fuit an. MCCXXVII. Antiquiora his, tria alia oculis usurpavi, adhibita ab hocce LEOPOLDO VII. Sigilla duplicata, quorum pars una scutum non minus ac vexillum *Aquilam Austriacam* (quemadmodum jam supra in allato schemate quasi generatim ostendimus) tum etiam vexillum *figuram Crucis* plane expressam continet; altera vero seu aversa pars, ut pariter supra notatum, Ducem Styriæ equitem exhibet, cum *Panthera* in scuto æque ac vexillo. Prius, datum an. MCCIX. in Abbatia Lilienveldensi custodiunt, isque qui illic ab Annalibus est, Vir Clar. *R. P.* HANTHALERUS ære excudendum id publico parat. Reliqua duo reperi in archivo Abbatiæ S. Crucis: alterum *sign. cist.* 16. *n.* 5. alterum *n.* 19. *lit. B.* ambo ex cera lutea a membranis dependent; instrumentum autem, quod isthoc duplicato Sigillo posteriori munitum est, promulgabatur an. MCCXVI. ejus schema sistitur *n. IV.* Ea quidem pars, quæ Ducem Austriæ equitem habet, ad imum quassa & extrita; verum cum in vexillo *Aquila* evidens sit, & commemoratis supra Sigillis, Mellicensi & Lilienveldensi, similis in scuto cernatur Aquila; certum duco, quemadmodum in parte aversa Insignia *Styriæ*, scuto & vexillo indita, ita quoque in adversis *Aquilam Austriacam* obtinuisse. Sed hoc porro de illo LEOPOLDI Sigillo percontari libet: quorsum in vexillo figura Crucis? quæ cum in vexillo quoque Sigilli Lilienveldensis ab anno MCCIX. conspiciatur; arbitror eam forte LEOPOLDUM significatum iviſſe, quam proximo anno susceperat, *Sanctæ Crucis Signaturam.* In Chronicis enim Mellicensibus ad annum MCCVIII. (g) adnotatum legitur: *Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ cum suis signaculo Dominicæ Crucis fulcitur.* Et ad eundem annum Chronicon Clauſtro-Neoburgense: (h) *Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ zelo fidei accensus, cum pluribus nobilibus terræ suæ in Niwenburch signo Sanctæ Crucis insignitur.* Uti igitur LEOPOLDUS noster an. MCCXIII. in Hispaniam adversus Saracenos cum exercitu venit, postea anno MCCXVII. cum ANDREA Hungariæ Rege in Palæstinam movens, & anno mox insequenti Damiatam obsidione cinxit; ita quoque ex Sigillis nostris patet, LEOPOLDUM non tantum sacræ Crucis vexilla, quibus etiam indita Austriaca Aquila erat, in terram sanctam tulisse, sed & domum deinde reversum, Aquilæ usum, anno adhuc MCCXXVII. in scuto pariter ac vexillo continuasse; veluti ex adducto apud *Cl. P.* HUEBERUM sigillo (i) perspicitur. Quin perseveravit Aquilæ figura ad annum usque MCCXXIX. qui penultimus vitæ LEOPOLDI Ducis erat; nam non nisi ad mensem usque Augustum anni sequentis superfuit: quod scienter observo; hoc enim demonstrat schema Sigilli ex archivo Zwethalensi eductum.

Num. IV.

g

h.

i

Num. V.

§. VII.

Quarta mutatio scuti Austriaci adsumptione fasciæ hodiernæ a FRIDERICO BELLICOSO facta.

SEd jam *Aquila* Austriaca ex Ducum stirpe Babenbergensium, propediem evolatura scuto erat; defuncto enim an. MCCXXX. LEOPOLDO GLORIOSO, filioque FRIDERICO BELLICOSO Ducis Austriæ & Styriæ nomen cum imperio obtinente, ab initio statim facta est plena Insignium Austriacorum mutatio. Quamvis enim

(g) P. PEZ. Script. rer. Aust. Tom. I. col. 236. (h) Ibid. col. 450. (i) Loco cit. Tab. III. n. 1.

N:I. A:1236.

adN:I. A:1236.

N:II. A:1262.



N:V. A:1262.

N:III. A:1263.

adN:V. A:1262.

N:IV. A:137-.

D.

To. I. p. 9.

enim allatis supra Sigillis ostensum, patri LUIPOLDO an. MCCXXVII. fratrique HENRICO CRUDELI Aquilam etiam tum in scuto fuisse; imo Aquilæ figuram anno MCCXXIX. a LUIPOLDO patre usque conservatam; FRIDERICUS tamen agnomine BELLICOSUS jam anno MCCXXXI. sub forma equestri apparet, cum scuto ab *Aquila* tum derelicto, alitisque locum hodierna occupaverat *fascia Austriaca*. Sed nova hæc Insignia, singulari prolixius Dissertatione explicaturi, præsentem jam non morabimur. Unum hic addimus ectypum Sigilli Fridericiani, ex archivo Abbatiæ S. Crucis, pendens ex charta, quæ data est Anno MCCXXXVI. *sign. Cista* 17. *n.* 25. TAB. IV. n. I.

§. VIII.

POstquam FRIDERICUS II. an. MCCXLVI. consertis cum Hungaro manibus, victor occubuerat, omni, Ducum a Babenbergensibus, virili sobole cum eo exstincta, ad muliebre regnum Austriaca res recidit, & quidem ad filiam LIUPOLDI GLORIOSI, sororem prædicti FRIDERICI Ducis, natu majorem, MARGARITAM nomine, quæ HEINRICO Rom. Regi, filio FRIDERICI II. Imp. matrimonio juncta fuerat. Eo defuncto an. MCCXXVI. cum OTTOCARO Regis Bohemiæ filio nupta, Ducatum Austriæ cum vita amisit. (k) Hujus MARGARITÆ Sigillum unum, filis sericis appensum, sed fractum inveni in scriniis Abbatiæ S. Crucis *sign. Cista* 13. *n.* 15. Quoniam tamen illius Reginæ atque Ducis nostræ in eo fere integra imago conspicitur; id hic volo repræsentatum. Diploma quod eo obsignatum, sic ordi- Num. II.
tur: IN NOMINE &c. MARGARETA DEI GRATIA ROM. REGINA, FILIA DUCIS LIUPOLDI, SEMPER AUGUSTA. Desinitque: *Datum in Chrumenowe anno Dom. MCCLXII. Indict. V. X. Kal. Maji.* Aliud ejusdem Dominæ Sigillum adhuc integrum vidi in archivo Campi-Liliorum, pendens ex membrana, *data anno MCCLXVI. in castro Chrumbenowe die XXVII. Octobris*, in perigraphe legitur: MARGARETA DEI GRATIA ROM. REGINA, ET SEMPER AUGUSTA. Solio sedens, sceptrumque tenet. Hocce Sigillum laudatus P. HANTHALERUS delineavit ipse, suis annalibus edendum. De reliquis FRIDERICI Ducis, & MARGARITÆ sororibus nihil attinet hic dicere; quippe quod sublata e viventium numero MARGARITA, prole nulla relicta, OTTOCARUS Austriæ Dominationem arripuit. Altera dictarum sororum AGNES, Duci Saxoniæ, tertia nomine CONSTANTIA Marchioni Misnensi, quarta denique GERTRUDIS Landgravio Thuringiæ nuptui collocatæ. Sed alterius GERTRUDIS Sigillum inspicere juvat. Erat hæc FRIDERICI II. neptis, ac HENRICI filia ex Agnete HERMANNI Landgravii Thuringiæ progenita; primo nupta HENRICO Moraviæ Marchioni, postea HERMANNO Marchioni Badensi, denique filio Regis Ruthenorum. Reperi hocce Sigillum in archivo S. Crucis, appensum chartæ, quæ data fuit MCCLIII. *signata n.* 1. *Cista* 17. illudque *num. III.* ære excusum adpono. Imaginem Ducis Num. III.
si-

Qua ratione fascia hæc in scuto Austriaco sit propagata per fæminas.

(k) Narratio Genealog. posterorum S. Leopoldi ap. *Hier.* PEZ. Tom. I. Script. rer. Austr. col. 573. seq. Adde HASELBACH. ibid. T. II. pag. 716.

ſiſtit, ſedentis & Ducali veſte amictæ, pallio ſcilicet pellibus murinis, quas *Hermelinas* vocant, ornato. Caput adopertum pileo Ducali, ut videtur, rotundo. Dextra manu lilium tenet, læva pectori applicata. Faſciæ autem Auſtriacæ nullum hic cernitur veſtigium. Verum quamvis Inſignia Auſtriaca in iſtis Sigillis omnino deficiant, non tamen hoc tanti eſt, ut dictorum uſum Inſignium infringere potuerit; etenim mulieres, ut ſunt ingenio pretioſo & ſingulari, avita ſæpius Inſignia ſinere, & flores, volucres, aliave pro lubitu ſymbola ſumere ſueverunt. Uti id jam alibi de-
1 notavimus ex Kyburgenſibus Sigillis (l) MARGARETÆ ad annum MCCLII. & ELISABETHÆ ad an. MCCLXVII. Atque id, tam quod ad Auſtriacam & Kyburgicam, quam quod etiam ad alias magni nominis familias attinet; exinde liquet, quod mulieres, floribus licet & avibus ſæpe gaviſæ ſint in Sigillis, avita tamen Inſignia de reliquo conſtanter retenta ad poſteritatem propagarunt. Conſtat enim vetera Inſignia Auſtriæ, vel ab ipſis alias uſitata fuiſſe, vel certe protinus ab earum obitu, in Sigillis poſterorum iterum comparuiſſe. Accedit, quod in GERTRUDIS noſtræ Sigillo ipſa ejus perigraphe *Ducem Auſtriæ* ſic ſatis clare manifeſtat, in verbis: SIGILLVM: GERDRVDIS: DVCISSE: AVSTRIE: Initium porro inſtrumenti ita habet: GERDRUDIS DEI GRATIA DUCISSA AUSTRIE ET STYRIE. Ut porro exemplum non deſit Sigilli fœminei ex gente Habsburgo-Auſtriaca, placet ex collectaneis MSS. *R. P.* STEYERERI in medium adducere ſchema vetuſti Sigilli AGNETIS filiæ LEOPOLDI I. dicti *Gloria Equitum*, quæ
Num. IV. BOLESLAO II. Duci Sileſiæ matrimonio juncta erat. Sigillum flavæ ceræ impreſſum, ex membrana pendebat, poſt mortem mariti (obiit autem ille anno MCCCLXVII.) promulgata. Simulacrum Principis in pedes erectæ ſiſtit, prope caput parmulam Auſtriæ gentilitiam habet, cum perigraphe: AGNES. DEI. GRA. DVCISSA. SLESIE. DOMINA. DE FVRSTENBERG. IN. SWYDNITZ. ET. IN. JAWOR.

§. IX.

Confervata ab OTTOCARO Bohemiæ Rege.

OTTOCARUS Rex Bohemiæ, Auſtria & Styria Ducatibus occupatis, faſciam Auſtriacam in ſcuto ſuo pro Inſigni adhibere non dubitavit. Illius Regis imaginem ex Sigillis aliquot, æra diverſis, & præcipue de an. MCCLVI. MCCLXIV.
m MCCLXIX. (m) HUEBERUS dedit. Duplicata hæc Sigilla ſunt; ex altera parte *typarium Regium* ſeu Majeſtatis, ex altera ſignum auctoritatis ſeu equeſtre & Ducale, faſcia Auſtriaca in ſcuto plane perſpicua. Primum tamen de anno MCCLVI. Regem ſolio ſedentem de more non exhibet, verum velut ex equo Leonem Bohemicum ſcuto ferentem. In circuitu eſt: PREMIZL DEI GRATIA JUVENIS REX BOEMIE. Forte fortuna aliud inveni hujus Regis Ducisque Sigillum in laudato ſæpius archivo Abbatiæ S. Crucis,
Num. V. idque ab Hueberianis quoad Inſignia ſatis diverſum. Filis ſericis aurei coloris pendet ex membrana anni MCCLXII. *ſignata Ciſt.* 13. *n.* 14.

(l) Genealog. Diplom. Habsb. Tom. I. Tab. 22. n. VII. & VIII. pag. 104. ſeq.

(m) Auſtr. ex archiv. Mellicenſ. Tab. IV. n. 2. 4.

n. 14. *Lit. B.* In antica, ubi tanquam Rex ſolio ſedens conſpicitur, ſolita huic perigraphe eſt: SIGILLVM. OTAKARI. SIVE. PREMIZLAI. QVINTI. REGIS. BOEMORVM. MARCHIONIS. MORAVIE. FILII. WENZEZLAI. REGIS. QVARTI. Sed præterea in cruſta exteriore circa ipſam expreſſi Sigilli formam ſic legitur: †. PAX. OTAKARI. REGIS. QVINTI. SIT. IN. MANV. SANCTI WENSESLAI. In poſtica inſidet cataphractus equo, erecta ex galea criſta militari, ex latere ſcutum ferens, Auſtriaca faſcia inſignitum. Equus haud ſimplici ornatu mirandus; fert auribus tintinnabula, inque ſtragula undique ſtellata figuras adhuc Inſignium Bohemiæ, Moraviæ, & Styriæ. Perigraphe hujus eſt commatis: SIGILLVM. OTAKARI. DEI. GRA. REGIS. BOEMORUM. QVINTI. MORAV. MARCHIONIS. AVSTRIE. ET. STIRIE. DVCIS. De induſtria hocce Sigillum accuratius expoſui; ſimilis ſiquidem monumenti exemplar apud HUEBERUM nequaquam ex ſententia excuſum fuit. (n)

n

§. X.

RUDOLPHUS hujus nominis I. Rex Romanorum, poſtquam victo OTTOCARO Auſtriæ Ducatum a tyrannide vindicatum, Romanoque redditum Imperio, filio ALBERTO commiſerat gubernandum, Auſtriaco interea haud ullo, verum Majeſtatico ſeu Regio uſus eſt Sigillo. Nugas hinc terit BIRCKENIUS, dum RUDOLPHO Sigillum tribuit, in quo Inſignia expreſſa bicipite cum Aquila, corona Imperiali duo colla jungente, in cujus Aquilæ pectore ſcutum ſiſtitur partitum, laterculus dexter Leone Habsburgico, ſiniſter vero Landgraviorum Alſatiæ teſſera corruſcat. Exploratum quippe eſt, RUDOLPHUM ab anno MCCXL. ad id uſque tempus, quo Rex Romanorum electus fuit, triginta adeo & tres annos, utpote Comes de Habsburg, propria habuiſſe Inſignia, & ea ſubinde mutata. Rex factus, perſonam Majeſtatis ſumpſit, ſolio ſedentem, coronatam, facie rugoſa, crinibus non admodum longis, nudoque collo, dextra ſceptrum liligerum, ſiniſtra globum cum cruce tenentem; quem etiam typum in Sigillis immutatum retinuit. Singularem dedi operam, ut ſcirem, an forte RUDOLPHUS Imperium adeptus & Auſtria potitus, *Leonem* unquam *Habsburgicum*, aut *faſciam Auſtriacam* adhibuiſſet? Perquiſitis vero tot ſcriniis & archivis varietatem in Sigillis & titulis reperi nullam; ſed Auſtriæ pariter & Imperii ordinibus reſcripta mittens ſua, uno eodemque fere uſus eſt ſigno, cujus ectypa omnino tria jam exhibui in Genealogia Habsburgica. Titulo quoque *Regis Romanorum* contentus erat; nam etſi Cl. STRUVIO in corpore Hiſt. Germ. referente, WAGENSEILIUS Comment. de Civitate Norimbergenſi nummum exhibeat, in quo legitur: RUDOLPHUS REX GERMANORUM: ſciendum tamen eſt, nummum illum ex STRADA deſumtum, genuinum non eſſe, uti Tomo ſequenti id plenius demonſtrabo. Horum hic ideo habenda ratio erat; quod quidam e poſteritate RUDOLPHI eum in Sigillis habuerint delectum, ut quæ ſtatibus Imperii, *Imperatorio*, quæ vero ordinibus

Retenta item ab Auſtriacis; imperante RUDOLPHO I. Rom. Rege.

(n) Ibid. Tab. V. n. 6.

Auſtriæ expediunda erant, *Auſtriaco* ſeu Ducali obſignarent Sigillo. Cæterum extra controverſiam poſitum eſt, Auſtriacam provinciam vetera Ducum ſuorum Inſignia RUDOLPHO imperante conſtanter retinuiſſe; nam & ab ALBERTO, RUDOLPHI I. filio tanquam Duce Auſtriæ *Auſtriacam*, quam FRIDERICUS BELLICOSUS gentis Babenbergicæ ultimus, pro Inſignibus ſumpſerat *faſciam*, accitam fuiſſe, ac continuatam, mox plenius conſtabit. Proinde Auſtriæ Inſignia poſt internecionem OTTOCARI Regis Bohemiæ, a regione ſeu ab ipſo Ducatu Auſtriæ conſervata, celebrataque fuerunt, donec præfatus ALBERTUS Habsburgicus, illa Ducis ſpecie geſtanda reſumpſit. Itaque negandum haud eſt: *faſciam*, quamvis a RUDOLPHO tantiſper omiſſam, Auſtriacis tamen ſcutis perpetim fuiſſe celebratam; eoque etiam magis, quod bis centum Equi-
o tibus a FRIDERICO ea olim auctis (o) in totam erat provinciam effuſe dilatata.

§. XI.

Demum ab ALBERTO I. RUDOLPHI filio in Sigillis auctoritatis reſtituta, atque ad ſeros Auguſtæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ nepotes transmiſſa.

RUDOLPHUS non Ducis nomine, ſed tanquam Rex Romanorum, Auſtriam & Styriam Ducatus, exſtincto OTTOCARO, ut ſupra dixi, moderandos ſuſceperat; atque ſecunda hinc Ducum Auſtriæ epocha ab ALBERTO orditur, RUDOLPHI I. filio, quem anno MCCLXXXII. parens Auſtriæ & Styriæ Ducis nomine auxit. Hinc faſcia ſimul Auſtriaca ad noſtram propagata ætatem pervenit. Ut igitur jam pridem oſtendimus: (p) ALBER-
p TUM ab aucta dignitate novis titulis, nomen quoque auxiſſe ſuum ab anno MCCLXXIII. uſque ad annum MCCLXXXI. inſcribentem ſe *Comitem Habsburgi & Kyburgi, nec non Landgravium Alſatiæ;* tum vero adjunxiſſe, PER AUSTRIAM ET STYRIAM VICARIUS GENERALIS: nec non ita multo poſt: ALBERTUS DEI GRATIA DUX AUSTRIÆ ET STYRIÆ, DOMINUS CARNIOLÆ &c. eoque tum titulo ſalutatum fuiſſe, donec debellato Rom. Rege ADOLFO, ipſe Imperio potitus eſt; ita quoque pro temporum ſeu adeptarum dignitatum ratione, Inſignia ſua ſcutumque mutaſſe. Duo autem potiſſimum hujus rei momenta ſunt. Primum, ut ſciamus, quibus fuerit Inſignibus uſus, tanquam *Adminiſtrator* ſive *Vicarius Generalis Auſtriæ* conſtitutus? Alterum, quid ſcuti habuerit, re ipſa jam Dux factus? Prius utique nos rarum plane & exquiſitum Sigillum docet, quod ex tabulario publico Civitatis Wiennenſis depromTAB. V. n. I. ptum, ſchemate repræſentamus. Non ſupereſt aliud in dicto civitatis archivo Diploma, a Ducibus Auſtriæ promulgatum, iſto antiquius. In Sigillo Comes apparet ſpecie equeſtri, ſiniſtro ſcutum *Leone Habsburgico* inſignitum, ſuſtinens, dextraque manu ſtrictum protendens gladium. In galea dimidiatus Leo conſpicitur geminatus, ac pavoninis exornatus pennis. Perigraphe, etſi ex parte ſit mutila, juxta tradita a nobis in Genealogia Habsburgica *T. I. p.* 29. in hunc modum legenda eſt: ALBERTVS DEI GRA. DE HABSBVRC ET KYBVRG COMES, LANTGRAVI. ALSACIE. DOM. RVD. ROM. REGIS PRIMOGENIT. ET EJVSDEM PER AVSTR.

(o) De hisce militibus dicetur infra Diſſert. III. quæ agit de faſcia hodierna §. VI. ſeq.

(p) Geneal. Dipl. Auguſt. gent. Habsb. L. III. c. I. p. 203.

N: I. A: 1281.

N: II. A: 1287.

N: III. A: 1301.

N: IV. A: 1305.



N: V. A: 1314.

N: VI. A: 1316.

E.

AVSTR. ET STYRI. VICARIVS GENERALIS. Aliud etiam, quod ſecundo loco commemorandum eſt, Sigillum, in quo veri Ducis ſpecie ſpectatur, proferimus ex archivo Abbatiæ S. Crucis *ſign. Ciſta* 18. *n.* 8. de an. MCCLXXXVII. cui quidem adhuc aliud ex archivo Abbatiæ Admontenſis, idque æra ſuperans, utpote an. MCCLXXXIII. impreſſum, adjungi poſſet. Cum vero ambo illa Inſignia ejusdem plane ſint formæ, inter ſeque ſimillima, repetitæ delineationis curæ, & actum agere ſuperſedeo. Ipſum vero illud, quod ſane rarum eſt, Ducem oſtendit, equitem eum, & galea, cui quædam corona, eminente criſta pavonina, impoſita eſt, ornatum. Siniſtra ſcutum Inſignibus Auſtriæ, dextra vexillum panthera Styriæ, illuſtratum geſtat. Equus velamentis ex omni parte nitidus, & adverſa apparent repetita Styriæ Inſignia, Habsburgicus Leo averſus. Perigraphe ita habet: ALBERTVS DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. ET. STYRIE. DE. HABSBVRC. ET KIBVRC. COM. LANTGRAV. ALSAC. In contra Sigillo panthera †. S. DVCIS. His ex aſſe correſpondet aliud Sigillum, appenſum chartæ ab ALBERTO datæ in favorem ejusdem Abbatiæ San-Crucenſis 1286. IX. Kal. Jan. Indict. XV. quæ adſervatur ibidem in archivo *Ciſt.* I. *n.* 7. Num. II.

§. XII.

QUo vero certioribus demonſtrem argumentis, id, quod jam in proxima ſectione protuli: poſteros ſcilicet ALBERTI I. faſciam Auſtriacam pro Inſigni gentilitio Ducatus in perpetuum retinuiſſe, ex innumeris prope Sigillis, quæ pariter in fidem adduci poſſent, paucorum tantummodo ectypa exhibeo, quæ aſſerti mei veritatem ſatis oſtendent. Seriem quidem Principum ALBERTO I. genitorum Clar. STEYERERUS ita collocat: RUDOLPHUS, FRIDERICUS, LEOPOLDUS, ALBERTUS, HENRICUS, MEINHARDUS & OTTO; ſed nobis hic ſufficiat de Sigillis RUDOLPHI, FRIDERICI, ALBERTI & OTTONIS, quorum nomina in rebus Auſtriacis frequentius recurrunt, ſtrictim agere. Ectypa Sigillorum a filiis ALBERTI I. Imp. uſitatorum.

Bina RUDOLPHI III. Sigilla damus, fracta licet ac mutila. Primum ex cera lutea pendens a membrana Germanico idiomate data die *S. Nicolai* anno MCCCI. quod in archivo Abbatiæ S. Crucis adſervatur *Ciſta* 10. *n.* 55. ſuper nemus & paſcua in *Hengeſtal*, *& in Gaunesdorf*. Alterum ejusdem fere typi, humaniſſime mecum communicavit ex archivo Mellicenſi Vir Clar. *P. Hieronymus* PEZIUS, qui me pariter docuit, appenſum illud eſſe, chartæ RUDOLPHI Ducis, datæ *Cremſæ in vigilia Purificationis B. V. MARIÆ* anno MCCCV. qua monaſterium Mellicenſe eximit ab onere *hoſpitalitatis* ad *biennium* dumtaxat. Integra Sigilli iſtius inſcriptio hæc eſt: RVDOLFVS. DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. ET. STYRIE. DOMINVS. CARNIOLE. MARCHIE. AC. PORTVS NAONIS. COMES DE HABSPVRCH. ET. CHYBURCH. LANTGRAV. ALSACIE. Num. III. Num. IV.

FRIDERICUS PULCHER ALBERTI I. filius, ſecundo loco genitus nondum in Regem Rom. electus, ſimillimo fratris ſui RUDOLPHI uſus eſt Sigillo, in charta condita anno MCCCXI. Verum cum Dux anno MCCCXIV. IV. Kal. Julii, in cauſſam Ab-

batiæ B. MARIÆ Virginis ad Scotos Vindobonæ tabulas fieri fecit, ab his ejus Sigillum auctoritatis, filis fericis rubris atque flavis annexum, nonnihil variatum dependet. *Signatum n.* 16. *lit. S.* Idem Sigillum ibidem nactus fum in alia charta, Germanico idiomate exa-
Num. V. rata, & eodem anno data. *Signatur n.* 17. *lit. S.* In eo Sigillo imago Principis fic exhibetur, ut brachio finiftro fcutum adpendeat, *Auftriaca fafcia* infignitum, vexillo autem indita funt Infignia Styriæ. Perigraphe hujusmodi eft: FRIDERICUS. DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. ET STYRIE. DNS. CARNIOLE. MARCHIE. ET PORTVS. NAONIS. COMES. DE. HABSPVRCH. ET. KYBVUG. ET. LANTGRAVIUS. ALSACIE. Aliud porro noftris ectypis vetuftius videre eft FRIDERICI Ducis Sigillum apud HUEBERUM *Tab. VIII. n. II.* anni MCCCXI. fed male delineatum. Simile habes de anno MCCCXIII. *ibidem Tab. IX. n. V.* Rex Romanorum falutatus FRIDERICUS, *Majeftatis* quoque, ut vocant *Typarium* adfumpfit, quo folio fedens, coronato capite, dextra fceptrum, finiftra globum tenet, fubftrato ad pedes Leone, fortitudinis fymbolo; uti
Num. VI. videre eft, ex adjecto fchemate, quod ex archivo San-Crucenfi delineari curavimus. Diploma, quod hocce Sigillo roboratur, confirmatio eft privilegiorum monafterii Sanctimonialium Ordinis Ciftercienfis ad S. Nicolaum Wiennæ, datum *Idib. Aprilis* anno MCCCXVI. Orditur autem per ipfa verba, quibus perigraphe Sigilli concepta eft: FRIDERICVS ROMANORVM REX SEMPER AVGVSTVS. Inftrumentum fignatum *Cifta D. n.* 18. Idem Sigillum adpenfum vidi litteris fundationis, in gratiam Fratrum Eremitarum S. Auguftini Wiennæ datis Id. Martii anno MCCCXXVII. Simile quoque Sigillum edidit HUEBERUS, *Tab. X. num. III.* fed absque cura delineatum.

ALBERTUS II. FRIDERICI frater, ab eodem ALBERTO I. Cæfare progenitus, in fuo Sigillo eadem Infignia ufurpabat, & fi-
TAB. VI. n. I. milem quoque infcriptionem. Id quod patet ex adjecto fchemate, quod jam pridem Doctiffimus P. STEYERERUS ex tabulariis Gemnicenfibus, aliisque archivis, quæ fedulo fcrutatus eft, deprompfit. Poftea quidem Duci vifum eft, Sigillum fuum Infignibus ac titulis amplificare. Enimvero in dorfualibus equi, juxta collum Infignia Styriæ haud repetuntur, quæ jam in vexillo comparuerant, quod fic tamen apud laudatum STEYERERUM *Tab. I. n. I.* fculptor male expreffit; illo enim in loco in confpectum venit *Leo*
Num. II. Habsburgicus. In dorfuali porro inferiore adjecta funt Infignia *Carinthiæ;* conftanter autem in fcuto brachiali ad diftinctionem retenta eft *fafcia Auftriaca.* Atque ejus Sigilli formam fæpius comperi. Adfervatur enim cum in fupradictis litteris fundationis Patrum Auguftinianorum Wiennæ datis anno MCCCXXVII. tum in litteris inftitutionis Cartufiæ Gemnicenfis, fexies exaratis, ter Latino fermone, & toties vulgari idiomate, ipfo die feftо S. Joannis Baptiftæ anno MCCCXXX. itidemque recurrit ter in archivo Cartufiæ Maurbacenfis, in chartis de anno MCCCXXXII. XXXV. & LV. In Abbatia B. M. Virginis ad Scotos Vindobonæ Sigillum ejusdem formæ reperitur, in auctoritatem inftrumenti de anno MCCCXXXI. Clauftro-Neoburgi duo funt, unum char-

tæ

N. I. A. 1330.

N. II. A. 1335.

N. IV

N. III.

N. V. A. 1313

N. VI. A. 1335.

N. VII. A. 1359

N. VIII. A. 1361.

N. IX

N. X.

tæ de anno MCCCXXXV. alterum anno MCCCXXXIX. appenſum. *Philibertus* HUEBERUS ſimile de anno MCCCLV. protulit. (q) Aliud porro in tabulario Abbatiæ S. Crucis vidi affixum inſtrumento, quod promulgatum fuit anno MCCCLVII. *Wieme in die S. Viti Martyris glorioſi*, prioribus per omnia ſimile. Circa perigraphen id tantum diſcriminis occurrit, quod titulis plura acceſſerint nomina regionum, cum hujusmodi formula: ALBERTVS. DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. STYRIE. ET. KARINTHYE. DOMINVS. CARNIOLE. MARCHIE. ET. PORTUS NAONIS. COMES. IN. HABSPVRCH. ET. KYBVRCH. LANDGRAVIVS. ALSACIE. DOMINVS. PHYRETARVM. Præter hæc tamen Sigilla equeſtria, quod ſibi adeo frequens habuit, ALBERTUS II. etiam duobus minoribus Sigillis annularibus uſus eſt. Eorum laudatus *P.* STEYERERUS ambo profert exemplaria; unum *Pantheram* Styriæ præbet, cum ſcuto Auſtriæ in medio; alterum tria continet ſcuta minora, Auſtriacum, Styrenſe, & Carinthiacum. Cum Inſignibus conveniunt tituli circumſcripti: in primo enim inſcribitur: ALBERTUS DVX AVSTRIE ET STYR. in altero adjicitur ET CARINTHIE. q Num. III. Num. IV.

De LEOPOLDO Duce Auſtriæ cognomento BELLICOSO, filio ALBERTI I. Regis Rom. Sigillum jam exhibuimus in Genealogia diplom. gentis Habsb. *Tab. XVIII. n. XVI.* quod hic, ſeriem texendi cauſſa, repetimus. Simplex in eo comparet ſcutum Auſtriæ cum perigraphe: S. LEVPOLDI. DVCIS. AVSTRIE. COM. IN HABSB. in charta vero, quam anno MCCCXIII. *in feſto S. Agathæ* condidit, Sigilloque munivit, hac formula orditur: LVPOLDVS DEI GRATIA DVX AVSTRIÆ ET STIRIÆ, COMES DE HABSBURG ET KIBURG. LANDGRAVIUS ALSATIÆ. Num. V.

OTTO dictus *Audax* prædicti ALBERTI I. Imp. filius, Sigillum prorſus ſimile, Sigillo fratris ALBERTI adhibebat. Equo nimirum inſidet, annexum brachio dextro ſcutum Auſtriacum, in vexillo Inſignia Styriæ ferens. Perigraphe in paucis differt a priore illa ALBERTI II. Hic enim titulum *Phirretarum* ſumpſit, quem OTTO non adhibuit; ſed titulos in cera ita expreſſit: OTTO. DEI. GRA. DVX. AVST. ET. STYR. DNS. CARNIOLE. MARCHIE. ET. PORTVS. NAONIS. COMES. DE. HABSBVRCH. ET. KYBVRCH. ET. LANDTGRAVIVS. SVPERIORIS. ALSACIE. Sigillum OTTONIS invenitur in charta fundationis Auguſtinianorum Wiennæ, de qua ſupra, expedita anno MCCCXXVII. tum etiam in archivo Clauſtro-Neoburgenſi a membranaceo ligamine pendens, una cum alio equeſtri Sigillo fratris ſui ALBERTI Ducis Auſtriæ in charta anni MCCCXXXV. Idem per omnia ſimile vidi in Cartuſia Gemnicenſi & Maurbacenſi, in inſtrumentis ſignatis *lit. A. a n.* 1. *uſque* 6. *& lit. D. n.* 50. *&* 53. OTTO quoque fratrem ſuum in mutatione, quam induxerat, eatenus ſecutus eſt, ut in dorſuali, & juxta collum equi, Inſignia *Carinthiæ* adhiberet. Hujusmodi Sigillum cuſtoditur in monaſterio Novimontis in Styria, quo munitur charta edita anno MCCCXXXVIII. Sed quia id eandem prope formam habet, cum illo, quod ſupra fra- Num. VI.

(q) Auſt. ex arch. Mellic. Tab. XVII. n. 15.

fratri ejus ALBERTO adscripsimus, cujus schema SCHOENLEBENIUS ad annum MCCCXXXVI. typis jam expressit *n.* 1. *ad pag.* 116. *Part. II.* non opus est novam ejus designationem dare. Eadem de caussa Sigilla HENRICI, fratris prædicti OTTONIS, hic omittimus; nihil enim in illis singulare occurrit. De MEINHARDI porro Sigillis nullum hactenus mihi in conspectum venit.

§. XIII.

RUDOLPHUS IV. ALBERTI II. filius Sigilla diversæ formæ adhibuit, illaque auxit aliarum provinciarum tesseris.

IN Sigillis autem RUDOLPHI IV. Ducis Austriæ, qui filius erat ALBERTI II. plura sunt memoria digna. Ut enim Dux ille factorum solertia multis in rebus Insignis fuit, ita quoque in Sigillis aliquid novi consectabatur. In illis namque non raro etiam magnitudine variatis, plura scuta & Insignia, variosque in perigraphe honorum titulos adhibuit, Austriacis ante ignorata. Primo hic loco majoris formæ Sigillum equestre proferam, quod in scriniis Abbatiæ B. M. V. ad Scotos Vindobonæ mihi sub oculis fuit, in charta *sign. n.* 19. *lit. S.* quodque *Clar.* STEYERERUS *n. XII.* in tabulis suis exhibuit. Forma hujus signaculi multo nitidior & elaboratior est, quam in nullo antiquiorum Ducum antea factum. RUDOLPHUS tamen, æque ac majores sui, scutum *Austriæ*, fascia insignitum, brachio gestat, atque huic etiam scuto in reliquis Sigillis ubique locum honoratiorem tribuit. In vexillo continentur Insignia *Styriæ*, in dorsuali ad collum equi scutum *Carinthiæ*, in pectore *Leo Habsburgicus*, & in parte postica *pisces* Comitatus *Pherretani*. In perigraphe scribitur: RVDOLFVS: QVARTVS: DEI: GRACIA: PALATINVS: ARCHIDVX: AVSTRIE: STIRIE: KARINTHIE: SVEVIE: ET ALSACIE: DOMINVS: CARNIOLE: MARCHYE: AC: PORTVS: NAONIS: & quod prorsus singulare, annus, quo natus est, in margine Sigilli notatur: NATUS: ANNO: DOMINI: MCCC: XXXIX. Aliud ejusdem Sigilli schema exhibet SCHOENLEBENIUS in sua Diss. Polemica, ad annum MCCCLX. nostro huic in cæteris simile, nisi quod pictor vel celator, equo, cui Dux insidet, coronam, ex qua Aquila assurgit, super caput adposuit; quod genus additamenti in hujus formæ Sigillis hactenus haud vidi; quamquam illud in aliis ævi nonnihil posterioris frequens sit, ut paullo post dicemus. Aliud RUDOLPHI Sigillum ex diplomate eodem anno MCCCLX. promulgato pendens, adservatur in archivo Collegii Academici Wiennensis, quod non modo duplicatum est, in adversa quippe Ducem equitantem, in aversa vero ejus figuram in pedes erectam exhibet; sed etiam, quod scite observavit, & me docuit celeberrimus P. FROELICHIUS S. J. in ipso Sigilli limbo, seu extrema orbis parte (quam *Exergue* vocant) inscriptio legitur, hisce concepta verbis: IMPERII SCUTUM ROBVRQVE COR AVSTRIA * * * TUTELA PR - - - RVS TESTATURCESARSIGILLO. SCRIPTURA SVA ROBORAT AVREA BVLLA. Mediæ & angustioris formæ Sigillorum, quæ Dux ille in chartis momenti minoris adhibebat, tria hic exemplaria ad conNum. VII.

Num. VIII. spectum exhibeo. Primum e scriniis Claustro-Neoburgensibus, quod annexum chartæ de anno MCCCLXI. *sign. n.* 9. *Proth.* 2. Huic simile reperi in archivo Gemnicensi, in quo quinque modo

In-

N: I. A: 1365.

ad N: I.

N: III. A: 1357.



N: IV. A: 1365.

N: II. A: 1365.

N: V. A: 1373.

G.

Insignium clypei adhibentur. Medium est scutum Austriacum, superius utrinque Styriæ & Carinthiæ, paullo infra Comitatus Habsburgi & Pherretarum. Perigraphe admodum brevis atque simplex. † RVDOLFVS : DEI: GRACIA: DVX: AVSTRIE: STIRIE: ET: KARINTHIE. Contra-sigillum appositum nullum habet regionis titulum; *Styriæ* tantum pantheram exhibet, quæ medio corpore clypeum, *Austriaca fascia* insignitum, tenet. Alterum, quod eadem magnitudine est, laudato P. STEYERERO in acceptis referre debemus; ut qui id primus edidit. In eo quoque Sigillo quinque tantum Insignia, ea vero a superioribus diversa: hæc nimirum sunt: *Austriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, & *Tyrolis*. Tertium denique, quod idem P. STEYERERUS etiam luci dedit, forma nonnihil minore est, & quamvis titulos regionum referat, iis persimiles, quos supra in primo Sigillo legimus; plures tamen continet clypeos, & diverso ordine dispositos. In medio orbe tria habet scuta, *Austriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*. In exteriore magno circulo areæ, Insignium quoque clypei quinque exhibentur, sed illorum duo tantum *Habsburgi*, & *Pherretarum* in conspectum se etiam nunc dant, reliqua tria exesa sunt, & oblitterata. Quod si tamen ad Insignia a Duce alias usitata respicimus, illa haud difficulter substitui possunt. Quoad ego conjectura augurari possum, deficiunt hic scuta *Carniolæ*, *Tyrolis*, & *Marchiæ*, vel *Portus Naonis*.

Num. IX.

Num. X.

§. XIV.

ID porro in ceris RUDOLPHI IV. notari meretur, quod *Sigillum equestre*, seu auctoritatis, magnitudine plusquam ordinaria, haud minus amplum, nitidum, ac symbolorum varietate conspicuum fieri curavit, quam si *Sigillum Majestatis*, pro usu saltem illius ævi fuisset. Hujus quidem generis *Philibertus* HUEBERUS ex archivo Mellicensi ad annum MCCCLXII. (r) exemplar prodidit: atque ego aliud prorsus simile in archivo Abbatiæ S. Crucis annexum chartæ, eodem anno editæ, inspexi, *signatum Cista 2. n. 110.* Verum *Clar.* STEYERERUS *n. XI.* idem Sigillum profert, aliquanto mutatum. In Sigillo enim HUEBERIANO Insignia Austriæ vexillo impressa, repetuntur, quæ Dux præterea scuto indita pectori præfert. Sed in schemate STEYERERI Dux Aquilam simplicem vexillo gestat. Ultimo huic Sigillo simile conspicatus fui in tabulario hujatis Universitatis, quod cum adhuc integrum sit, & Sigillo contra posito observatum, operæ pretium est, ejus in hac tabula exprimere formam. Membranam munit integram, longitudine V. pedum & II. digitorum, latitudine III. ped. & II. digit. in beneficium Universitatis studii Vindobonensis datam, & patrio sermone promulgatam anno MCCCLXV. die XII. Martii. Dux cataphractus equo eximie ornato insidet, dextera manu vexillum Equestre, Aquila simplice expansis alis insignitum, tenet, additis supra litteris nominis ejus initialibus RVDOL; pectus scuto Insignium Austriacorum tegit, cassis operimento ornatur, cui corona, pennis pavoninis cristata imminet. Dorsuale equi etsi ornatissimum, nullis tamen distinguitur Insignibus. Equus autem in capi-

Idem fuit auctor novi symboli, scuto Austriæ adjecti.

r

Tab. VII. n. I.

(r) TAB. XVIII. n. 8.

te ſpeciem quandam gerit coronæ, cui annexum crucis ſignum in frontem cadit; ex ipſa vero corona denuo Aquila panſis alis ſurgit. In area porro hujus Sigilli variæ viſuntur figuræ geniorum, & hominum, ſuſtinentes ſcuta cæterarum provinciarum teſſeris inſignita, quorum hæc ſunt nomina: *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Habsburgi*, *Pherretarum*, *Carniolæ*, *Marchiæ*, & *Portus Naonis*. Perigraphe ſic habet: † RUDOLFUS: QUARTUS: DEI: GRACIA: ARCHYDUX: AUSTRIE: STIRIE: ET: KARINTHIE: DOMINUS: CARNIOLE: MARCHIE: AC: PORTUS NAONIS: COMES: IN: HABSPURG: FERRETIS: ET: KIBURG: MARC: BURGOVIE: AC: LANDGRAVIUS: ALSACIE. In Sigillo oppoſito quinque tantum ſpectantur ſcuta: in medio *Auſtriacum*, ad latera utrinque, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Tyrolis*. Perigraphe his continetur verbis: RVODOLFVS: AVSTRIE: STYRIE: KARINTHIE: TYROLIS: ET: CARNIOLE: ARCHIDVX. Ex variis rebus, quæ hic occurrunt, attendi præcipue volo ad duas illas figuras Aquilarum, quarum unam Dux in vexillo gerit, alteram ſuper frontem equi adhibet; quod antea Majorum ſuorum nemo fecerat: ſed ejus rei cauſſam ex ſequentibus ſectionibus facile percipiemus.

§. XV.

Ejusdem Sigillum ſcuto, *Quinque volucres* referente, auctum.

ALiud item Sigillum RUDOLPHI novis diſquiſitionibus facem accendit. Appenſum illud eſt chartis, anno MCCCLIX. *Veneris ante S. Margaritæ*, & MCCCLXV. promulgatis. Ejus deſignationem Doctiſſimus STEYERERUS dedit ex chartario *S. Stephani* Vindobonenſis multo elegantiorem, quam SCHOENLEBENIUS in ſua Diſſertatione Polemica ad an. MCCCLX. *n. VII.* hujusque exemplar ego contemplatus ſui in tabulario Abbatiæ B. V. MARIÆ ad Scotos Vindobonæ, appenſum chartæ *n.* 19. *lit. S.* Non eſt hoc quidem Sigillum equeſtre, nec adeo in chartis publicis, niſi pro Sigillo contra poſito adhibitum; uti archetypon ejus in laudata Abbatia Scotorum edocet. Enimvero tot id continet res notatu dignas, quot non aliud facile Sigillorum ejus. Forma Archi-Ducis hic exhibetur in pedibus erecta, velut ſub aulæo ſuſpenſo, loricam induta, pallioque talari amicta, & Archi-Ducali galero tecta, dextera ſceptrum, ſiniſtra gladium, non in altum erectum, ſed deorſum verſum, tenens, ſuperque duos ſubjectos pedibus inſiſtit cervos. Ad utrumque latus Archi-Ducis cum variis adornatum figuris geniorum atque hominum ſcuta ferentium, duodecim opponuntur provinciarum Inſignia. Contra vero in aliis Sigillis ſuis tria tantummodo, aut quinque, interdum quoque octo, ad novem ſymbola regionum adhibuit. In hoc autem Sigillo proxime caput Archi-Ducis ſcutum *Auſtriacum* apparet cum *faſcia hodierna*, a dextris collocatum; a ſiniſtris aliud ſcutum, *Quinque avibus* conſpicuum, additis ſuperne inferneque litteris, quæ collectæ nomen efficiunt: † RVODOLFVS. Reliqua Inſignia provinciarum hinc atque illinc collocata, hunc ſervant ordinem: *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Habsburgi*, *Pherretarum*, *Tyrolis*, *Marchiæ*, *Raprechtswilæ*, & *Portus Naonis:* inferne ſuſtentantur ſcuta, quæ exhibent Inſignia Marggraviatus *Burgoviæ*, & Comitatus *Kyburgenſis*. Perigraphe

Num. II.

haud

haud minus notari meretur; quod in ea titulorum ſequens ſit ordo: † RVOD: DEI: GRA: SAC: ROMANI: IMPERII: ARCHYMAGISTER: VENATOR: ALBERTI: DVCIS: ET: JOHANNE: DVCISSE: PRIMOGENITVS. Hinc patet, in quanta æſtimatione RUDOLPHUS IV. natalium ſuorum claritudinem habuerit; Non tantum enim in alio Sigillo, uti jam ſupra monuimus, æram anni natalis ſui expreſſit; ſed in hocce jam inſcribi gaviſus eſt: ALBERTI DUCIS, ET JOHANNÆ DUCISSÆ PRIMOGENITUS. Duo autem cervi pedibus ſubjacent pro ſymbolo rei venatoriæ; quoniam ſupremus venatorum Magiſter erat, ſeu ut ſe hic inſcribit: SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMAGISTER VENATORUM. Quo titulo uſus quoque eſt MAXIMILIANUS I. Archi-Dux, poſtquam cum MARIA *Burgundica* nuptias celebraverat, hac formula Germanica: *Des Heiligen Römiſchen Reichs Ertz-Jäger-Meiſter:* uti poſtea Diſſ. V. §. III. ex pleno ejus titulo perſpicum fiet. Cur autem ſcutum cum *Quinque volucribus*, Majoribus ſuis inuſitatum, tum primum in hoc Sigillo adhibuerit RUDOLPHUS, id modo inquirendum.

§. XVI.

QUod ſi rem ipſam, & adjuncta rei momenta adcurate conſideramus, magni negotii non eſt, invenire, unde RUDOLPHUS IV. quinque has volucres in ſua Inſignia acceperit. Enimvero *Palatinum* ſe ſcribebat, & (uti modo dictum) *Supremum Sacri Romani Imperii Magiſtrum Venatorum.* Quæ dignitates, Majoribus ejus haud uſitatæ, cum Imperii & Cæſaris Majeſtatem reſpiciant, non aliud Signum aptius viſum eſt RUDOLPHO ad celebrandos novos honorum titulos, quam *Aquila;* ipſum quippe capitis Imperii, Imperatoris, ſymbolum. Nam conſtat a pari, etiam miniſtros Ducum & Comitum, atque usque adeo civitates eisdem ſubditas, Inſignia Dominorum ſuorum uſurpaſſe. E multis, quæ hanc in rem adduci poſſent exempla, brevitatis cauſſa unum trado Sigillum, quod HUEBERUS (s) ad annum MCCCCLX. producit WOLFGANGI . . . . *Supremi Mareſchalchi Auſtriæ*, in quo exhibetur eques, dextera manu ſcutum Auſtriæ hodiernum, *faſcia* inſignitum, gerens. Proinde hinc unam jam cauſſam habemus, cur RUDOLPHUS IV. in Sigillo equeſtri duas Aquilarum figuras, unam in vexillo, alteram ad frontem equi adhibuit. Etſi vero maxime ultimam hanc figuram *Aquilæ* quisquam pro ornamento tantum equi habuerit; negari tamen nequit, quin figura in vexillo pro Inſigni ſit. Juvat igitur inveſtigare, unde tres, aut ſi velis, quatuor reliquæ Aquilæ in idem advolaverint ſcutum? Res eſt ſatis cognita: quod, etiamſi ſymbola & Inſignia Principum res arbitrii ſint, tamen in amplificando novis teſſeris ſcutum quodvis gentilitium, aut Sigillum, præcipue ad acceſſionem provinciarum, uniuscujusque ſecum Inſignia ferentem, reſpectus habeatur. RUDOLPHUS autem, jam priusquam *Palatinum*, & *Supremum Magiſtrum Venatorum* ſe ferret, hæreditario jure regiones poſſidebat, quibus Aquila ſimplex pro Inſignibus erat. Hæ regiones ſunt:

Cauſſa numeri quinarii volucrum.

(s) Auſt. ex arch. Mellic. TAB. XXIX. n. 3.

ſcilicet *Auſtria trans Anaſum*, & *Carniolia*, quibus, eo regnante, acceſſit *Comitatus Tyrolis.* Hinc igitur innoteſcit origo trium Aquilarum, quibus, ſi duas illas ſupra deſcriptas Aquilas, officiorum S. Rom. Imperii adjunxeris, vel unam ſaltem, alteram vero ex veteri Marchionum, & Ducum Auſtriæ ſcuto repetas, quinionis utique hujus rationem intelliges. His adde, quod quinarius numerus, ob neſcio quam myſticam ſignificationem RUDOLPHO noſtro
Num. III. in deliciis fuit. Nam in alio valde parvo Sigillo, cujus formam STEYERERUS dedit, ſymbolo uſus eſt, quod quinque facies hominum ſimul junctas, haud impolite elaboratas ſiſtit, quarum una in medio, duæ juxta in aſpectu obliquo, quarta ſuperius, & quinta ad imum ponitur, cum brevi hac perigraphe: †. S. RVDOLFI. DVCIS. AVSTRIE. Hocce Sigillo munivit RUDOLPHUS litteras, in gratiam Eccleſiæ *S. Stephani* Viennæ datas *die S. Nicolai*, anno MCCCLVI. quæ adſervantur in tabulario dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ. Ex eodem tabulario STEYERERUS quoque ſchema ſuum, a nobis allatum, deprompſit. Inſtrumentum promulgatum fuit *Sabbato ante S. Pancratii* MCCCLVIII. In poſtica Sigilli parte, caſſida ſola cum corona, impoſita criſta, comparet.

§. XVII.

Schemata Sigillorum, quibus LEOPOLDUS III. PROBUS, RUDOLPHI IV. frater, uſus eſt.

LEOPOLDUS III. cognomento PROBUS, etſi fratri ſuo RUDOLPHO IV. in regimine ſucceſſit, illum tamen multitudine ſcutorum, ac teſſerarum in Sigillis haud imitatus eſt. Hujus Sigilla formæ duplicis oſtenſa ſunt mihi in tabulario Univerſitatis Vindobonenſis, unum mediæ magnitudinis, filis ſericis rubris, &
Num. IV. viridibus annexum chartæ, expeditæ anno MCCCLXV. *die XII. Martii*, quo tempore frater ejus RUDOLPHUS IV. adhuc regnum agitabat. Medium in hoc Sigillo ſcutum majoris formæ faſciam Auſtriacam exhibet, cum caſſide ſuperpoſita, cui corona imminet, pavoninis criſtata pennis: ad latera ſiglæ L & D impreſſæ LEUPOLDUM DUCEM denotant. Ex utraque parte tria minora ſcuta viſui præbentur, hinc *Styriæ*, *Tyrolis*, *Habsburgi*, inde *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Pherretis.* Perigraphe his expreſſa verbis: † LEVPOLDVS. DEI. GRACIA. DVX. AVSTRIE. STYRIE. KARINTHIE. TY-
t ROLIS. ET. CARNIOLE. ET CETTERA. (t) Alterum Sigillum majoris formæ, quod auctoritatis eſt, ſeu equeſtre, in quo LEOPOLDUS, Ducum regnantium more, eques ſiſtitur, jam typis quidem expreſſit SCHOENLEBENIUS ad annum MCCCLXXVII. ſed non
Num. V. omnibus numeris abſolutum. Autographum, cujus ſchema majori cura elaboratum hic exhibeo, in prædictis ſcriniis Univerſitatis Vindobonenſis, itemque in Abbatia apud Scotos reperi, *ſign. n.* 21. *lit. S.* Impreſſum hoc eſt chartæ anno MCCCLXXIII. illud autem codicillis appendet, editis anno MCCCLXXXIV. Dux equo ſedens, pectus ſcuto Auſtriæ tegit, ſupra caſſidem gerit coronam, criſta pavonina ornatam; quæ corona eam habet formam ſingularem, quod circulus, loco radiorum, intermixta crucis ſigna ferat. Inſignia *Styriæ* in vexillo apparent, in ſtragula equi autem Inſignia *Carinthiæ*, *Tyrolis*, & *Habsburgi.* Perigraphe continetur hac formula:

(t) Ita in autographo.

Sigilla Veterum Ducum Auſtriæ. Tab. VIII.

N. I. A. 1362

N. II A. 1372

N. III. A. 1306

N. V. A. 1404

N. IV. A. 1340

N. VI. A. 1412

H.

To. I. p. XXI. Sal. Kleiner fecit.

mula: †. LEVPOLDVS: DEI: GRA: DVX: AVSTRIE: STYRIE: CARINTHIE: ET: CARNIOLE: DOMINVS: MARCHE: ET: PORTVS NAONIS: COMES: IN: HABSPVRG: TYROLIS: FERRETIS: ET: IN: KYBVRG: MARCHIO: BVRGOWIE: AC: LANTGRAVIVS: ALSACIE. In Sigillo contra poſito breve hoc lemma inſcribitur. † LEOPOLDVS. DEI. GRACIA. DVX. AVSTRIE. ET CETERA. Inſignium ordo eſt hujusmodi: inferius duo ſunt ſcuta majora, in quorum illo, quod dexterum eſt, Inſignia *Auſtriæ* continentur, quibus galea, & inſuper corona pavoninis pennis criſtata imminet; e latere ſiniſtro apparet Aquila *Tyrolenſis*, caſſide & corona ſuperpoſitis, ſupraque coronam ala Aquilæ. Atque inter utramque hanc criſtatam caſſidem in tribus minoribus ſcutis, in medio poſitis, exprimuntur ſymbola *Styriæ*, *Carinthiæ*, & *Carnioliæ*.

§. XVIII.

ALBERTUS III. cognomento *cum* TRICA, frater RUDOLPHI IV. & LEOPOLDI III. ac filius ALBERTI II. Ducis Auſtriæ, eadem cum jam dicto fratre ſuo LEOPOLDO PROBO Sigilla adhibebat, aut ſaltem non niſi in minimis diverſa. Sigillum formæ minoris in medio ſcutum *Auſtriæ* præbet, impoſita caſſide, corona, & cauda pavonis. Minoribus utrinque clypeis indita ſunt Inſignia *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, *Tyrolis*, *Habsburgi*, & *Pherretarum*, atque inter hæc exaratæ litteræ A. A. id eſt: ALBERTUS AUSTRIACUS. Perigraphe ſic habet: † ALBERTVS: DEI: GRACIA: DVX: AVSTRIE: STYRIE: KARINTHIE: TYROLIS: ET: CARNIOLE: ET CETT. Exemplar hujus, ejusque, quod ſequitur Sigilli equeſtris, e ſcriniis Academiæ Vindobonenſis comparavi. Primum codicillis appendet, editis anno MCCCLXV. alterum etiam ante oculos habui in archivo B. M. V. ad Scotos *ſign. n.* 20. *&* 22. *lit. S.* Quo Sigillo tres chartæ roborantur annorum MCCCLXXII. LXXVII. & LXXXIV. Neque tamen omnibus hujus Ducis *Sigillis auctoritatis* ſignum, quod hic eſt contra poſitum, adjungitur, uti videre licet apud SCHOENLEBENIUM *Diſſ. Polem. ad pag.* 121. *Part. II.* Dux ritu Majorum ſuorum eques cataphractus, caſſidem gerens & lacinias, ſuperimpoſitis corona & cauda pavonina. Pectori applicatur ſcutum Auſtriæ, atque eadem Inſignia repetuntur in vexillo. In equi ſtragula tria modo Inſignia continentur, ſcilicet *Styriæ*, *Carinthiæ*, & *Carnioliæ*. Perigraphe autem prolixior eſt, & ſequentia continet: ALBERTVS: DEI: GRACIA: DVX: AVSTRIE: STYRIE: KARINTHIE: ET: CARNIOLYE: DOMINVS: MARCHIE: ET: PORTVS NAONIS: COMES: IN: HABSPVRG: TYROLIS: FERRETIS: ET: IN: KYBVRC: MARCHIO: BVRGOWIE: AC: LANTGRAVIVS: ALSACIE. Contra-ſigillum quinque ſcutula in orbem compoſita continet: *Auſtriæ: Styriæ: Carinthiæ: Carnioliæ*, & *Tyrolis*. Inſcriptio hac abſolvitur formula: †ALBERTVS: DEI: GRACIA: DVX: AVSTRIE: ETC.

Sigilla ALBERTI III. dicti *cum* TRICA. TAB. VIII. n. I.

Num. II.

§. XIX.

Alberti IV. & Wilhelmi Ambitiosi, necnon Ernesti Ferrei Sigilla.

ALBERTUM IV. cognomento MIRABILIA MUNDI, filium ALBERTI III. & WILHELMUM AMBITIOSUM, filium LEOPOLDI PROBI, ideo eadem opera hic nomino; quia hi fraterni non modo iisdem temporibus vixerunt, sed & multa in pias, aut alias quasvis causas expedita documenta, conjunctis ambo confirmarunt Sigillis. Ea re mihi otium facio, quo minus utriusque Ducis Sigilla duplici via prosequar; immo sic quoque supersedere possum, reliqua Sigilla FRIDERICI IV. *cum pera vacua*, & LEOPOLDI IV. SUPERBI, fratrum prædicti WILHELMI superaddere. Horum enim Principum Sigilla, cum in Insignibus, & scutis nullam admodum notabilem passa sint mutationem, sed magnitudine tantummodo, aut symbolorum, pro multitudine provinciarum, numero, & quod ad inscripturas, solo quandoque nomine differant; ut proinde regnantes in Styria & Tyroli, cum Ducibus in Austria ex eodem stemmate oriundi, eadem Sigilla usurpaverint, in eo, quem a Majoribus accepissent usum, quemque nos jam variis exemplis illustravimus, permanentes; hæc, inquam, cum ita sint, sufficit exempli loco adduxisse ectypa Sigillorum bina prædictorum Ducum ALBERTI, & WILHELMI mediæ formæ, quibus addere juvat unum dumtaxat Equestre Sigillum WILHELMI, ac simile ERNESTI FERREI. Priora illa subministrat locuples, ac sæpius laudatum, Abbatiæ S. Crucis archivum: *Cista* 2. *num.* 2. in charta amborum. Ducum Sigillis munita: *Viennæ quinta die Mensis Septembris MCCCXCVI.* Alterum ALBERTI signatum contra-sigillo (de quo sequenti §. dicemus) quinque complectitur scuta: *Austriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Tyrolis*, cum perigraphe: † ALBERTVS. DEI. GRACIA. DVX. AVSTRIE. ETC. Alterum WILHELMI non nisi tria symbola refert: *Austriæ*, *Styriæ*, & *Carinthiæ:* titulus adjectus: † WILHELMVS. DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. STYRIE. ETC. WILHELMI Ducis Sigillum Equestre, quod in archivo Abbatiæ B. M. V. ad Scotos annexum chartæ, quæ data fuit anno MCCCCIV. *feria IV. post festum S. Luciæ* nactus sum, signata *n.* 24. *lit. S.* ejusque hic pictum exemplar pariter oculis præbeo. Neque vero opus est huic Sigillo ullam explicationem adjungere; siquidem quæ supra de similibus exposui, resumenda essent. Scuta in eo sunt *Austriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, & *Tyrolis.* Perigraphe: † WILHELMVS. DEI. GRATIA. DVX. AVSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. DOMINVS. MARCHIE. SCLAVONICE. AC. PORTVS. NAONIS. COMES. IN. HABISBVRG. TYROLIS. FERRETIS. ET. KYBVRG. MARCHIO. BURGOVIE. AC. LANTGRAFIVS. ALSACIE. CET. Qui vero hujus Ducis Sigillum minoris formæ cernere cupit, apud HUEBERUM (u) inveniet unum, in quo solum Austriæ scutum, fasciam hodiernam referens, exhibetur, cum brevi hac perigraphe: †. S. WILHELMI. DVCIS. AUSTR.

Num. III. & IV.

Num. V.

ERNE-

(u) Loco cit. Tab. XX. n. 16.

ERNESTI FERREI Sigillum, quod appenſum fuit chartæ anni MCCCCXVIII. a SCHOENLEBENIO *Diſſ. Polem. P. II. p.* 121. *n. VI.* mutuamus, illudque eo lubentius in rem noſtram aſſumimus, quo clarius ex hujus area eluceſcit cum Inſignium Auſtriacorum, a nobis alias expoſitorum, numerus, tum varius ac fere promiſcuus ſcuta collocandi ordo, tum vero maxime in ipſa perigraphe adſcriptus titulus ARCHIDUCIS, quo ante ERNESTUM (ſi RUDOLPHUM quartum excipias) ex gente Auſtriaca in Sigillis uſus eſt nemo. Integra inſcriptio hujus eſt commatis: ARNESTUS. DEI. GRACIA. ARCHIDUX. AUSTRIE. STYRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. DOMINUS. MARCHIE. SCHLAUO. AC. PORTUS NAONIS. COMES. IN. HABSPURG. TIROLIS. FERRETIS. ET. KYBURG. MARCHIO. BURGOVIE. AC. LANTGRAFIUS. ALSACIE. EC. Num. VI.

§. XX.

ATtamen mihi non tempero, quin de Sigillis ALBERTI IV. duo momenta porro commemorem. Primum eſt: Ducem iſtum ad genium RUDOLPHI IV. in Sigillo ſuo ſcutum, *quinque volucribus*, alas pandentibus ſignatum, adhibuiſſe. Hujus rei exemplar cernere licet in archivo Lilienveldenſi, appenſum inſtrumento, quod promulgatum fuit anno MCCCCI. Hancce conſuetudinem ſecuti filius ejus ALBERTUS V. hujusque poſteri, ita quidem, ut Styriaca & Tyrolenſis ſtirpes in eodem manentes uſu, ſcutum cum quinque volucribus & in Sigillis, & in nummis ſæpius exhibuerint; donec tandem id alteri, quod faſciam albam in area rubra continet, par haberi atque utrumque pro Inſignibus Ducatus Auſtriæ æſtimari cœpiſſet. Verum non ALBERTO IV. hujus ſcuti, *quinque avibus* conſpicui repræſentatio, tanquam auctori in acceptis referenda eſt, ſed, uti jam ſupra monui, patruo ejus RUDOLPHO IV. ALBERTUS vero IV. id præſtitit, quod ſcutum illud cum volucribus reſumptum ſit, atque ad omnem poſteritatem gentis Auſtriacæ pro Inſignibus transmiſſum. Alterum, in ceris ſeu bullis noſtri Ducis ſcienter obſervandum: quod in Sigillis contra-poſitis, ſecus, quam ſuis Majoribus in uſu fuerat, non Inſignia Auſtriacorum adhibuit, ſed caput humanum, lapidi forte onychi inciſum, quod annulo fuiſſe incluſum videtur, idque ſine lemmate, aut perigraphe in poſtica Sigilli parte impreſſit. Schema ejus rei habes in ſupra allato ALBERTI Sigillo, de anno MCCCXCVI. *Tab. VIII. num. III.* cujus explicationem huc reſervavimus. Simile Sigillum, capitis velut ex Græcorum, vel Romanorum antiquitatibus mutuati effigie ſignatum, reperi quoque in ſcriniis Cartuſiæ Gemnicenſis, idque alteri Sigillo contra poſitum in charta prædicti anni, ſignata *lit. A. num.* 49. Aliud item haud abſimile in Sigillis Mellicenſibus ſervatur ab anno MCCCC. (w) Scire quoque licet, circa eadem tempora, id eſt, intra ſæculum XIV. & XV. etiam alios occepiſſe, pro contra-ſigillo, imaginem forma Græca, aut Romana, lapillo inſculptam, ſine lemmate adhibere. Cujus rei exempla apud HUEBERUM (x) videbis. Quin

Obſervationes ſingulares circa Sigilla ALBERTI IV.

w

x

(w) Id. ibid. Tab. XX. n. 17. (x) Ibid. n. 5. & 9.

Quin ſuperiori jam ævo ſuetum erat, Sigillis contra poſitis nonnunquam figuras, ac ſymbola pro lubitu indere, quæ nullam cum gentilitiis Inſignibus ſimilitudinem haberent. Ita morem hunc ſecutus erat HENRICUS MEDLICENSIS, e Babenbergenſium ſtirpe oriundus, qui jam tum anno MCCXXXII. ex una parte *Aquilam Auſtriacam*, ex altera vero *duos Leones gradientes* Sigillo expreſſit. Qua de re ſupra §. *V. Tab. III. ad num. I.* exemplum dedimus. Verum quia ALBERTI IV. poſteri in ejusmodi ritu haud perſeverarunt, nos quoque huic materiæ non inhæremus.

§. XXI.

Sigilla ALBERTI V. ejusque filii LADISLAI POSTHUMI.

ALBERTUS V. Dux Auſtriæ, poſtea eo nomine II. Imperator, ex antiqua conſuetudine gentis ſuæ, majora & minora Sigilla, Inſignibus Auſtriacis impreſſis ferebat. Sigillorum Equeſtrium eadem prope forma, quam ex Sigillo WILHELMI Ducis jam ſupra expoſuimus. Unum diſcrimen in eo eſt, quod ALBERTUS plura ſcuta provinciarum, atque in his, ad exemplum patris ſui ALBERTI IV. ſcutum quinque volucribus conſpicuum adjunxerit. In archivis Mellicenſibus depictum cernimus ejus Sigilli exemplar; (y) quod autem delineanti haud minus quam ſculptori male ſucceſſit. Quamobrem typum hic ſiſtimus, majori cura elaboratum. Protypum adſervatur in archivo San-Crucenſi *Ciſta 2. n. 16.* eſtque ex cera rubra, impreſſa ceræ albæ, pendens ab inſtrumento, quod promulgatum fuit: *Lunæ poſt S. Viti MCCCCXXIV.* In clypeo majore, pectori obdito, faſcia hodierna *Auſtriæ* deſignatur, ſub brachio autem apparet ſcutum cum *quinque volucribus*, ac proxime huic adhæret ſcutum *provinciæ trans Anaſum.* In vexillo conſpiciuntur Inſignia *Styriæ.* In circuitu octo alii adjunguntur clypei Inſignium, ſcilicet *Carinthiæ, Habsburgi, Tyrolis, Pherretarum, Kyburgi, Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Landgraviatus Alſatiæ.* Perigraphe ita habet: † ALBERTUS. DEI. GRACIA. DUX. AUSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. DOMINUS. MARCHIE. SCLAVONICE. AC. PORTVS. NAONIS. COMES. IN. HABSPURG. TYROLIS. FERRETIS. ET. KYBURG. MARCHIO. BURGOVIE. AC. LANTGRAFIUS. ALSACIE. Verum ALBERTUS noſter anno MCCCCXXXVIII. ſimul Rex Hungariæ, & Bohemiæ, ac Romanorum Imperator factus, eodem Sigillo Ducali minore (quod notatu dignum) in expediendis rebus Auſtriacis uſus eſt. Exemplar promere licet ex archivo Abbatiæ Scotenſis, quale appenſum eſt diplomati, quod editum *anno primo regni* MCCCCXXXVIII. *ſign. n. 38. lit. S.* In eo tantum apparent Inſignia *Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ,* & *Tyrolis;* nulla autem ſymbola regia. Perigraphe quoque admodum brevis hujusmodi eſt: †: ALBERTVS. DEI. GRA. DVX. AVSTRIE. STYRIE. Cæterum LADISLAUS POSTHUMUS filius prædicti ALBERTI II. Cæſaris, Hungariæ, Bohemiæque Rex, & Dux Auſtriæ, etiam in Sigillis ſuis minoris formæ, præter Inſignia regnorum & provinciarum, ſcutum cum *faſcia Auſtriaca* medio quidem, ac Principe loco ferebat. Formam ejus Sigilli depromo ex laudatis ſcriniis

(y) TAB. IX. n. I.

Num. II.

Num. III.

Abba-

Sigilla Veterum Ducum Austriæ. Tab. IX.

N. III. A. 1185

N. I. A. 1121

N. IV.

N. II. A. 1138

N. V.

N. VI.

I.

Solomon Kleiner fecit. Vienna.

T. I. p. 1

Abbatiæ B. M. V. ad Scotos. Appendet hoc diplomati, quod datum anno MCCCCLIII. *sign. n.* 32. *lit. S.* Medio loco clypeus Austriæ a genio quodam sustentatur, cui concatenata pendent scuta *Moraviæ*, & *Regionis supra Anasum*. Superne in nonnihil majoribus clypeis exhibentur Insignia *Hungariæ*, & *Bohemiæ*. Perigraphe his complexa est verbis: S. LADISLAI. DEI. GRA. HUNGARIE. BOHEMIE. ZC. REGIS. NECNON. DUCIS. AUSTRIE. ET. MARCHIONIS. MORAVIE.

§. XXII.

IN Sigillis FRIDERICI PLACIDI, seu PACIFICI, patris MAXIMILIANI I. plura sunt, quæ studium nostrum excitant. Alia enim Sigillorum forma usus erat ex persona Regis Romanorum, ubi quoque de *Bulla* ejus *aurea* dispiciendum: alia Imperatoris coronam adeptus: aliud denique Sigillum adhibuit Imperator ex persona Archi-Ducis, illudque memoratu dignissimum. Ectypa prioris generis Sigillorum FRIDERICI Regis Romanorum subministrat *Antonius* WECKIUS *in descriptione urbis Dresdensis p.* 23. *n.* 16. Simulacrum Regis in throno sedentis, caput corona regia ornatum, in dextera sceptrum, sinistra globus. Insignia, quæ utrumque latus implent, promiscuo ordine locantur. Dextrorsum comparent præter symbolum quinque vocalium, A. E. I. O. V. scutum quinario volucrum numero conspicuum, cum clypeis *Carinthiæ*, & *Tyrolis*. Sinistrorsum se præbent scuta *Styriæ*, *Carniolæ*, & *Leo Habsburgicus*. Honoratiori loco thronum quasi exornant, hinc *Aquila* Romani Imperii, illinc *fascia Austriaca*. Inferne ad pedes Janus quatrifrons, seu quatuor facies junctæ; addita scheda cum inscriptione: QUI. NATUS. EST. IN. DIE. MATHEI. S. AP. AN. DNI. MCCCCXV. Perigraphe hisce concepta verbis: SIGILLUM. MAJESTAT. FRIDERICI. DEI. GRA. ROMANORVM. REGIS. SEMPER. AVGVSTI. DVCIS. AVSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. COMITIS. TIROLIS. ETC. Postica pars Aquilam simplicem impressam habet. Peripheria septem scuta provinciarum Austriacarum continet, impositis supra galeas ornamentis: videlicet *Marchiæ Slavonicæ*, *Landgraviatus Alsatiæ*, Principatus *Austriæ supra Anasum*, *Portus Naonis*, Comitatus *Pherretani Kyburgi*, & *Burgoviæ*. Inscriptio quinque litteras vocales complectitur cum contextu ex prophetia *Ezechielis cap.* 17.

FRIDERICI PLACIDI Sigilla, & bulla aurea ex persona Regis Romanorum, & Cæsaris, nec non ejusdem Sigillum *Ducale majus*.

Num. IV.

AQVILA. EZECHIELIS.
SPONSE. MISSA. EST. DE. CELIS.
VOLAT. IPSA. SINE. META.
QVO. NEC. VATES. NEC. PROPHETA.
EVOLAVIT. ALCIVS.

Quibus versiculis usus jam erat SIGISMUNDUS Cæsar, teste HEINECCIO *de Sigillis pag.* 108. ubi in sequentibus eosdem versus explicat.

Bullam auream, cujus exemplum hic damus, vidi in mu-
Num. V. seo *D.* de FRANCE, ponderis 2. unciarum & partis octavæ. Simulacrum FRIDERICI solio sedens regia ornatur corona; sed præter clypeum Imperii, Aquila simplici impressa, in area Sigilli non nisi tria provinciarum scuta comparent, hæc illi juncta thronum Regis Romanorum utraque parte exornant. Nomina trium scutorum sunt: *Austriæ*, *Styriæ*, & *Tyrolis*; sed scutum *Styriæ* sinistrum latus ordinis superioris ad caput Cæsaris tenet: reliqua duo sedili quasi innixa. Inscriptio sic habet: FRIDERICVS: DEI: GRA: ROMANORVM: REX: SEMP: AVGVSTVS: AVSTRIE: STIRIE: KARINTHIE: ET: additis dein eodem ordine quinque litteris vocalibus, sequitur in inferiori ordine: CARNIOLE: DVX: COMESQ: TIROLIS. Postica pars typum portæ, turrium, ac mœnium urbis Romæ exhibet; in perigraphe decantatus ille versus:

ROMA. CAPVT. MVNDI. REGIT. ORBIS. FRENA. ROTVNDI.

Superne repetuntur in adjecta scheda quinque vocales: in aditu portæ scriptum: AVREA ROMA. qua de re videnda ÆNEÆ SYLVII Historia FRIDERICI. Typus hic multo elegantior est illo, quem laudatus HEINECCIUS *Tab. II. n.* 2. protulit; tum in eo differt, quod in area bullæ nostræ parmula Imperii non nisi Aquilam simplicem impressam habeat, secus ac altera, quæ bicipitem præbet alitem.

Accepta Romæ Cæsaris corona FRIDERICUS, Imperatorium quoque diadema, & Aquilam bicipitem suis in Sigillis adhiberi jussit. Exemplum hujus rei, ex tabulario *Wagenspergensi*, de anno MCCCCXLIII. edidit SCHOENLEBENIUS *Diss. Polem. Part. II. ad pag.* 123. quod & alibi oculis usurpavimus in protypis.
Tab. X. n. I. Plenam ejus descriptionem habes apud BOECLERUM in documentis ad ÆNEÆ SYLVII Historiam de rebus FRIDERICI *p.* 119. In plurimis convenit cum regio illo superiori Sigillo, a nobis jam exposito; exhibet enim Cæsarem in throno sedentem; capite tamen nonnihil inclinato, quod in superiori Sigillo magis erectum videtur, & corona Imperiali singularis formæ decorato, ad instar nimirum mitræ Sacerdotalis antiquæ. Eædem quoque hic conspiciuntur parmulæ, quæ ibi habentur; nisi quod illa, quæ a dexteris throno propius adhæret, non jam simplicem, verum bicipitem Aquilam Imperialem sistat. Inferius quoque ad pedes Imperatoris, loco quatuor illarum facierum junctarum, quæ ornatus tantummodo gratia in priori illo Sigillo annulari additæ videntur, rosa, cui super imposita decussatio est, hic cernitur, annulari quoque Sigillo ac typo impressa: nisi forte quatuor illæ facies jam detritæ, & oblitteratæ pro rosa habitæ, & delineatæ sint. In postica Sigilli parte, Aquila quidem biceps sistitur, sed in ipsa perigraphe FRIDERICUS etiamnum scribitur: ROMANORUM REX, contra quod in aliis, ut mox docebo, formulam adhibuit: ROMANORUM IMPERATORIS SEMPER AUGUSTI.

Sed

Tab: X.

Sigilla Friderici Placidi Imp: et Ducis Austr:

N:I. A. 1443.

4to N:I. A. 1443.

N.II. A. 1470.

4to N.II. A. 1470.

Sal. Steinar. fecit. Viennae.

K.

Tr. I. p. 26

Sed jam ſe noſtræ contemplationi offert egregium illud Sigillum FRIDERICI, quod ipſe appellavit SIGILLUM MAJUS DUCALE. Nihil facile offenderim in tabulariis excellentius, aut in illuſtranda hiſtoria Auſtriaca magis perſpicuum. Reperi autem illud, excitata fortuna, in chartario Abbatiæ S. Crucis Ord. Ciſter. pendens ex filis ſericis purpurei coloris ab inſtrumento anni MCCCCLXXIX. *ſign. Ciſt.* 2. *num.* II. Num. II. In antica parte FRIDERICUS apparet, ex perſona Cæſaris ſolio ſedens, ſub aulæo, formæ Gothicæ, cum habitu & Inſignibus Imperatoriis. Infra ſubjicitur minus Sigillum, annulo impreſſum, quod vero nihil aliud exhibet, quam duas parmulas, quarum altera a dexteris faſciam Auſtriacam, a ſiniſtris altera bicipitem Aquilam refert: his impoſita galea coronata, adjectis ſiglis: F. S. id eſt, FRIDERICI *Sigillum*, ſeu *Secretum*, litterisque vocalibus A. E. I. O. V. Contra in umbone majoris, circa imaginem Cæſaris quatuor utrinque, omnino, itaque octo ſcuta pendent; quorum quod a dextera parte primum, bicipitem Imperii Aquilam, quod ad ſiniſtram, Inſignia Hungariæ præbet. Sequuntur *quinque volucres*, *faſcia Auſtriæ* hodierna, ſymbola *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Marchiæ Slavonicæ*. Pars poſtica eundem FRIDERICUM ſiſtit equitantem ſub dio, ſcutis item octo ſuperne circum ſuſpenſis, adjectisque a dextera parte monogrammate, & quinque litteris vocalibus, quæ Cæſari pro ſymbolo eſſe ſolebant. Diceret quis, Cæſarem hac figura equeſtri quaſi compendio complecti voluiſſe, omnes illas dignitates & prærogativas, quas Marchiones, ac Duces ſtirpis Babenbergicæ ab Imperatoribus quondam Auſtriaco nomini impetraverant. Quod enim equo vectus in campo libero, circumpoſitis regionum Auſtriacarum Inſignibus, appareat, eo indicatur ſingulare illud privilegium, ex quo Ducibus Auſtriæ licet, ſecus atque aliis Principibus, in ſuo ſolo, haud in genubus, ſed ex equo ſe Cæſari in clientelam conferre. Reliquus quoque apparatus Ducum Auſtriæ auctoritatibus ad amuſſim convenit. Scilicet Dux noſter veſte talari amictus, pileum coronatum, & circulo regio inſtructum capite gerit, ſceptrumque impoſito globo manu tenet. Inſignibus Archi-Ducalibus modo vexillum, & gladius deſunt. Sed jam tum uſu exierat, quo minus in publicis celebritatibus gladius, & vexilla ab ipſis Ducibus gererentur; utpote ſigna per miniſtros aulæ anteferenda. Scuta illa, de quibus ſupra mentionem fecimus, ex parte iſthac Sigilli, cætera paſſim regionum hæreditariarum Inſignia referunt, puta *Portus Naonis*, *Habsburgi*, *Tirolis*, *Pherretarum*, *Kyburgi*, *Burgoviæ*, *Alſatiæ*, & *Provinciæ ſupra Anaſum*. Ex quibus rebus patet, eo Sigillo nihil novi (ſi monogramma, & ſymbolum FRIDERICIANUM excipis) in Auſtriaca Inſignia inductum eſſe; verum tamen in eo auctoritatem, & prærogativas Ducum Auſtriæ amplius, & luculentius, quam in vetuſtioribus quibusvis Sigillis equeſtribus eluceſcere. Perigraphe etiam plus momenti addit, quæ ex una parte hisce verbis concepta eſt: SIGILLVM. MAJVS. DVCALE. FRIDERICI. ROMANORVM. IMPERATORIS. SEMPER. AVGVSTI. HVNGARIE. DALMACIE. CROATIE. EC. REGIS. ARCH. AVSTRIE.

STIRIE. KARINTHIE. ET. CARNIOLE. DVCIS. Ex altera parte sic procedit: CROACIE. DALMACIE. SCLAVONIE. ET. PORTVS NAONIS. COMITIS. IN. HAPESPURG. TIROLIS. PHERRETIS. ET. IN. KYBVRG. MARGRAVII. BVRGOVIE. ET. LANDTGRAVV^e. ALSACIE.

§. XXIII.

ALBERTI VI. Archi-Ducis Sigillum.

PRiusquam ad MAXIMILIANUM I. prædicti FRIDERICI filium veniam, schema Sigilli, quo frater ejus, ALBERTUS VI. dictus PRODIGUS, ERNESTI FERREI filius, usus est, proferri oportet; ut dehinc pateat, quæ scuta, & Insignia Archi-Dux ille, extra regiam Cæsareamve dignitatem, in suis Sigillis adhibuerit. Talia autem Sigilla reperiuntur in tabulariis ad S. Crucem, & apud R. R. Patres nostros Benedictinos ad Scotos, affixa instrumentis, quæ data fuerunt anno MCCCCLX. Primum quidem instrumentum signatum *num.* 28. Sigillum pendet ex membranis; alterum vero, Scotense illud, ex filis sericis rubri, & nigri coloris, notatum *num.* 34. *lit. S.* Totum Sigillum in quatuor circulos divisum est. Medius horum tria scuta continet, proximus undecim complectitur, extremi duo perigraphen capiunt. In minore eoque medio orbe scuta *Austriæ* longe alia ratione composita video, quam olim ab usque temporibus RUDOLPHI IV. in Sigillis exhiberi consueverant. Nam in præsenti Sigillo superiore loco scutum eminet, quod *Quinque volucribus* insignitum; inferius ad dexteram apparet scutum cum fascia hodierna; ad lævam vero conspicua sunt Insignia *Styriæ*. In majore circulo undecim Insignia sequuntur hoc ordine: *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, *Tyrolis*, *Habsburgi*, *Alsatiæ* (quod ferme exesum est) *Pherretarum*, *Kyburgi*, *Burgoviæ*, *Marchiæ Slavonicæ*, *Portus Naonis*, & *Provinciæ trans Anasum*. Atque hic quoque videmus, in collocatione prædictorum scutorum, neque antiquitatis Insignium, neque dignitatis regionum veram rationem haberi. Verum numerus atque ordo Insignium a cujusque Principis, ac sæpe etiam sculptoris arbitrio pendebant. Perigraphe hac formula absolvitur: S. (id est *Sigillum*) ALBERTVS. DEI. GRACIA. ARCHIDVX. AVSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET. KARNIOLE. DOMINVS. MARCHIE. SCLAVONIE. ET. PORTVS NAONIS. COMES. IN. HABSBVRG. TYROLIS. PHERRETARVM. ET. IN. KYBVRG. MARCHIO. BVRGOVIE. ET. LANTGRAVIVS. ALSACIE. Qui tituli quamvis iis, quos Majores Archi-Ducis nostri habuerant, similes sint; breviorem tamen titulorum numerum adhibuit in ingressu diplomatis, atque eum quidem in hunc modum: ARCHIDVX AUSTRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, COMES TYROLIS. ETC. Ita liberum erat Principibus, modo plura, modo pauciora, modo omnia regionum nomina in titulis ferre; quod ipsum, si necessum foret, infinitis argumentis, ex Sigillis aliarum illustrium familiarum petitis, confirmari posset.

TAB. XI. n. I.

To. I. p. 28. Salomon Kleiner fecit.

§. XXIV.

POstquam differendi ordo nos ad tempora MAXIMILIANI I. jam deduxit, novus variorum Insignium in Sigillis Austriacis, in posteritate incomparabilis hujus Principis conservatorum velut campus aperitur. Contracto enim inter glorioſiſſimum Archi-Ducem, & MARIAM Burgundicam connubio, regionibus Austriacis, aliunde jam valde multis, tot regna, & provinciæ acceſſerunt, ut omnium ditionum Insignia in unius Sigilli modum vix amplius cogi potuerint. Pleraque etiam Sigilla, ab eo usque tempore, nonnullarum pluriumve regionum hæreditariarum Insignia omittunt; idque factum est, vel pro lubitu, vel pro adjunctis rerum ac temporum rationibus. Ubique tamen *fascia* hodierna, Austriacum Insigne adhibetur. Longum foret, omnes acceſſiones mutationesque symbolorum, quæ a regno MAXIMILIANI, sub Hiſpanica stirpe, pariter ac Styriaca atque Tyrolensi invaluerunt, in hanc recensionem referre. Verum nos jam huic labori supersedere possumus; siquidem stat nobis, de acceſſionibus ad Insignia Austriaca sigillatim dicere. Atque insuper celeberrimus OLIVARIUS VREDIUS egregio opere *de Sigillis Comitum Flandriæ* mutationes quasvis, usque a MAXIMILIANO ad PHILIPPUM IV. Regem Hiſpaniarum in Sigillis inductas, tam diligenter expoſuit, totque exemplaria Sigillorum attulit, ut eam collectionem merito, velut utile noſtri laboris ſupplementum commendaverim. Tum quoque multi hiſtoriarum, & juris publici commentatores, quos inter magni nominis est Cl. *Burcardus Gotheſf.* STRUVIUS, operam dederunt, a CAROLO MAGNO initium ducendo, usque ad CAROLUM VI. Imp. Sigilla, & ſimulacra Cæſarum a variis Scriptoribus collecta, ſerie non interrupta, in publicam lucem proferre. Proinde, quod ajunt, actum ageret, qui recentiora hæc Cæſarum, & Archi-Ducum Sigilla in examen revocare inſisteret. Quoniam tamen laudati OLIVARII VREDII Sigilla, aliquanto rariora, non in omnium verſantur manibus, exempli loco duo tantum Sigilla Equeſtria MAXIMILIANI adducam: cætera ſi lubet, apud dictum auctorem evolvi poterunt. In priore conſpiciuntur MAXIMILIANUS Archi-Dux, ejusque conjux MARIA, ambo equitantes; argumento, quod regimen Burgundiæ, ac Belgii penes utrumque fuerat. Epigraphe hujus est commatis: S. MAXIMILIANI. ET. MARIE. DEI. GRA. AUSTRIE. BURGUNDIE. LOTHARING. BRABANCIE. STIRIE. KARINTIE. CARNIOLE. LIMBURG. LUCEMBURG. GHELDRIE. DUCUM. FLANDRIE. TIROLIS. ARTHESII. Hæc in primo ordine: in altero ſequuntur: BURGUNDIE. PALATINI. HANONIE. HOLLANDIE. ZELANDIE. NAMURCI. ET. ZUTPHANIE. COMITUM. SACRI. IMPERII. MARCHIONUM. FRISIE. SALINARUM. ET. MACHLIN. DNORUM. 1477. Sed notandum: titulos paternos, Austriacis communes, qui in circuitu hujus Sigilli leguntur, atque in area ejusdem duobus ſcutis exprimuntur, omiſſos eſſe a MAXIMILIANO in diplomatum inſcriptionibus, Austriaco titulo excepto. Scutum porro Archi-

MAXIMILIANI I. ejusque posterorum Sigilla.

Num. II.

Ducis in hunc modum deſcribitur a CHIFFLETIO: *Quadripertitum eſt. I. quadrans teſſera Auſtriæ novæ, & veteris ab ſummo bipertitus. II. eodem modo diviſus, novæ & antiquæ Burgundiæ ſymbolo, hoc rurſus cum Brabantica teſſera bipertito. III. in longum tripertitus. primus laterculus Styriacus. 2. Carinthiacus. 3. Carniolenſis. 4. Burgundia veteri, Limburgo, & nova Burgundia eodem modo ſectus. Symbolis omnibus in medio impoſitum ſcutulum, Flandria, & Tyroli, eadem ratione diſpertitum.* In altero Sigillo MAXIMILIANUS apparet cum
Num. III. filio ſuo PHILIPPO, ſimiliter ex equis. Adjuncta porro Inſignia cum titulis ditionum Auſtriacarum, jam ſunt ſatis a laudato
Num. IV. auctore explicata. Coronidis loco unum adjicio MAXIMILIANI Regium Sigillum formæ minoris, quo in expediendis inſtrumentis, ad Auſtriæ Archi-Ducatum pertinentibus, ut plurimum uſus erat. Schema eduximus ex archivo Abbatiæ B. M. V. ad Scotos Wiennæ. In illo comparet uniceps Aquila. Nam recte monet Clar. VREDIUS, in laudato opere, *pag.* 149. quod MAXIMILIANUS jamjam Rex Germaniæ ſalutatus, & accepta Pontificis maximi aurea bulla, jam Imperator electus, ad annum etiamnum MDXVI. non niſi regio ejusmodi Sigillo uſus fuerit; attamen in Sigillo annulari, Aquilam bicipitem, Imperii Romani Inſigne, citius adhibuit: quo chartam firmavit anni MCCCCXCIII.

§. XXV.

Colores cereorum uti & ligaminum in Sigillis Principum Auſtriæ diverſi ſunt generis.

LIcuit quidem hactenus Inſignium icones, teſſeras, & figuras ex veterum Auſtriæ Principum Sigillis explicare; cum autem cera, cui Sigilli forma imprimitur, item Inſignium areolæ, & figuræ iis expreſſæ, necdum illis temporibus, uti nunc fit (ad artis Heraldicæ placita) ſtriis ſtrigibusque, aut punctis fuerint diſcretæ; nequeunt utique in Auſtriacis illorum temporum ſcutis colores dignoſci. In coloribus Sigillorum Auſtriacorum occurrit quidem diſcrimen; alia enim comparent lutea, modo alba, nunc rubra: alia mixta, quæ vel ex una parte alba ſunt, in contra-ſigillo autem, vel rubrum, vel viride habent, vel plane rubra, aut viridia luteæ ceræ, veluti capſulæ, incluſa: vel denique ex altera parte rubra, altera alba ſive lutea apparent. Verum iſta non proſequi-
z mur; nam hujusmodi variatio, monente Clar. HEINECCIO (z) ab aliis quoque Principibus obſervata fuit; ut ejus generis coloribus ſe a vulgo diſtinguerent. Vetuſtiora illa Marchionum, & Ducum noſtrorum, lutea erant. Imperante ALBERTO I. ex cera alba ſunt confecta. Sæculo dein XIV. variant colores, nunc alba comparent Sigilla, munita, ac quaſi incluſa lutea cera: nunc rubra, cera alba circumdata: jam in contra-ſigillo alius ceræ color, quam in antica.

Eadem fere eſt ratio cum ligulis, ſeu ligamentis Sigillorum. Adulto enim ſæculo XII. cœperunt Proceres in Germania Sigillorum
aa innexorum loco, penſilibus ſive appenſis uti; (aa) nullus tamen certus color ex dimiſſis ligulis, filis ſeu quibusvis ligaminibus deducitur, quem Inſignibus recte tribuas. Ut enim multorum Sigillorum

(z) Syntag. de Sigill. P. I. c. VI. p. 50. (aa) Idem ibid. p. 171.

lorum vincula alia non erant, quam fragmenta membranæ, ex ipſo plerumque inciſo inſtrumento deſumpta, atque hinc ligamen dependens ejusdem pellis, ejusdemque coloris cum reliqua inſtrumenti membrana; ita quoque colores filorum, ad liganda Sigilla tortorum, pro arbitrio cujuslibet eligebantur. Hos ego ſingulari primum cura examinavi, ut fuerint ſubinde mutati, aliisque temporibus alii; ſed tam eos ſum varios tamque incertos expertus, ut nihil inde de Inſignium Auſtriacorum coloribus recte affirmari exiſtimaverim. Ex multis tamen antiquiſſimas aliquot chartas Auſtriacas exempli & curioſitatis cauſſa notabo, unde colorum in ligaminibus Sigillorum varietas explicabitur. Prima duo Ducum Sigilla membranæ appenſa inveni anno MCCXXXII. data. Hæc ſequuntur plura eaque ſimilia; atque FRIDERICUS Dux ſua quidem Sigilla ſericis dimitti filis fecit; colorque erat anno MCCXXXVI. purpureus. Ligula, qua GERTRUDIS an. MCCLIII. uſa eſt, rubro viridique diſcreta. Quæ contrario Reginæ MARGARETHÆ an. MCCLXII. frequens, ex toto candida. Eodem anno OTTOCARUS fila ſerica aurei coloris uſurpavit. RUDOLPHI Romanorum Regis Sigillum Majeſtatis comperi in tabulario San-Crucenſi, pendens ex membrana, quæ data fuit XIV. Kal. Julii MCCLXXIX.

Aliud RUDOLPHI Sigillum graphice deſcripſit *Wilhelmus* GÜRS Eccleſiæ *S. Stephani* Wiennæ Præpoſitus, in transſumpto diplomatis RUDOLPHINI de anno MCCLXXXIII. quo Cæſar in gratiam filiorum ſuorum ALBERTI & RUDOLPHI, privilegia a Romanorum Imperatoribus Auſtriæ Ducibus conceſſa, auctoritate ſua roboravit. Inſtrumentum transſumpti *Dat. Viennæ, Patavienſis Diœceſis in curia ſolitæ reſidentiæ noſtri Wilhelmi Præpoſiti MCCCCXXXI. Indict. IX. die Lunæ decima octava menſis Junii*, his fere verbis conceptum eſt: exhibitas nimirum fuiſſe litteras *Illuſtriſſimi Principis, felicis recordationis, olim Domini* RUDOLFI *Dei Gratia Romanorum Regis Semper Auguſti, ejusque, ut prima facie apparebat, Sigillo rotundo ceræ communi impreſſo, in filis ſericis, crocei, viridis, & fuſci coloris, dependente ſigillatas. In cujus Sigilli medio quædam imago ad inſtar Imperatoris, cum Inſigniis Regalibus, in ſolio Majeſtatis ſedentis, ſceptrum in dextera, & pomum cum cruce in ſiniſtra manibus habentis, cum tali circumferentia litterarum* † RVDOLFUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. Hæc ex Cl. DVMONTIO (bb) adnotare placuit, ut conſtet: quod jam tum ſæculo XV. in diſcuſſione chartarum, ac diplomatum ratio fuerit habita non modo ad membranam, & contextum ſcripturæ, ſed etiam vel maxime ad formam Sigilli, ad qualitates ceræ & ligaminum, horumque colores, quæ omnia tum ſingula præſentis noſtræ tractationis ſunt argumentum. bb

ALBERTO placuit filis ſericis aurei, & viridis coloris uti anno MCCLXXXVI. proximo autem viridis rubro permixti, annoque MCCXCVI., aureo rubri. Poſteri quoque ALBERTI I. ſeu ſcribæ verius, quibus expediendorum diplomatum negotium erat, poſterioribus etiam temporibus alii alios, modo flavum cæruleo, modo rubrum flavo, tum aureum rubro, mixtos colores pro ſuo quis-

(*bb*) Corps Diplomatique ad an. 1283. num. 479. p. 252. col. 2.

quisque ſenſu adhibuerunt. Prima, quæ mihi ad manus pervenerunt, Sigilla ligaminibus *candidis* cum *rubro* apta, LEUPOLDI fuerunt, & ALBERTI de an. MCCCLXXXIV. Eosdem colores, WILHELMO, LEUPOLDO, & ALBERTO auctoribus, in archivo Civitatis Wiennenſium vidi, de anno MCCCXCVI. Anno MCCCCLXXIX. ſignum FRIDERICI Imperatoris, majoris moduli, fila ſerica purpurei coloris ſuſtinent, quod oculis uſurpavi in archivo S. Crucis. MAXIMILIANI I. primum fuit de anno MDXVII. Sigillum, cujus ligulam hodiernis Imperatorum coloribus nexam, mihi cernere licuit, videlicet *nigrante* ſerico *auroque* diſcretam. Nec in his tamen coloribus perſeveratum. Nam anno hinc MDXXVI. datum, a FERDINANDO I. Sigillum ſubinde mihi ſe obtulit, idque filis ſericis rubris, intexto auro, dependens.

§. XXVI.

Concluſio, & tranſitio ad ſequentia.

CÆterum ex monumentis publicæ auctoritatis oſtendiſſe ſufficiat, cujusmodi fuerint Sigilla Marchionum, & Ducum Auſtriæ vetuſtis illis temporibus, quando primum Sigilla Equeſtria Principibus in uſum venerunt, tum ſequenti ævo, ad ætatem usque MAXIMILIANI I., qua ratione comparata, quæ in illis ſcuta, & Inſignia exhibita, ut hæc mutata, aucta, transpoſita, quales denique colores in Sigillis horumque ligaminibus reperti. Nunc quidem dicendorum ordo aurem nobis vellit: agendum jam eſſe de acceſſionibus ad Sigilla, & Inſignia Auſtriaca, monſtrandumque ex veterum monumentis, ut ſenſim teſſeræ, & ſymbola regionum regnorumque, ſervata temporum ſerie, iis accreverint. Verum tamen hunc laborem tantiſper prolatabimus; prius enim quæſtiones aliquot Hiſtorico-Criticas, quas nobis allata hucusque Sigillorum ſchemata in animum referunt, ſejunctis Diſſertationibus diſcutere conſtitutum habemus. Etenim cum in Sigillis Auſtriacis nihil frequentius recurrat, quam ſcutum cum *faſcia alba*, *in area rubra*, itemque alterum cum *quinque volucribus* expandentibus alas: quorum illud pro *ſcuto recentiori* habetur: hoc vero, *alaudas* nimirum, ut ajunt, referens, *vetus* Auſtriæ *Inſigne* ſignificare, plerique ſcriptorum contendant; operæ omnino pretium me facturum exiſtimavi, ſi adcuratiori mentis trutina primo examinem: quid de *ſcuto* Auſtriæ *veteri* ſentiendum, & an depictæ in illo quinque volucres *Alaudæ* fuerint? Altera quæſtio dein ventilanda: quo tempore, & auctore *Faſcia* hodierna pro Inſignibus Auſtriæ ſuſcepta ſit.

DISSER-

DISSERTATIO II.
DE
SCUTO VETERI PRINCIPUM AUSTRIÆ.

§. I.

MAxima usquequaque fuit circa priſci temporis acta ac geſta credulitas: nec ulla in re magis Scriptores, medii præſertim ævi, qui ea poſteris prodiderunt, impune hallucinabantur. Mirum enim quantum illorum ſcriptis ubique fidei fuerit; quod eam nemo meliora doctus infringeret: ut ſic homines ejus, quod ſemel traditum erat, retinentiſſimi, non tantum crederent, ſed & nefas ducerent, aliter opinari. Atque hæc credendi facilitas ab ipſa ætate majorum convaluiſſe videtur; cum nemo non inter rudes etiam artium homines exiſtimari eruditus vellet; verum pro ſe quisque memoriæ antiquitatis conſulere intendens, ſine errandi, aut aperiendi potius erroris diſcrimine, Græca Romanis, & rebus utraque noſtris miſcere non dubitaret: quo factum, ut in tuto quaſi, & pacato omnes errore, dum nemo oppugnaret, verſarentur. Ubi vero in enarrandis rebus geſtis liberior rationis uſus, & eruendæ veritatis major cœpit eſſe induſtria; tum vero ignota multa e tenebris in lucem prolata, atque etiam longe aliter, ac antea credebatur, comperta fuere. Quin error eousque ſæpius invaluit, ut oculatiori nunc etiam ſæculo doctis dolis glaucoma objecerit; donec ipſa tandem vix ulli in opinionem veritas veniret. Talis mihi videtur circa Inſignia veterum Marchionum, & Ducum in hiſtoriam Auſtriacam illapſa hallucinatio. Cum enim CUSPINIANUS, (a) & tum potiſſimum LAZIUS (b) fidem hominibus feciſſent, aves, *Alaudas* ſcilicet, antiqua *Auſtriacorum Inſignia* fuiſſe: hoc ita eſſe, gentemque Babenbergicam *Alaudas* ſcuto geſtaſſe, poſteritati facile perſuaſum. Quod vero ita traditum, ab omnibus porro creditum, & pro certo usque adeo fuit affirmatum, ut jam vix ultra ea de re vel minimum dubitandi locus eſſet.

Opinatio communis de quinque *Alaudis* in veteri ſcuto Auſtriaco.

a b

§. II.

FAteor, dum hæc paſſim apud Scriptores rerum Auſtriacarum ita legiſſem, atque adeo in Sigillis & nummis ævi poſterioris, *veteri ſcuto Auſtriaco*, aviculas in hodiernum usque diem delineatas, inſculptas, cælatasve meis vidiſſem oculis,

Adducitur in dubitationem.

(a) In vita FRIDERICI II. Imp.

(b) De Rep. Rom. & lib. 5. rerum Viennenſium cap. 6.

me quoque arbitrari occœpisse : *quinque aviculas* Domus Babenbergicæ *Insignia* fuisse *gentilitia*, ab Archi-Ducibus inde ipsis ob gloriam vetustatis susceptа, & sic ad nostra usque tempora permansisse. Postea vero quam monumentorum Austriacorum investigatione excitus, antiquiora Monasteriorum archiva dispicere, & reperiunda ibi Sigillorum Babenbergicorum autographa evolvere mihi contigit; mirabundus de principio, atque incertus animi, Insignia alia non vidi, quam *avem* unam, *Aquilæ simplici* perquam simillimam. Tum rei exquisitius indagandæ caussam nactus, pro mea parte operam dedi, ut constaret, quo revera scuto, quibusve Insignibus, Marchiones quondam & Duces nostri in documentis suis, aut dandis diplomatibus, fuissent usi.

§. III.

Sententia nostra, quæ *Aquilam* unam pro Insignibus Marchionum, & primorum Austriæ Ducum constituit.

HUnc in finem Sigilla veterum Marchionum & Ducum, quot-quot haberi poterant, ex archivis eruere, & ipse inspicere conatus sum, atque insuper perfecte delineanda curavi; uti eorundem ectypa jam præcedenti Dissertatione cum erudito Lectore summa fide a me communicata sunt. Neque frustra fui; etenim per multos sane Marchiones & Duces Sigillorum, quæ consequi licuit, ordo ivit. Ast nullibi in illis apparuerunt *quinque Alaudæ;* ad unum vero omnia, in sæculum usque XIII., donec nempe virilis ex stirpe Babenbergica soboles esset, hoc est ad tempora Friderici Bellicosi, *Aquilæ* figura insignita erant. Unde in eam tandem merito sententiam adductus sum, ut omnino censerem, antiqua Austriæ Insignia nunquam *quinque Alaudas*, sed avem dumtaxat unam, Aquilæ persimilem, immo *Aquilam* ipsam continuisse.

§. IV.

Probationes disponuntur.

JAm ut & benevolum Lectorem, qui a præconcepta forte opinione liberari cupit, ab eorum sententia, quibus *Alaudæ* placent, in meam de *Aquila simplici* adducam, satis, opinor, erit, ostendisse, primo: Insignium originem, & antiquitatem Marchionum & Ducum Austriæ, non quidem ab antiquis Romanorum monumentis, neque a provincia, sive regione Austriaca, sed ex ipsis Marchionum & Ducum Sigillis esse deducendam. Deinde vero, Marchiones & Duces Austriæ ex gente Babenbergica nunquam *quinque Alaudis*, verum post omnem hominum memoriam *Aquila simplici* pro Insignibus usos; ut ut ad tempora recentiora, sæculum puta XIII. præter Aquilam, *duos Leones*, in Sigillis tantum contrapositis expressérint; tum demum sæculo XIV. circa tempora Rudolphi IV. ex stirpe Habspurgica oriundi, *quinque aviculas*, Aquilam (si Diis placet) fugantes, in hanc Austriaci scuti aream involasse; nec minus tamen etiam figuram *Aquilæ*, seclusis *Alaudis*, ad sæculum XV. usque permansisse: hæc, inquam, si comprobavero, nullus dubito, quin Lector benevolus in meam ocyus sententiam iturus sit, atque *Aquilam* (quæ quidem postea numero tantisper aucta fuit) nequaquam vero *quinque Alaudas* veterum Marchionum ac Ducum Austriæ *Insignia* fuisse, mecum enuntiabit.

§. V.

§. V.

Insignia, quæ a *Legione Romana* deduci solent, primis Austriæ Principibus, ex sanguine *Babenbergensi* oriundis, tribui haud possunt.

QUod primum illud concernit: amplissimus quondam erat aberrandi campus, & consuetudo minime probanda, antiquas Germanorum res in monumentis Romanorum consectari; tametsi mores harum gentium tantum inter se differrent, quantum Tiberis distat Rheno, aut Danubio. Ita olim, rebus patriæ relictis ac neglectis (quod utinam nunc quoque non fieret) Romanas antiquitates omni cura & animo perscrutabantur; & si quid inde in historiam Germanicam trahi aliquomodo poterat, id avide amplexi, ad stabiliendam novam ex eo doctrinam adhibuerunt. Quid plura? exemplum in manibus: etenim, cum quædam antiquæ inscriptiones Romanæ in regione Austriaca invenirentur, hæc inter alia continentes verba: *Legio Al. Ala. Alaud:* ea statim pro legione *Alaudarum* interpretabantur, rei subin novæ *Alaudas* aliquot, velut hieroglyphica nominis illius emblemata, Insignibus indita, nullo prorsus negotio affingentes. Unde & fama manavit, *Alaudas* quondam Austriæ pro *Insignibus* fuisse. Atque hoc solo nomine præfati Duumviri CUSPINIANUS, & LAZIUS (c) audacter asserunt: *A legione Alaudarum, Insignia primis Marchionibus Orientalibus, sive Austriæ, quinque aurearum Alaudarum in Cœlestino clypeo picta fuerunt.* Mira Insignium auguria! Ego quidem operæ pretium haud duco, verum quibus plus vacat, discipiendum relinquo, quam firmum sit inscriptionis prætextæ, de *Legione Alaudarum* fundamentum, & solida fides? Quin & hoc plus dubii habet, quam ut nunc dicam, (d) aut definiam: hæccine legio (quæ dubio procul *Decima* fuerit, *Gemina*, seu *Germanica;* aut *Decima quarta;* nam ut testatur Cl. LAMBECIUS (e) in Pannonia Superiori *Vindobona*, & *Carnuntum* Decimæ, & Decimæ quartæ Legionum Romanarum erant primariæ sedes) in vexillis, seu signis militaribus, *Alaudas* gestaverit, & ab iis *Alaudicæ* nomen acceperit; quemadmodum ab Aquila *Aquiliferi*, a Dracone *Draconarii*, qui nimirum *Dracones* per singulas cohortes ad prælium præferebant, fuere appellati. Enim vero id potius adversæ sententiæ auctoribus incumberet demonstrandum: quod quomodo præstiterint, sibi videant. Siquidem prima Romanorum signa sub Regibus fuerunt *fæni manipuli*, teste OVIDIO: (f)

c

d

e

f

Pertica suspensos portabat longa maniplos.

Item consularia quinque; tandem Aquila sola. (g) De *Alaudis* vero Legionis X., vel XIV. ne verbo quidem refertur. Sed fac, ejusmodi quondam Legionem Romanam in Austria viguisse, *Alaudas* in signis militaribus præseferentem, & *Alaudicam* inde dictam (quamquam Cl. de LUDEWIG in suo *de Juribus feudorum* edito opere nos clare contrarium doceat; (h) quod nempe Romani transalpinas cohortes *Allaudes*, non ab *Alaudis* nomine deducto, sed a voce Gallica *Allode* dixerint) siccine eam ob caussam Austria tot sæculis

g

h

(c) CUSPIN. loco supra cit. §. I. LAZ. lib. I. rer. Viennens.
(d) Vid. WESSEL. in not. ad Ant. itiner. pag. 255.
(e) Comment. de Biblioth. Cæs. l. 1. p. 86.
(f) Fast. lib. III.
(g) PLIN. lib. 10. c. 4. Conf. Phil. Jac. SPENERI Op. HERALD. pag. 42. Add. LIPSIUS de militia Rom. l. 4. Dial. 5.
(h) Cap. 3. pag. 100.

culis usque a Roma florente lapsis, tot populorum migrationibus, tot incolarum vicibus, tot rerum casibus mota & exagitata adeo, ut non tantum fines, verum etiam nomen ipsum crebro mutaverit
i (id quod Cl. *P. Hieronymus* PEZIUS singulari Dissertatione (i) non minus erudite, quam solide confirmavit) tot deinde honoribus aucta, quot cladibus subacta, ab OTTONE I. Imp. & Rege Germanico *Marchionatus*, & a posteris hinc Imperatoribus *Ducatus* titulo insignis; Austria tot, inquam, rerum vicissitudinibus defuncta, adhuc tibi videtur usque a Legione Romana *Alaudas* pro Insignibus sortita, & per omnes casus tamdiu retinuisse, donec Insignia nova, quæ *Fasciam* tenent, sæculo tandem XIII. orta, in hodiernum usque diem celebrarentur? Itane vero? similis hæc foret argumentatio nonnullorum argutiis, nugas dixerim, qui in indagandis primordiis Augustæ Domus Habspurgicæ; ideo quod *Vindonissæ* olim colonia, atque *Legio Ramana* constituta fuerat, *Comitatum Vindonissensem*, inde & stemma Habspurgicum trahere (si
k Superis placuisset) annisi sunt. Verum jam alibi (k) ostendimus, res nostras Romanis haud temere miscendas esse, nec tuto hinc quidquam deduci; adeoque res gestas Germanorum, moresque vix, & ne vix quidem a Romanorum antiquitatibus repeti debere. Præclara sane majorum facinora, omnem sibi nostram, & posteritatis memoriam sat merito vindicant, quibus fines & ipsi sæpius Imperio Romano posuerunt, quoad potirentur omnino. Proinde virtutis laudem, clararum in Insigni gente sobolum origines, & Insignia, indubitata rerum patriæ documenta, æras & initia, aliasque ad historiam Germaniæ spectantes res, ex ipsis potius virtutis Teutonicæ fontibus, torrentis modo terras olim inundantibus, nos haurire oportet, quam ex puteis alienis: id quod recte monet *Marcus* VELSERUS, Vir in patriæ antiquitatibus versatissimus, dum de rebus Augustæ Vindelicorum tractans, ait: *Quamvis Romani & omnis ante Romanos antiquitas, symbolis, quæ signa & Insignia dicimus, uti consueverit; quippe nec exercitus sine Aquilis, Draconibus, vexillis* (*muta signa* VEGETIO, *ad distinctionem vocalium, & semivocalium*) *neque fere Heroës apud Poëtas sine clypeorum imaginibus, neque signatoriæ gemmæ sine cælatura, neque pleræque urbes absque symbolis: hæc tamen ad unum aliquod idem perscriptum cum nostri ævi Insigniis non exigenda sunt; falluntur admodum, qui exigunt, & res, quas ex eodem fonte naturæ parentis instinctu haustas fatemur, sed alio, atque alio ritu, prout temporum ferebant consuetudines, constitutas*
l *fuisse videmus, imperite confundunt.* (l) Tandem nos infra commonstrabimus, ordinem, & initia Insignium in Germania, ex ipsis patriæ documentis constare. Cum enim illorum usus sæculis demum circiter XI. & XII. esse cœperit (omnium namque antiquissima habentur, quæ sæculo X. Comites Flandriæ promulgarunt) ultro patebit, errore facile lapsuros, qui supra id tempus, aut a Romanis prorsus, rem repetendam existimaverint.

§. VI.

(i) Tom. I. Script. rerum Aust. Diss. II.
(k) Genealog. Diplom. Aug. gentis Habs. Proleg. IV.
(l) Sententiæ huic adstipulatur Cl. Scriptor Gallus MENESTRERIUS in libello, qui inscribitur: Origine des BLASONS.

§. VI.

MUlto etiam minus (quod ad alterum attinet) oſtendi poteſt Scriptor æqualis, aut ſuppar, cujus fide aſſeratur, *Provinciam Auſtriæ* jam pridem atque etiam tunc *quinque Alaudas* pro Inſignibus habuiſſe, cum in Sigillis Marchionum adhuc adhiberetur *ſimplex Aquila.* Siquidem hujusmodi aſſertio in hiſtoriam & doctrinam de origine Inſignium valde impingit. Cui enim, doctrina hac vel leviter imbuto, in mentem venire poteſt: *regionibus* prius certa, ac ſtata Inſignia decreta eſſe, quam *Dominis* ipſis, ac *Principibus;* qui provincias, olim nomine Imperii adminiſtratas, ſenſim ſibi, gentique ſuæ proprias fecerunt? Itane *cives*, & clientes ante *Principes* ſuos auctoritatem, & jus Inſignium habuerint? Cum hi tamen ab ipſo Inſignium ortu eo ſplendore non modo civibus, ac nobilibus minoris ſubſellii, ſed & aliis perinde illuſtribus prælucere conarentur. Unde enim pleræque provinciæ nomen habent, hæ *Comitatus*, illæ *Marchionatus*, iſtæ *Ducatus?* Unde eſt, quod *Terra Auſtralis*, ſive *Oſterrichia*, tot mutationes ſubierit; ut primo *Marchionatus*, deinde *Ducatus*, tandem *Archi-Ducatus* nominaretur, niſi ab incrementis Principum, & aucta Dominorum dignitate? Cum igitur Duces Auſtriæ regioni honores ſuos non debeant; contra regio a Ducibus nomen acceperit, fingi non poteſt, hos ab illa mutuatos eſſe Inſignia. Ex quo & illud, quod hic contendimus, ratum & apertum fit: *Terram Auſtralem*, quæ hodie *Archi-Ducatus* nomine venit, prius ſtata ſua Inſignia habere non potuiſſe, quam Comitibus Babenbergenſibus cum titulo, & dignitate *Marchionum* in poteſtatem traderetur. Aut cui, quæſo, provinciæ jam IX. Chriſti ſæculo, vel ineunte X. Inſignia fuiſſe putas; cum nondum eſſent Principibus? Enim vero (quod jam ſupra innuimus) communis eſt, quam ſimul ratam fecit multa doctiſſimorum virorum peritia, norma: ante ſæculum circiter XI. aut XII. vel nulla omnino fuiſſe, vel rariſſime in Germania illuſtrium familiarum, multoque adeo minus regnorum aut provinciarum, uſpiam (adeoque nec in Auſtria) Inſignia in uſum veniſſe; quippe quæ ab ipſis plerumque Dominorum ſcutis duxerunt originem, vel iis etiam poſtea a Romanorum Regibus, ac Imperatoribus collata ſunt. Nec regulæ huic obſtat SPELMANNI locus, aſſerentis: *Multis nec ignobilibus familiis ſua defuiſſe Inſignia, etiam usque ad Henrici VI. ætatem;* hoc enim explicandum eſt de iis, qui nullo bello, aut ludis Equeſtribus interfuerunt, ut docet MENESTRERIUS. (m) Nam ſi omnino rem alte repetere, & quaſi ad carceres revocare velimus, varii utique, & inſtabiles occurrent veteres Auſtriæ coloni: *Azali*, *Boji*, *Marcomanni*, *Quadi*, *Wandali*, *Hunni*, *Oſtrogothi*, *Heruli*, *Thuringi*, *Rugii*, *Slavi*, *Hungari*, (n) aliique, a quibus, etſi varium regioni, ut totam, vel diviſam tenerent, aut relinquerent, nomen eſſet; Inſignia tamen cum nominibus dediſſe, aut ulla unquam geſtaſſe, conſtanterve, velut propria, diverſas has gentes retinuiſſe (quod poſtremum hic maxime in controverſia poſitum eſt) qui conſtat? Quin difficilius adhuc foret *Quinque Alaudas*

Provinciam Auſtriæ olim *quinque Alaudas* Inſignium loco celebraſſe, præter fidem poſtulatur.

m

n

(m) Loco cit. cap. 4. p. 109.

(n) Conf. P. Hier. Pez. l. cit. Diſſ. III.

hinc aucupari. Sed esto ? tot igitur Austriæ Insignia celebrata fuissent, quot eam ante adventum Comitum Babenbergensium diversæ gentes incoluere; quod tamen cuipiam in opinionem hactenus venisse dubito. Cæterum inficias ire nolo, & his populis singularia, ut arma, sic item scuta fuisse; quamvis hodierno more Insignibus nondum decorata; siquidem narrante CORNELIO TACITO, Scuta Germanorum *lectissimis coloribus* distincta dumtaxat
o obducebantur. (o) At vero jam non hic de coloribus, sed de *Quinque Alaudis* quæritur: quas nobis, qui ante usum Insignium in Germania susceptum, monstraverit, erit mihi Magnus Apollo?

§. VII.

Instauratur argumentum.

ARgumentum a me hactenus adductum ex eo porro roborari potest; quod Austriæ rectores ex gente Babenbergica, *Ducum* dignitatem necdum adepti, sed *Marchionum* adhuc titulo gaudentes, suis jam usi sint Insignibus. Quemadmodum de ERNESTO, & LEOPOLDO *Sancto* clare ostendi potest. Verum ea Insignia non *quinque Alaudas* præferebant, sed figuram tantummodo *simplicis Aquilæ*. Unde etiamsi per fictionem quandam in provinciæ scuto quinque Alaudæ ponantur; tamen non sequitur, Marchiones, vel Duces Austriæ inde quoque sua Insignia accepisse; maxime cum ad tempora usque RUDOLPHI IV. quinque volucres in nullo Austriæ Principum clypeo compareant. Quod si autem ab ERNESTI Marchionis tempore etiam provincia Austriæ *quinque Alaudas* pro Insigni habuisset; usus utique ac necessitas postulasset, illico scutum gentilitium a Marchionibus mutari, *symbolumque provinciæ* recipi, aut saltem priori scuto adjungi; quatenus nempe per aliquod Sigillum auctoritatis demonstrare publice convenisset, se Rectores, & Dominos illius esse provinciæ, quæ *quinque Alaudas* in clypeo præbuisset. Etenim *Sigilla Equestria*, seu (ut vocant) *Auctoritatis* ad hoc præcipue destinata erant, ut signum summæ dignitatis, ac potestatis ferrent. Siquidem nobilibus inferioris gradus ejusmodi uti Sigillis non licebat. Opus igitur fuisset Marchionibus ipso regionis Austriacæ symbolo, ad demonstrandum in eam jus, & dominatum: prout revera factum in præcedenti Dissertatione ostendimus: quando nimirum Duces nostri, conjuncto cum Austria Ducatu Styriæ, *Pantheram*, Insigne hujus regionis, cum *Fascia Austriaca* composuerunt. Unde si provincia Austriæ *quinque Alaudas* ante pro Insignibus habuisset, quam sua Marchiones gentis Babenbergicæ sumpsissent; alia hi certe sumere nequivissent, quam easdem quinque aves: *Aquila*, quam solam adhuc præbuerant, aut omissa, aut saltem cum his conjuncta. Verum enimvero ne unum quidem Sigillum auctoritatis Ducum nostrorum ante exitum XIV. sæculi ostendi potest, ut modo diximus, in quo ulla species *quinque avium* designata sit. Rationi autem non convenit, quod Marchiones a medio sæculo XI. post initium usque sæculi XIII. continuo figuram *Aquilæ* pro avito Insigni habentes, ejusque loco deinde *Fascia* usi, circa finem demum XIV. sæculi

(o) Adde IRENICI Exegef. Germ. lib. 4. cap. 24.

culi consultum habuerint, indicio *Insignium* Provincialium se DUCES AUSTRIACOS ferre. Immo ego contra exempla proferam: Ducibus non fuisse Insignia provinciæ, sed civitatem *Vindobonensem*, quæ est provinciæ metropolis, Insignia Ducum stirpis Babenbergicæ in Sigillis præbuisse.

Novimus quoque, Ordines Austriæ Inferioris, qui utique provinciam, atque Archi-Ducatum Austriæ referunt, *Fasciam*, ab ipsis Ducibus olim assumptam, hodierno etiam tempore in Insignibus exhibere. Quamvis & hoc lubens cnoceſſerim: inclytos Austriæ Ordines jam a trecentis circiter annis, vel si mavis dicere, ante quadringentos, & quod excurrit, annos, in unum corpus coaluisse, seu rerum statum, qui hodiedum durat, iniviſſe; qui tamen & suas subinde habuerit vicissitudines: præterea jam ante adventum Comitum Babenbergensium, quin jam tum ævo Carolingico, in Austria fundatas fuisse Ecclesias, erecta Cœnobia, constitutos Dominos ac Dynastas, Nobiles ac Equites, immo & cives sub primis deinde Marchionibus se conjunxisse. Attamen nulla ratione monstrari, longe minus ex legitimo antiquitatis monumento doceri potest, celebratissimos Austriæ Ordines ac Status, hoc est, Provinciam Austriæ, vetustissimis illis temporibus, vel Insignia habuisse propria, vel in scuto *quinque Alaudas* usurpavisse. Quamobrem concludendum tandem pro nobis erit: provocationem ad scutum *Provinciæ Austriacæ* erraticum, & inane effugium esse.

§. VIII.

FOrsitan autem allatum a me exemplum ex Insignibus *Styriæ* petitum contra sententiam nostram pugnare quis existimabit; eo quod exinde confici videatur: Duces a provinciis, & ducatibus Insignia suscepisse; proinde uti *Styria* sua Insignia, *Pantheram* nempe, in scuto habuit, ita ducatum Austriæ *quinque Alaudis* gavisum esse. Verum ut tale ex eo argumentum, ab adversæ sententiæ factoribus formari contra nos posset, prius ostendendum foret: provinciam *Styriæ* Panthera pro Insigni usam, antequam Domini ejus sua fortiti sint arma gentilitia; aut primos Styriæ Dominos, *Pantheram*, non velut tesseram gentilitiam, suæ familiæ propriam habuisse, sed ut *symbolum provinciæ* in suum convertisse usum. Id vero ostendi posse omnino negamus. Damus equidem lubenter, posteriori ævo, cum jam Insignia gentilitia sua cuique Principi decreta erant, Duces, quin & Reges, & Cæsares, interdum nova Insignia a provinciis, & regnis sumpta, prioribus, quæ ad imagines familiæ pertinebant, adjunxisse: prout hoc varia, quæ in monumentis rerum Austriacarum occurrunt, exempla prorsus confirmant. Ita OTTOCARUS Rex Bohemiæ, Austria adepta, *Fasciam Austriacam* in Sigillis ostentavit. Sic quoque ALBERTUS I. Austriæ Dux renunciatus, hujus assumpsit Insignia. ALBERTUS II. dictus SAPIENS avitis suis Austriæ Insignibus *Pisces Pherretanos* addidit; quia *Comitatum Pherretanum* genti suæ comparaverat. Pari ratione *Aquilam Tyrolensem* adscivit RUDOLPHUS IV. Item MAXIMILIANUS I. plures Burgundiæ, ac Belgii tesseras in suum clypeum

Nec juvat, quod Duces Austriæ Insignia Ducatus *Styriæ* adsciverint.

peum recepit. PHILIPPUS I. multa regnorum Hiſpanicorum ſymbola clypeo gentis Auſtriacæ intulit. Neque enim aſſerimus, Principes recentioris ævi, illis regnis, ac provinciis, quoquo jure recens adquiſitis, quæ jam ſuis inſtructæ erant Inſignibus, alia demum contuliſſe arma gentilitia. „ Notum eſt enim (docente VI-
p „ TRIARIO) (p) Inſignia interdum augeri novarum ditionum ad-
„ jectione, aut abalienatione minui; nonnunquam etiam mutari ex
„ libitu Domini; aliquando, ſi familia, cui Inſignia adjuncta erant,
„ intereat, expirare. Neque etiam pro regula certa ſtatuimus: omnes provincias Inſignia ſua a Ducibus, ac Dominis habere. Quamvis non deſint graviſſimi Auctores, qui doceant: civitates, quæ Principibus, & Comitibus paruerunt, ex Superiorum Inſignibus ſua obtinuiſſe, iisque a Dominis ſuis donatas fuiſſe: (q) item
q ab ævo jam invaluiſſe, ut civitates Principibus ſubjectæ, Superiorum ſuorum deferant Inſignia; idque fieri, ut conſtet, illas velle Principibus ſuis ſubditas, & obedientes eſſe; cum in Signum Prin-
r cipatus, & eminentiæ ſuperimponantur arma. (r) Sed cardo rei noſtræ vertitur circa primigeniam Inſignium aſſumptionem, atque in eo potiſſimum: an ſymbolum provinciæ Auſtriacæ vetuſtius ſit teſſera Marchionum ex ſtirpe Babenbergica oriundorum? quod utique ob allatas hucusque rationes negandum eſt.

§. IX.

Dicere vero, a Ducibus Auſtriæ aliis in monumentis, extra clypeum, *quinque Alaudas* frequentatas eſſe, vanum eſt effugium.
s

PRæterea effugium & illud eſſet a fide Hiſtorica alienum, dicere: etſi Duces Auſtriæ in Sigillorum ſcutis *quinque Alaudas* non adhibuerint; tamen id feciſſe aliis in monumentis. CLYPEUS quippe proprium illud ſignum erat, in quo omnium primo Proceres, ac Principes Inſignia oſtentabant. Juvat conſulere doctiſſimum HEINECCIUM, cujus verba hæc ſunt: (s) *Quum familiæ potentia opibusque magis, quam ante, Cæſarum indulgentia florere cœpiſſent, conſultum exiſtimabant, ejusmodi ſibi adſciſcere Inſignia, quibus a cæteris diſtinguerentur, eaque* PRIMO SCUTIS, *deinde vexillis, poſtea galeis, ac denique ipſis equorum phaleris, propriisque veſtibus illeverunt, donec ſuccedente tempore res eo prolaberetur, ut integra ſcientia Heraldica, multisque regulis opus eſſe videretur.* Conſonat SPE-
t NERUS, (t) qui ait: *in ſolis clypeis hæc eadem familiæ Inſignia exarari cœpiſſe.* Cauſſam quoque, cur Inſignia primum in ſcutis exhiberentur, idem celeberrimus HEINECCIUS oſtendit, dum dicit: SCUTA *inter primaria Principum, Nobiliumque arma locum olim habuiſſe; inde factum, ut ea jam antiquis temporibus multis coloribus diſtinguerent, variisque imaginibus exornarent.* Priusquam ergo in uſum veniret *Inſignia* in *ſcutis* deſignare, Inſignia utique eſſe minime poterant; proindeque nullum vetuſtius monumentum reperies, Inſignibus Auſtriacis conſpicuum, quam eſt ipſum Auſtriæ *ſcutum.* Si vero ſcire velis, quibus olim ſignis, dignitatem, & eminentiam ſuam Proceres illuſtrarint, antequam uſus eſſet Inſignium, in arte Heraldica inſtructiſſimum audi MENESTRERIUM. „ Id
„ He-

(p) Jur. pub. Lib. III. tit. 13. ap. PFEFFING. pag. 1304.
(q) CONRING. T. I. p. 949. §. VI.
(r) HÖPPING. c. 6. Part. 7. n. 957.
(s) De Sigillis P. I. c. 10. p. 130.
(t) Op. Herald. P. gen. cap. X. p. 74.

„ Heraldicæ artis periti norunt, inquit, (u) quod antiquis tempo- u
„ ribus *Sigilla* Principum Comitumque, nudas ſubſcriptiones adhi-
„ bentium, loco Sigillorum, ipſorum ſaltem *imagines*, vel ſellæ in-
„ ſidentes (in judiciariæ poteſtatis ſignum) vel ſtantes thoraca-
„ tas, manuum altera plerumque ſceptrum, nudumve gladium,
„ haſtam vel vexillum &c. & altera *ſcutum*, ſive umbellam, *nullis*
„ *gentilitiis Inſignibus*, ſed ſtriis duntaxat lineisque exornatam, te-
„ nentes, adjectis in orbe, ſolo nomine & dignitate, retulerint.

§. X.

ET vero nihil certius, nec aliud manifeſtius monſtrandorum Inſignium Auſtriæ argumentum adduci poteſt, quam quod a Sigillis veterum Marchionum, atque Ducum deſumitur, quod ipſum jam ſupra innuimus, & ſequenti Diſſertatione uberius demonſtrabimus. In Sigillis enim ſcuta Principum, & Inſignia, quibus unusquisque ab initio uſus eſt, perſpicue cernuntur. Deinde niſi adquieſcamus in re terrarum ubique comprobata, Sigilla & Inſignia uniuscujusque generis familiæ notam, ac teſſeram ferre, eorumque varietate regiones, regna populosque diſtinqui: vana erit omnis hæc, qua late patet, de Inſignibus doctrina; immo etiam in ſcientia Genealogica omne illud lumen exſtinquitur, quo hactenus origines familiarum quæſitæ, atque illuſtratæ ſunt; denique magnam jacturam faceret res Diplomatica: ex quo tamen fonte liquidiſſima in rebus hiſtoricis argumenta ſcatent. Quid enim in confirmandis rerum geſtarum monumentis ab antiquitate peti poterit præſtantius, quam nomina familiarum, & Sigilla Principum? Attamen in quibusdam ſaltem familiis, nomina gentilitia & tituli, a comitatibus, ac provinciis aſſumpti, aliquanto tardius in uſum venerunt, quam Sigilla. Proinde imagines & ſymbola Sigillis impreſſa, ipſis aliquomodo nominibus gentilitiis antecellunt.

Inſignia namque Auſtriaca, horumque figura & uſus ex Sigillis Marchionum, & Ducum Babenbergenſium legitime eruuntur.

§. XI.

QUod ſi autem verum eſt, uti nemo facile negare poteſt: ſymbolum illud, quod Comites Babenbergenſes, ut primi Auſtriæ Marchiones, in antiquiſſimis Sigillis & ſcutis Inſignium adhibuerunt, atque ad nepotes poſterosque transmiſerunt, pro veris & primigeniis Inſignibus Auſtriæ reputari debere; certo definire licet, ea Inſignia non alia fuiſſe, quam *volucrem unam alas expandentem*. Neque etiam opus erit, ad hanc meam comprobandam ſententiam longius argumenta derivare; tot enim in Diſſertatione præcedente ad eam rem attuli fundamenta, & ſubſidia, ut nihil nunc ſuperſit, niſi ut ex adductis ibi factis hiſtoricis corollaria deſumantur, inſpectisque, quæ ex archivis deprompta in tabulis depinximus, Sigillis, brevia reſumantur ſummaria earum rerum, quæ ibi ſervato temporis ordine latius ſunt demonſtrata. Enimvero inibi oſtendimus, (w) ſuſcepto circa medium ſæculum Chriſti w

Quæ antiquis temporibus imaginem nonniſi ſimplicis avis alas pandentis referebant.

(u) De l'origine des armoiries ap. PFEFFING. in Vitriar. l. 3. tit. 13. p. 1025.

(w) Vide Diſſertation. præcedentem §. III. & ſeq.

XI. ab Auſtriæ Marchionibus uſu Sigillorum, ſymbolum ac teſſeram neutiquam *quinque Alaudas*, ſed ſimplicem fuiſſe volucrem. Quod ſymbolum etiam a poſteris Marchionibus, ac Ducibus ſine ulla mutatione aut acceſſione, usque ad exitum ſæculi XII. prolatum eſt. Ineunte quidem ſæculo XIII. ab HENRICIS Ducibus *de Medlico* duplicata ſunt Sigilla, ita, ut ex una parte volucris manſerit, ex altera vero, id eſt, in contrapoſito Sigillo, tantum apparuerint bini Leones, ſupra unum alter gradientes. LEOPOLDUS GLORIOSUS pariter ex una parte Sigilli ſimplicem volucrem, ex altera parte Inſignia Ducatus *Styriæ* adhibuit. Ex quibus ſic conſtitutis rebus plane pleneque conficitur, ab usque tempore ERNESTI Marchionis, qui avus erat S. LEOPOLDI, ad LEOPOLDUM Ducem, cognomento GLORIOSUM, Principes ac Rectores Auſtriæ, conſtanter pro Inſignibus *ſimplicem* adhibuiſſe *avem*, cujus temporis computus ad duo prope ſæcula aſcendit.

§. XII.

Avem hanc dicimus ſimplicem fuiſſe Aquilam.

EQuidem rurſus fateor, figuram avis, quæ in antiquioribus Sigillis Marchionum Auſtriæ exhibetur, parum diſtincte percipi. Nondum enim ſculptores ad eum artis gradum pervenerant, ut imagines, & ſymbola Sigillorum ſatis articulatim exprimerent. Ætas quoque, & repetita chartarum tractatio, ceræ nocet; unde figuræ in ea expreſſæ, nonnunquam exoleſcunt. Nihilo tamen minus auſim aſſerere, formam illius avis, quam Marchiones Auſtriæ pro Inſigni habuerunt, *ſimplicis* referre *Aquilæ* ſignum. Si enim in exputandis Inſignibus, de volatilibus maxime ex roſtro, lingua, cruribus, atque falculis judicium deſumendum eſt; neutiquam dubito, quin mens a præconceptis opinionibus libera, quæ in exhibitis præcedenti Diſſertatione tabulis, adcurate deſignata ſcuta & Inſignia contemplata fuerit, ea opera ex Sigillorum etiam vetuſtiſſimorum ſignis, rudi quamvis opere expreſſis, potiſſimum vero ex iis, quæ Tab. II. n. VIII. & IX. item Tab. III. n. I. habentur, clariſſime intelligat, non aliam eſſe formam illius avis, quam veteres Marchiones, & Duces Auſtriæ in ſcutis adhibuerunt, niſi *Aquilæ*. Cæterum non ſum ſollicitus operoſe exquirendi, quam Marchiones quondam cauſſam habuerint, *Aquilam* potius, quam aliud quodvis genus animantium, pro Inſigni ſuſcipere? Siquidem enim Inſignium ratio magnatum arbitrio olim ſubjacebat; ambiguum eſt, an Aquila, quam Marchiones adhibuerunt, ex ipſis Cæſaris, utpote Imperii capitis, Inſignibus, originem traxerit, & forſitan de principio indicium officii, aut clientelæ fuerit, vel gratiæ a Rom. Imperatoribus conceſſæ. (x) Id ſane notum, compertumque habemus: in multis regionibus, tam exteris, quam vicinis, ejusmodi figuram *Aquilæ* pro ſcutis gentilitiis in Sigilla ſuſceptam eſſe: quæ *Aquilæ* dein, aut ab ipſis familiis, aut ab iis, qui Inſignia concedendi jus habent, aut demum ab artis Heraldicæ cultoribus, per colorum varietatem diſtinctæ ſunt. Sic Aquila Slavonicæ nationi, & Auſtriæ pariter in-

(x) Vid. SPENER. P. I. p. 215.

Ad Insignia Marchionum Austriae.

N: 1 A: 1228.

N: 2.

N: 4.

N: 3.



N: 5.



N: 6.

M.

incolis, Insigne quondam maxime commune erat. (y) Neque minus ratum magni nominis Scriptoribus, Principum existimatione *Aquilas*, aut validas ejusmodi aves alias, pro symbolo dominii esse habitas. (z) Quam vero ERNESTUS Marchio intra annum MLVI. & MLXXV. prodidit chartam donationis, & cui antiquissimum Sigillum in archivo Mellicensi reperiundum, appensum est, illa satis abunde demonstrat, eo tempore non tantum *Marchiam Austriæ*, sed etiam figuram Aquilæ Sigillo impressam, genti Babenbergicæ hæreditario jure propriam fuisse. Ibi enim non tanquam ab officio *Marchiæ Orientalis Præfectus* appellatur, sed tanquam a provincia titulum habens; cum dicatur: ERNESTUS *Austriæ Marchio.* Quid enim si maxime demus, Aquilam in Sigillis primorum Austriæ Marchionum de principio quidem symbolum hæreditarium non fuisse, sed potius exhibendæ, ex impositio munere Imperii, Cæsareæ Majestatis habuisse vim; negari tamen non potest, quin *Aquilæ* figura, quæ a temporibus usque ERNESTI ad FRIDERICUM BELLICOSUM, adeoque per duo ferme sæcula, constanter perseveravit, in symbolum familiæ Austriacæ gentilitium tandem abierit. Hoc autem loco satis habeo ostendisse, figuram volucris, in veterum Marchionum Sigillis conspicuam, tantum abesse ab *Alaudis*, quantum ab his abest *Aquila.*

y

z

§. XIII.

IN hujus rei confirmationem juvabit ad exemplum Sigilli civium Vindobonensium provocare; hi namque sæculo Christi XIII. Insignibus suorum Ducum, ex stirpe Babenbergica, usi jam erant; quod in proxime sequenti Dissertatione plenius demonstrabimus. Interea vero argumenti loco hic proferimus antiquum civitatis hujatis Sigillum, quo obfirmatum est instrumentum, datum *Erichtags vor Pfingsten*, i. e. die Martis ante Pentecosten, MCCXXVIII. In hoc simplicem utique Aquilam clare distincteque cernis, ei in cera simillimam, quam Duces Medlicenses, aliique ex gente Babenbergica, in suis quoque Sigillis præferebant. Quam subin simplicis Aquilæ imaginem suis in Sigillis conservarunt Consules civitatis Viennensis: donec ex elargitione Cæsaris MCCCCLXI. eis biceps Aquila pro Insigni obvenit. Quin Consules isti jam tunc sæculo XIV. præter simplicis Aquilæ figuram, aliud scutum cruce conspicuum assumpserunt; atque eodem ævo clypeum *Fascia Austriaca* insignitum ostentarunt. Sed de his plura data alia occasione; nunc ad Sigilla & Insignia Ducum nostrorum redeundum.

Id firmatur Sigillo civitatis *Viennensis.*

TAB. XII. n. I.

§. XIV.

INeunte sæculo XIII. LEOPOLDUS GLORIOSUS primus erat, qui in Sigillorum non tantum scuto, sed etiam vexillo *Aquilam* præbuit, ejusque figuram sic quodammodo duplicavit. Quod utrum ex beneficio Cæsareæ donationis fecerit, an suo sensu, ad ex-

Aquilæ figura deinceps in scuto Austriæ multiplicata; ejusque rei caussa.

(y) Vid. LUDEWIG. Germ. Prin. Lib. I. c. 7. pag. 456.

(z) MONTFAUCON in monumentis Monarch. Francicæ passim.

exhibenda in expeditionibus ſacris diſtincta ab aliis Auſtriæ Inſignia, non ſcuto tantum, ſed vexillo etiam, id quidem nondum expeditum habemus. Poſterius tamen mihi propius ad fidem accedere videtur. Quippe eandem cauſſam intelligo, cur præter *Aquilæ* figuram etiam *ſignum crucis* in vexillo adhibuerit; ut nimirum conſtaret, eum ad militiam ſacram *cruce ſignatum* eſſe. Cum enim Majores ejus jam a longo tempore in ſcuto *Aquilam* habuiſſent, LEOPOLDUS noſter ſuo potius arbitrio, quam Cæſaris beneficio, uſus videtur, ad id, ut avita Inſignia etiam in vexillis ferret. Jam quoque in ſuperiori Diſſertatione, adjecta rei cauſſa, demonſtravimus: ſæculo Chriſti XIV. a RUDOLPHO IV. Auſtriæ Duce figuram *Aquilæ* in Sigillis multiplicatam eſſe; quatenus eam non modo in vexillo habuit, ſed aliam item *Aquilam* ſupra caput equi ſui erexit, atque inſuper novum ſcutum *quinque volucribus* inſignitum in eodem adhibuit ſigillo. Plura de hoc ſcuto RUDOLPHI paulo infra dicturi ſumus. Jam vero ſæculo XV. & poſteriori ævo figura Aquilarum non tantum in ſeparato ſcuto Auſtriæ perſeverabat, uti ex ſigillis paſſim, & nummis illius ætatis elucefcit; ſed Aquilarum numerus eo usque increvit, ut in veſtimentis etiam tam veterum Marchionum, quam Archi-Ducum, Aquilæ gregatim circumvolarent. Multa ejus rei in monumentis Auſtriacis exempla offendi, quæ, ubi tractandum erit de ſtatuis, & imaginibus Ducum Auſtriæ, in medium adducemus. Interea cæterarum inſtar imagunculam S. LEOPOLDI, ex Monaſterii Clauſtro-Neoburgenſis tabula genealogica depromptam hic addo. Num. II. Multiplicatarum porro Aquilarum ratio longius peti non debet. Auctis enim ex more ſæculi XIV. Inſignibus, pluribusque ſenſim ſcutis in ſigilla & nummos acceptis, ſymbolum quoque, ſive teſſeram familiæ, vel gentis, ſine numero multiplicandi, atque adeo veſtimentis, aulæis, aliisque ornamentis effuſe intexendi, immiſcendique libido inceſſit. Occœpere hoc primum Galli, quorum hodieque mores in nonnullis imitamur. Etenim Venerabilis Reipublicæ litterariæ Senator *Bernardus* MONTEFALCONIUS *in monumentis Monarchiæ Francicæ* oſtendit: *Lilia Gallica* jam tum ſæculo XIII. veſtibus intexi, & ſpargi conſueviſſe. Pleniorem vero hujus rei notitiam celeberrimus MABILLONIUS noſter (a a) ſuppeditat, cujus verba, cum in rem noſtram tam apte cadant, referre hic non pigebit. „ Reges, ait, Franciæ ante ſæculum XII. nulla „ Inſignia, ſive arma gentilitia geſtabant. Primus erat PHILIP- „ PUS AUGUSTUS, qui uſus fuit *uno* duntaxat *flore Lilii* in contra- „ ſigillo ſuorum Diplomatum; hunc ſecuti ſunt LUDOVICUS VIII. „ & LUDOVICUS SANCTUS. Sequenti tempore in ſcutum Fran- „ cicum admiſſa ſunt *Lilia ſine numero;* tandem regnante CAROLO „ VI. reductus eſt numerus Liliorum ad *ternarium.* Quamquam „ negandum non ſit, quod flores Lilii nullo non tempore adhibiti „ ſint, etiam ſub prima Regum Francorum ſtirpe, ſed tantum or- „ natus gratia, in ſceptris & coronis; nam, ut jam dictum eſt, „ ante PHILIPPUM AUGUSTUM in *ſcutum* haud fuerunt aſſumpti.

aa

Id

(a a) Diſcours ſur les anciennes ſepultures de nos Rois Tom. II. des memoires de l'Academie des inſcriptions pag. 691.

Id totum, quod is de Liliis, & Insignibus Gallicis dixit, jure meritoque nos rebus nostris applicamus, asserentes: ab omni tempore *Aquilam* in Austria fuisse adhibitam; quemadmodum non tantum Romani, sed Romano-Germanici etiam Reges, & Imperatores *Aquilam* præseferebant; attamen eam haud ante sæculum XI. a Marchionibus Austriæ, Babenbergica stirpe oriundis, in scutum Austriacum assumptam, & ita in Insignibus constanter habitam, ut ad sæculum usque XIII. in scuto una steterit. Primus quidem erat LEOPOLDUS VII. agnomine GLORIOSUS, qui *Aquilam* quasi geminavit, jam non scuto tantum, sed & vexillo gestandam. Deinde vero postquam illius filius FRIDERICUS BELLICOSUS pro Aquila *Fasciam hodiernam* sumpserat; tum RUDOLPHO IV. fasces in Austria tenente, *Aquila* iterum, cum turba in Insignia Austriaca revertebatur; quin sæculo dein XV. in vestimentis etiam Marchionum veterum *Aquilæ* sine numero pictæ apparebant. Prædictus autem RUDOLPHUS IV. ex gente Habspurgica auctor erat, qui numerum *Aquilarum* in scuto ad *quinarium* reduxit. Cæterum recitatus supra Insignis MABILLONII locus de Liliis Gallicis, ex Sigillo BLANCÆ, filiæ PHILIPPI III. Regis Francorum, cujus delineationem infra in *Auctario diplomatum*, unacum ejusdem testamento, anno 1304. condito, daturi sumus, magis magisque illustrabitur.

§. XV.

SEd dicet fortassis non nemo: hoc ipsum maxime in dubitatione esse, fuerintne omnino quinque illæ volucres, quas RUDOLPHUS IV. in scutum suscepit, *Aquilæ*, an *Alaudæ?* qui enim pro *Alaudis* stant auctores, necdum victas dant manus; verum vestimentis demum S. LEOPOLDI inhærere contendunt, in eis intextas *Alaudas*. Ast ego, priusquam has tricas ingrediar, ad memoriam revocanda volo ea momenta, quibus in præcedenti Dissertatione motum diximus auctorem nôvi hujus scuti RUDOLPHUM Ducem Austriæ ad id, ut *quinque volucres* pro Insignibus congregaret: scilicet id tum ita fecisse; partim ut dignitates quas gerebat in Imperio Romano, partim ut provincias reliquas eodem Insigni utentes, conjunctim & in una sisteret area. *Palatinum* se, & *supremum S. R. Imperii Magistrum venatorum* ferebat. Præter Austriam, Styriam, & Carinthiam, tres in ditione habebat regiones, *Provinciam trans Anasum*, *Tyrolim*, & *Carniolam*, quarum quæque pro Insignibus *Aquila* utebatur. Nunc autem, quæso, qui Duci nostro in animum venisset, dignitatum, & provinciarum suarum symbolum, *Aquilam* cum *Alaudis*, ab omni ratione alieniissimis, mutare? Enimvero etsi FRIDERICUS BELLICOSUS *Fasciam albam* in *area rubra* pro Insignibus Austriæ accipiens, avitum illud Majorum suorum symbolum *Aquilam simplicem* reliquit, Austriæ ducatum uno in sigillis scuto præbere contentus; tamen RUDOLPHUS IV. assumpto singulari scuto *quinque alitibus* conspicuo, *Fasciam*, Austriacum Insigne, in sigillis haud unquam omisit. Quare quinque volucribus ducatum Austriæ significare alienum

In RUDOLPHI IV. Ducis Austriæ scuto, *quinque avibus* conspicuo, forma *Alaudarum* perperam asseritur.

fuiſſet; quod jam *Faſcia* pro ſigno eſſet. Audio te: Volucres vis *vetera* Auſtriæ Inſignia, Faſciam hodiernam *nova* eſſe! Verum demonſtratum jam eſt, a veteribus Marchionibus primisque Auſtriæ Ducibus non *quinque aves*, ſed *unam Aquilam* in Inſignibus habitam. Quid, quod *Faſcia hodierna* vetuſtior eſt ſcuto *quinque volucrum*? Etenim FRIDERICUS BELLICOSUS jam anno MCCXXXI. *Faſciam* in Sigillis adhibuit; *quinque* vero *volucres* primum a RUDOLPHO IV. ad ſingulare ſcutum ſuſceptæ ſunt ſæculo XIV. Cave ne inſuper dicas, ſcutum *quinque Alaudarum* ad *Archi-Ducatum Auſtriæ* pertinere. Nam licet RUDOLPHUS IV. primus titulum *Archi-Ducis*, & quidem cum additione *Palatini*, geſſerit, quid ad hoc *quinque Alaudæ*? Ubinam hoc avium genus pro ſigno habuit Imperium Romanum? Qui credi poteſt, Ducem adeo erecti ſpiritus, quique in cæteris rebus nil niſi montes parturiebat, tandem exiguis aviculis, *Alaudis*, pro Inſignibus gaviſum eſſe? Profecto ad titulum *Archi-Ducis Palatini*, & cum reliquis officiorum & provinciarum ſymbolis, *Aquila* magis conveniebat. Prius itaque demonſtrari oporteret, non vero tantummodo dici: *Alaudas* pertinere ad titulum *Archi-Ducis*. Quin etiam id plane fruſtra diceretur; neque enim poſteri RUDOLPHI IV. titulum *Archi-Ducis* retinuerunt; ſed reſumptus eſt demum anno MCCCCLIII. ac ritu ſolenni per ſingulare Diploma ſub perſona ALBERTI VI. Domui Auſtriacæ
bb confirmatus. (bb) Quare cum medio illo tempore ab ALBERTO IV. poſterisque, usque ad ſæculum XV. *quinque volucres*, quas induxerat RUDOLPHUS IV. in Sigillis locum retinuerint; quis mihi aſſeruerit: quid ſigni his avibus tribuerint Principes iſti, qui tum ſe nullo nomine *Archi-Duces* ferebant? E contrario omnia in aperto ſunt, ſi teneatur: ſcutum illud exhibere *quinque Aquilas*, prædicti Imperii dignitatibus, junctisque cum Auſtria tribus regionibus, id ſymbolum etiam habentibus, vindicandas.

§. XVI.

Adverſariorum objectionibus occurritur.

CÆteras diſſentientium oppoſitiones jam non negligam. Scilicet ſigilla & nummos Archi-Ducum producunt, ex figurarum tenuitate *Alaudas* potius, quam *Aquilas*, in iis arguentes. Tandem achillæo, ut ipſi quidem putant, argumento contendunt: remotis jam ab omni memoria temporibus, aves iſtas pro *Alaudis* haberi; atque adeo noſtra ætate, ab Archi-Ducibus, haud ſecus, quam ab Ordinibus Auſtriæ, in ſcuto quinque *Alaudas*, nihil vero *Aquilarum* adhiberi. Hæc duo objecta, quo facilius diluam, animadvertendum eſt: ipſos adverſarios in diverſa trahere. Alii de numero avium, alii de genere, alii de forma diſputant.
cc Nonnulli enim ſtatuunt, (cc) *tres* tantum ab initio in ſcuto Auſtriaco *Alaudas* ob celebratum eundem Legioni Romanæ numerum obtinuiſſe. Verum quicquid eſt hujus ſententiæ, cum ipſis Legionis Romanæ *Alaudis*, per ea, quæ ſuperius adducta ſunt, ſic

(bb) Vid. Genealog. Diplomat. gentis Habs. T. I. p. 226.

(cc) LAZIUS L. 5. de Rep. Rom. & CASP. a LERCH. ap. LUDEWIG. Germ. Prin. L. I. c. 7. p. 455.

ſic ſatis exploditur. Neque etiam ullum usquam Auſtriæ ſcutum gentilitium in antiquitatis monumentis repertum fuit, tribus volucribus (ſeu *Aquilas* dixeris, ſive *Alaudas*) inſignitum. Ex ſigillis vero RUDOLPHI IV. poſterorumque Archi-Ducum liquido conſtat, *quinque aves*, quas ego *Aquilas* eſſe contendo, in uſu fuiſſe. Si SPENERUM (dd) audias, repræſentant utique *quinque Alaudas* dd volantes *aureas* in *ſcuto cæruleo*. Attamen animadvertit ipſe, ab aliis auctoribus *Philomelas* exiſtimari, aliis *parvas Aquilas*; etiamſi viro docto *Alaudæ* magis placeant, quarum originem pariter refert ad *Legionem X. Alaudarum* (quod agnomen illi fuerit) quam defendendo flumini, contra Decebalum hoſtem, ad Danubium conſtituiſſe Imp. Trajanum ferunt. Communem hanc ſententiam confirmaturus, ex *Bürckenio* (ee) iſtius Legionis, cognomenti rationem profert: ee „ *Alaudas* ſcuto Auſtriaco celebratas; quod legio galeis, *criſtas* „ *Alaudarum* ſimulantibus, inſtructa, aut quia *Alaudas* in ſignis ge„ ſtaverant; Marchionibus hinc Auſtriæ aureas *quinque Alaudas* in „ *clypeo cæruleo* Inſignia manſiſſe. Sed apage tam inſipidas etymologias, tam frigidas conjecturas! Etenim jam ſupra declaravimus, Inſignia Auſtriaca a Legionibus Romanis deduci haud poſſe. Allata quoque a *Bürckenio* galearum conos inter & criſtas Alaudarum ſimilitudo tam mihi videtur inſulſa, ut vel eo nomine lepidarum commentum avicularum gratiam omnem exuat. Aut ſicubi iſta ſic irent, diceres etiam, ideo *Alaudas* in Inſignibus Auſtriæ habitas, quod illis Marchiones antiqui mirifice fuiſſent delectati. Verum de hisce ſatis! nunc itaque ad primum adverſariorum momentum reſpondeo: in antiquis ſigillis inſculptas, aut incuſas aves, vana fide pro *Alaudis* haberi. Neque enim exiguitas figurarum obſtat, quo minus *Aquilæ* ſint. Probabile tamen eſt, quod ipſa hæc minuſcula ſigillorum ſcuta, *quinque Aquilis* in tam parvas figuras confertim contrahendis deſtinata, *Alaudas* eas, aut aliud volatilium genus, exiſtimandi materiam præbuerint. Cui tum ſententiæ, homines rerum novarum avidi, eo facilius accedebant; quod frivolæ famæ non nemo jam fidem fecerat: Auſtriæ Inſignia a Romanorum vexillis repetenda eſſe. Quin Cl. Auctor Germaniæ Principis (ff) hujus mutationis culpam in pictores rejicit, dicens: ff „ Putaverim ego . . . . *Aquilas* cum *Alaudis* confudiſſe imperitos „ artis ſuæ pictores. A nobis autem jam ſupra abunde oſtenſum: *Alaudas* neque ad dignitatem Imperii, neque ad provincias hæreditarias quicquam ſignificare; contra vero *Aquilam* in Auſtriaco ſcuto nunquam non locum habuiſſe. Quare cum RUDOLPHUS IV. in novum ſcutum quinque volucres induxit, ex jam allatis rationum momentis patet: nihil aliud intelligi poſſe, quam *Aquilas*. Equidem & Galli parvas ejusmodi Aquilas in uſu habent, easque *Allerions*, vel *Aiglons* appellant; (gg) ſed in harum numero Auſtriacæ volucres haud cenſendæ, quamvis parvæ, & in unum coactæ ſcutum. Hæ enim, ut vera Inſignia Auſtriæ plus momenti in ſe continent. Deinde illæ, ſive cum roſtro & pedibus, ſive ſine iis depictæ ſint, a noſtris differunt in eo; quod hæ in umbone ſolæ, iſtæ gg

(dd) Op. Herald. Par. Spec. p. 53.
(ee) Speculo honor. Domus Auſt. Lib. 2. c. 1. p. 152.
(ff) Loco cit.
(gg) MENETRIER la Science de Nobleſſe Paris in 4.° 1691.

istæ minores vero plures plerumque sibi, aut aliis figuris, gemi-
hh nentur. (hh)

§. XVII.

Respondetur ad aliud adversariorum argumentum.

AD alterum adversariorum argumentum, quod supra recensui, breviter sic respondendum: Utique ad usum hodiernum frustra attendi, nihilque referre, quod genus avium nunc temporis in scuto adhibeatur. Constat enim, CUSPINIANUM & LAZIUM aves in clypeo Austriæ conspicuas, pro *Alaudis*, uti *vetere* symbolo Austriæ declarantes, plerosque in suam abripuisse sententiam. Unde haud mirum, quod ab iis temporibus *Alaudæ* pro *Aquilis* in scuto locum obtinuerint. Verum ex iis, quæ diximus, perspicuum est: scutum illud, in quo quinque volucres designantur, vetera Austriæ Insignia non continere; ea siquidem, uti sæpe inculcavimus, *Aquilam simplicem*, postea *Fasciam albam* in area rubra, denique *quinque volucres* in clypeo novo præbuerunt. Adeoque in eo solum quæstionis cardo vertitur: utrum auctor novi clypei de principio *Aquilas*, an *Alaudas* adhibuerit? quod primum quidem jam satis prolixe demonstravimus; modumque excederem, si singula hic vellem argumenta repetere. Ante vero quam prædicti auctores CUSPINIANUS & LAZIUS somnia sua de quinque volucribus, atque ex luce fumum darent, in Austriaco scuto *quinque Alaudas* fuisse pictas, adversæ sententiæ patroni genuino nullo comprobare poterunt monumento. Quid quod ego mox ostendam, adhuc dum sæculo XV. figuras quinque *Aquilarum*, nihil vero *Alaudarum*, in scuto Austriæ conspicuas fuisse.

§. XVIII.

Et ostenditur, sæculo etiam tum XV. in scuto Austriæ figuras Aquilarum esse conservatas.

SAne vero in celeberrima Præpositura Claustro-Neoburgensi occurrunt monumenta, ex quibus eluescit, sæculo etiam tum XV. haud quidem quinque *Alaudas*, sed *Aquilas* omnino in Insignibus Austriæ perstitisse. In magna enim illa tabula genealogica illic reperiunda, qua stemma S. LEOPOLDI pictum continetur, *Aquilæ* in scutis Marchionum, & Ducum penitus & aperte spectantur; quarum hic delineationes haud indiligenter elaboratas
Num. III. Lectoris oculis subjicio. Sæculo autem XV. & ad id fortasse tempus, cum LEOPOLDUS PIUS inter Divos referebatur, depictum stemma fuisse creditur. Plures quoque ejusmodi imagines, & figuræ lapidibus exsculptæ *Neostadii* Austriæ, *Oeniponti*, *Stammsii*, alibique passim occurrunt; in quibus omnibus volucres scuto Austriaco, ac vestimentis Ducum inditæ, ab *Alaudis* omnimode discretæ, rostro, pedibus alisque, Aquilæ tam sunt similes, quam ovum ovo. Lepidum id mihi visum est, quod accidit, dum ego cum non nemine, qui, a mea sententia diversus, *quinque Alaudas* scuto Austriaco vindicare conabatur, supra memoratam tabulam Claustro-Neoburgensem contemplabar. Repetitis scilicet interrogationibus sollicitabam, diceret mihi: Aquilasne, an Alaudas præberent depictæ in hoc monumento volucres? Verum cum ex figura

(hh) SPENER. Op. Herald. P. I. memb. I. pag. 215.

ra Aquilas esse negare non posset; cavillabatur: *aves demum esse.* At pressius instanti cessit, utique *Aquilas* esse. Cæterum animadverto: pro recta rerum conditione in scuto S. LEOPOLDI, ejusque posterorum, nec quinque *Aquilas*, nec *Alaudas* locum habere, sed (ut sæpius jam monui) *simplicem* tantum *Aquilam*, quam omnis ejus posteritas usque ad FRIDERICUM BELLICOSUM in Sigillis retinuit. Cum tamen prædicto Marchioni, ejusque progeniei ornatus, & venerationis gratia, non tantum in vestimentis, sed etiam in clypeis *Aquilæ* depingerentur; perspicuum inde fit, quinque illas aves, quas RUDOLPHUS IV. sæculo XIV. novo receperat scuto, non *Alaudas*, sed *Aquilas* fuisse. Quid enim Marchiones & Duces gentis Babenbergicæ eum numerum *Aquilarum* venditarent, si olim *Alaudas* adhibuissent? Aut qui adeo *quinque Aquilæ* Insignia Austriaca involassent, nisi jam RUDOLPHUS eum statuisset numerum?

§. XIX.

INterim silentio prætereundum non est, quod, cum animus Imperatorum FRIDERICI PACIFICI, & MAXIMILIANI I. pronus in litteras & artes esset, non defuerint scriptores, qui de periculo errandi parum solliciti, neque contenti seriem proavorum ab aliquot transactis sæculis texere; sed ad imitationem Chronographorum illius ævi, res omnes quasi a primo mundi exordio derivare, ac deducere conarentur; unde ex falsis ejusmodi tabulis Genealogicis, falsæ quoque Insignium origines, & confictæ familiarum scuta ortum suum traxerunt. Hujus generis monumentum extat hodieque Neostadii Austriæ in facie templi Palatini, Imperio FRIDERICI Cæsaris coævum, quod viris eruditis diu ænigma fuit. Verum ubi illud cum MS. Bibliothecæ Cæsareæ *Alberti de Bonsteten* contuli, & ad fidem codicis membranacei Heraldici, qui in Camera veterum regestorum Austriacorum adservatur, diligentius exegi, fabulosa illa & insulsa nomina, iisque tributa Insignia esse deprehendi, puta *Judeisepta*, *Pannans*, *Tantanio &c.* quæ primis terræ ac provinciæ Austriacæ Dominis adfinxerunt. Sed piget pudetque sane res hujusmodi absurdas in censum monumentorum Austriacorum referre, vel de iis plura scribere; quandoquidem commentum istud jam dudum exsibilarunt ÆNEAS SYLVIUS, & ipse CUSPINIANUS in proœmio ad commentarium suum de Austria: quorum prior auctorem hujus fabulæ *ineptissimum sycophantam & nebulonem stupidissimum* nuncupat. Id tamen reticere nolo: primum omnium Austriacorum scutum, non tantum in prædicto Neostadiensi, lapidi insculpto, monumento, sed etiam in præfato codice Heraldico, *simplici Aquila* inscriptum, in conspectum se præbere, hujusque figuram mutatis duntaxat fictis illis Dominorum Austriæ nominibus, sæpius repetitam comparere. Inde enim colliges, quod, etsi illa ætate scriptoribus & sculptoribus, Poëtarum more quasi æqua fingendi fuerit potestas, ii tamen a primo Austriacorum symbolo, *Aquila* nimirum *simplici* discedere, quasi nefas duxerint.

Quanquam eodem sæculo XV. multa de originibus Insignium Austriacorum excogitata sint falsa & inepta.

§. XX.

Falsum quoque est, S. Leopoldum vestibus indutum fuisse, figuris *Alaudarum* intertextis.

OPinati sunt præterea alii, recentioris ævi scriptores cum Cuspiniano, in gratiam *Alaudarum* ulterius peti posse, nec leve illud quidem argumentum scuti veteris Austriaci, ex ipsis S. Leopoldi vestimentis; quod hisce *Alaudarum* figuræ intextæ fuissent. Rem enarro. Inter ornamenta, & adparatus sacros, qui Claustro-Neoburgi in sacrario custodiuntur, ornatus integer, *Casula* nimirum, duæ *Dalmaticæ* cum *Pluviali*, seu Cappa, conspicuus est, qui ex vestibus S. Leopoldi, atque Agnetis uxoris, confectus esse dicitur, quique ideo non nisi uno anni die, S. Leopoldi scilicet festo, ad aram in lucem revocatur. Serico cærulei coloris subtegmini intertextum est aurum: pannus ipse ab antiquitate valde attritus; unde non invitus concedam, vestimenta hæc fuisse Leopoldi Sancti & Agnetis, confectumque ex his ornamentum Sacerdotale. Ut ut ista probabiliter dicantur, nonnulla tamen circa ea adferuntur, quibus fidem adhibere haud valeo. Ajunt quippe: Leopoldi & Agnetis Insignia huic vesti fuisse inserta, quorum illud *aves*, hoc *piscículos* præseferebat. Exinde conjiciunt, ob innexas *Pluviali* volucres, hoc ex vestimentis D. Leopoldi factum; ob adparentes vero in *Dalmatica* piscículos, hos gentilitio Agnetis scuto proprios fuisse. Adeo hæc cum antecedentibus invaluit opinio, ut pictorum etiam & sculptorum labores in imitationem abripuerit. Verum cum anno MDCCXXXIX. IV. Kal. Junii liberiori ornatum hunc oculo mihi usurpare licuisset, eum reperi non piscibus modo & avibus, sed triplici omnino texturæ figurarumque varietate distinctum. In Num. IV. *Pluviali* visuntur aves, quæ nec *Alaudarum*, nec *Aquilarum*, sed *picorum*, & *gallorum* potius referunt simulacra; quatuor anguli leporibus, floribusque repetita serie, ut mos est, intextis ornantur. Num. V. In *Dalmatica* piscículi pari ratione iterantur. Num. VI. *Casula* vero avibus, arboribus, & sceptris decorata est: prout singula hæc intueri potes, Lector, ex adjectis schematibus. Unde, autem, quæso, jam scire dabitur, an Leopoldus pisces, an Agnes arbores & sceptra gesserit; an potius contraria ratione in Insignibus hæ figuræ se habuerint? Non *pisces* Leopoldus Pius, sed *Aquilam* in scuto habuit, & quid, si vel ita, sibi volunt *lepores*, quid *flosculi?* qui inducar, ut ire possim in sententiam adeo jejunam: piscículis illustrata Agnetem habuisse Insignia sibi propria; cum tamen, quod paullo superius dicebam, Marchiones Austriæ Babenbergenses toto sæculo XII. non nisi *Aquilam* in scuto gesserint. Adde, quod temporibus S. Leopoldi in terris nostris nondum usus voluerat, ut vestes propriorum Insignium ornatu enitescerent. Recentiora plane hæc sunt, atque illi ævo, a quo scuta gentilitia primam duxerunt originem, insueta. Tenendum itaque, figuras in vestibus S. Leopoldi adparentes, quæ Claustro-Neoburgi adservantur, neque *Alaudas*, neque etiam *Aquilas*, sed quædam pro temporis illius genio texendi artificia referre.

§. XXI.

§. XXI.

DEnique quod ad rationem attinet, ſive cauſſam, cur *quinque Alaudæ* communiter pro *veteri Inſigni* etiam nunc habeantur, eam jam a principio hujus Diſſertationis, atque inſuper per decurſum iterato innuimus; quod nempe Duumviri illi CUSPINIANUS & LAZIUS, dum adſeruerunt, temporibus Romanorum in Pannonia ſuperiore, quæ præter varia alia nomina ipſi indita, tandem *Auſtria* dicta fuit, *Legioni Alaudarum* ſedem fuiſſe, occaſionem hinc præbuerunt inducendarum in memoriam tantæ, tamque excellentis antiquitatis *quinque Alaudarum*. Idque eo facilius ſuccedebat; quod jam usque a tempore RUDOLPHI IV. *quinque volucres* in ſigillis, ac nummis Auſtriacis locum tenerent. Tum quoque illæ *quinque aves*, quæ, uti jam diximus, usque ad ſæculum XV. pro *Aquilis* habebantur, in ſigillis & nummis tam arcte cogebantur, ut vulgo facile ſpeciem *Alaudarum* præberent. Hujusmodi enim eſt (quod alias & pridem monuimus) ingenium mortalium, atque adeo vel præteriti temporis ſunt avidi, ut ſi quid novi de remotiſſima etiam antiquitate narratur, id facile ad ſuam quisque ætatem pertinere credat. Quamvis porro falſum & fabuloſum eſt, *Alaudas* usque *a Legione Romana* ad noſtra tempora in Inſignibus perſtitiſſe; ſiquidem ex tot monumentis, quæ antea adduximus, clare patet, ut ſenſim a Marchionibus, & Ducibus Auſtriæ Inſignium teſſeræ mutatæ ſunt, nulla unquam in clypeo Auſtriaco adparente *Alauda;* tamen ex hac ipſa vulgi opinione, ſeu, ſi mavis dicere, ex communi illa traditione cognoſcimus originem hujus ſymboli, cauſſamque, cur pro veræ antiquitatis ſigno habeatur, hodieque & ab Archi-Ducibus, & ab ipſa Provincia conſervetur. Nimirum non ex eo id provenit, quod *quinque Alaudæ* a Romanorum Legione ad nos, ſerie non interrupta, ſint propagatæ, & pro Inſignibus conſervatæ; nec ex eo, quod illæ a Marchionibus Auſtriæ primo in clypeum adſumptæ fuerint; ſed propterea, quod teſſera hæc *quinque Alaudarum*, memoriam primæ illius antiquitatis de *Legionibus Romanis*, licet per fictionem inductam, regioni huic conſervat. Atque hæc eſt vera radix *communis* illius opinionis, ſive, ut vocant, *traditionis*, quæ de *veteri ſcuto Auſtriæ* circumfertur. Ne vero & hoc gratis omnino dixiſſe videamur, operæ pretium erit aliorum virorum in re Heraldica exercitatiſſimorum teſtimonia in medium proferre. MENESTRERIUS inter cæteras cauſſas, cur hæc illave ſymbola pro Inſignibus adſumpta fuerint, iſtam adfert: „ Quod ad veſtigia ſeu memoriam vetu- „ ſtatis ab auctoribus Inſignium ratio habita ſit. (ii) Inde plura adducit exempla, quibus oſtendit: urbes, regiones, ac provincias in memoriam, non Romanarum modo, ſed & Græcarum antiquitatum ſymbola, ac teſſeras ſibi adſciviſſe. Ægid. GELEN. (kk) „ In effingendis digmatibus, inquit, talium auctores, quo- „ cunque tandem cœperunt tempore, reſpexiſſe ad longiſſima „ ſtirpium principia, & majorum ſuorum prima vetuſtiſſimaque „ faci-

Oſtenditur demum, qua ratione quinque Alaudæ *vetus Inſigne Auſtriæ* nuncupentur.

ii

kk

(ii) Loco cit. cap. 6. p. 136.
(kk) De mag. Col. agr. L. 2. S. 1. pag. 130. apud SPENER. Op. Herald. P. gen. pag. 48.

„ facinora repetenda, & exprimenda in ſcutis; ſicuti olim accer-
„ ſebant quam remotiſſime familiarum originem. Clarius etiam
ll rem exponit celeber. SPELMANNUS; (ll) cujus verba ſunt: *Viſo libro de notitiis Imperiorum: nos cum* STEWECHIO, PIERIO, PANCIROLLO, LIPSIO, *doctiſſimis Viris, a Romanis Inſignibus propagari cenſemus. Non ſimul, non ſemel: auctore incerto etiam, & ævo. At Romana illa Inſignia Legionum fuiſſe, palam eſt, & gregariæ multitudinis, non privati alicujus hominis, aut familiæ. Nec in iis quid Heraldicorum characterum - - - - nec hodierna colorum obſervatio, nec arearum diſtributio. Ingenue igitur fatendum erit, hunc noſtrum cultum, licet a priori deductum, a poſterioribus ita auctum, mutatum, ornatum, abſolutumque fuiſſe, ut novus quodammodo videatur.*

§. XXII.

Quinque porro volucrum in ſcuto Auſtriaco collocatio, & ordo haud unus.

AD extremum & illud monendum eſt, quod expenſarum hactenus quinque volucrum variam quidem in ſcuto collocationem, in ſigillis non ſecus ac nummis reperi. Plerumque tamen ita diſponuntur, ut ſupremæ volantes binæ ſint, par quoque plus infra, tum infima in medio ſola. Verum apud Jacobum
mm a MELLEN (mm) in nummis uncialibus Archi-Ducum Auſtriæ obſervavi, in areola infima cælatas, ſuperiores duas, inferiores tres. In quodam quoque vexillo, ea ſpecie, ut ſolent civium Viennenſium ſocietates in proceſſibus publicis præferre, diſtributionem volucrum vidi prorſus aliam: ubi nempe pictæ quatuor angulis, ſuo quæque, & una in medio, aves erant; quæ utique varietas cum ex diſſimilitudine ſcutorum, tum ex lubitu ingenioque pictorum, & ſtatuariorum; utpote qui ad numerum figurarum, quam circa ordinem & collocationem, attentiores erant, eſt derivata.

§. XXIII.

Corollaria.

EX iis jam, quæ hactenus diſſeruimus, abunde, ni fallor, patet. I. Aquilam ſimplicem, & quidem ſolam, velut primum & antiquiſſimum Auſtriæ, & tum regnantis Babenbergicæ gentis, Inſigne, conſtanter ad ſæculum XIII. usque perſtitiſſe. II. Faſciam hodiernam a FRIDERICO BELLICOSO fuiſſe in Inſignia Auſtriæ ſuſceptam; quod quidem proxime ſequenti Diſſertatione adhuc plenius evictum dabimus. III. Quinque volucres primum pro *Alaudis* perperam habitas, ſæculo demum quarto decimo a RUDOLPHO IV. proveniſſe. IV. Et poſtremo, quinque proinde has volucres haud inter priſca debere Auſtriæ Inſignia referri, verum pro ultimis & noviſſimis, habita ratione temporis, eſſe reputandas.

DISSER-

(ll) Aſpilog. pag. 25. ap. eundem SPENER. l. c.

(mm) Sylloge numm. uncial. Lubecæ 1698. paſſim.

DISSERTATIO III.
DE
FASCIA AUSTRIACA,
SEU
DE SCUTI HODIERNI ORIGINE.

§. I.

QUam multis iisque graviſſimis difficultatibus affectæ fuerint *Veterum* Auſtriæ *Inſignium* origines, Diſſertatione proxime præcedenti vidimus. Jam & vulgatior de exordio *Inſignium* Auſtriæ *Recentiorum* ſententia, quam nunc examinare adgredimur, haud omni ex parte beata eſt. De *Auctore* enim, & inducti in ſcutum Auſtriæ novi ſigni, ſcilicet *Faſciæ albæ* in *area rubra* origine, multa a Scriptoribus prolata ſunt, quæ nobis æque improbanda videntur. Unde conſtitutum habemus, hacce tractatione perquirere: quo revera tempore & auctore *Faſcia* illa loco *Aquilæ* pro Inſignibus Auſtriæ ſuſcepta; quæve hujus mutationis cauſſa & occaſio fuerit? ubi porro diſpiciendum quoque erit: quanta ſcuti hodierni præ veteri Auſtriæ ſymbolo præſtantia, & qua demum ratione Duces hoc ſcuto pariter cum aliis Inſignibus uſi ſint. Dicenda.

§. II.

TRita, & apud ſcriptores paſſim occurrens ſententia in eo vertitur: hodiernam faſciam Auſtriacam ex Cæſaris elargitione obortam eſſe; utpote qui eam Duci Auſtriæ, in bello ſacro victoriam conſecuto, in facinoris memoriam contulerit. Et ita factum ferunt: quod LEOPOLDUS quidam Auſtriæ Dux ex eo certamine, quamvis ovans, ita tamen cruentus abierit, ut in veſte, quam candidam induerat, nihil eſſet non ſanguine conſperſum, & quaſi tinctum, præterquam ea pars, qua lumbos tegente *faſcia* quadam fuerat præcinctus. (a) Id quod alii ad HENRICUM VI. referunt; qui quidem Imperator *Cruciatam* paravit, ſed illam reipſa haud duxit. Tradunt tamen: hunc fuiſſe ſocium LEOPOLDO VII. Duci Auſtriæ, anno MCXCI. in ſacram expeditionem moventi, qui rem Chriſtianam tanto animo & audacia ſuſtinuerit, ut primus turrim civitatis *Ptolemaidis* conſcendens, totam veſtem, prius candidam, retulerit cruentam, parte, quæ baltheo tecta erat, excepta. (b) Alii vero illuſtre hoc factum LEOPOLDO VI. adſcribunt. Varias ſuo more fictiones hiſtoriæ Communis opinio de origine *Faſcia Auſtriacæ.* a b

(a) LIPSIUS Cent. ad Germ. Epiſt. 36. CHRISTIAN. in Jurispr. heroica art. 2. pag. 144. aliique paſſim.

(b) LIMN. Jur. publ. 5. 6. 22. BLONDELL. Geneal. Franc. plen. aſſ. T. 2. p. 362.

huic admiſcet FELIX FABER; (c) etenim jam tum CAROLI MAGNI temporibus, in ſeditione contra ſacrilegos, Marchionem Auſtriæ fuiſſe illo facinore functum, contendit. Sunt tandem, qui, in Boruſſia perpetratum id eſſe, dicant. (d)

§. III.

Verum ſcriptorum auctoritate ſuffulta non eſt.

SEd evolvamus tantiſper collectionem ſcriptorum rerum Auſtriacarum, quam amicus noſter *R. P. Hieronymus* PEZIUS, Vir ſuis laboribus, in rebus Auſtriacis, inter noſtrates excellentiſſimus, in lucem edidit, & videamus, an opinio hæc *Veterum ſcriptorum auctoritate* ſuffulta ſit, & quanti valeat? Turba hic ſtatim occurrit veterum Chronologorum, qui jam ſæculo XII. de rebus Auſtriacis ſcribere, vel in Auſtria, & vicinis regionibus, alibive locorum partes hiſtoriæ Auſtriacæ litteris mandare inceperunt, quorumque ſcribendi filum deinde reſumpſerunt alii atque alii. Et hi quidem omnes, ut rem verbo dicam, paſſim de Duce LEOPOLDO mentionem faciunt, expeditionemque ejus in Orientem, diſſidium inter ipſum, & Regem Angliæ, hujus captivitatem, & id genus alia attingunt. Verum nemo illorum, qui a ſæculo XII. usque ad medium XIV. ſcriptis claruerunt, ſeu tempore fuere æquales, aut ſuppares, adeoque earum rerum idonei teſtes, nemo, inquam, omnium de ſanguine inimico in veſtem Ducis reſperſo, nec de mutatione Inſignium Auſtriacorum, vel verbum profert. Adeamus & aliam Scriptorum exterorum collectionem *Acta Dei per Francos* inſcriptam, *Hanoviæ* 1611. editam. In ea quoque varios hoc de argumento ſcriptores conſulere licet, atque inprimis *Jacobum de* VITRIACO, Epiſcopum Acconenſem, qui de hiſtoria Hieroſolymitana epiſtolam an. MCCXIX. conſcripſit, expugnationemque *Ptolemaidis*, & LEOPOLDI Ducis cum RICHARDO Rege Angliæ contentionem, memoriæ prodidit. Sed neque unus eſt etiam in hac collectione ſcriptor, qui notabile illud momentum tangat: nimirum Ducem LEOPOLDUM tanta uſum eſſe in pugnando fortitudine, ut totus ſanguine hoſtium cruentus, ſuo diſcrimine novum Auſtriaco nomini ſplendorem meruerit, hodierniſque Inſignibus dederit originem. De controverſia RICHARDI, & LEOPOLDI mentionem etiam faciunt *Levoldus a* NORTHOF, & *Gebelinus* PERSONA, (e) ſed de prædicto caſu prorſus ſilent. Sic & *Matthæus* PARIS ſcriptor Anglus (f) contentionem iſtam, cauſſamque, cur RICHARDUS dein a LEOPOLDO in cuſtodiam deductus, longe tamen aliter atque illi, exponit; cujus verba hic audire non pigebit. Ita habent: *Circa idem tempus venit Dux Auſtriæ ut in terra ſancta votum ſuæ peregrinationis perficiendo, in exercitu Chriſtiano fideliter militaret, & Salvatoris veſtigia ibidem adoraret. Cumque prævii ejus Mareſcalli ſibi hoſpitium accepiſſent, & neceſſaria præpararent, ſupervenit præcipitanter quidam miles de familia Regis* RICHARDI, *natione Neuſter, & more ſuæ gentis, ebulliens ſtultitia cum jactantia, aſſerebat: ſe majus jus in illo hoſpitio habere, quam aliquis*

(c) Hiſtor. Suev. L. I. c. 13.
(d) HÆPING. de Jur. inſ. c. 6. P. 5. p. 333.
(e) Ap. MEIBONIUM T. I. Script. rer. Germ. p. 275. & 385.
(f) Ap. BARONIUM Annal. Eccleſ. T. XII. ad an. 1191. p. 854.

quis alius, cum prius illuc adveniens, ſibi, ſuisque ſociis illud aſſignaſſet. Multiplicatis convitiis utrobique, clamor aures Regis pervenit. Rex autem nimis cauſſæ Northmanni favorabilis & credulus, in iram excanduit contra familiam Ducis, & . . . . præcepit præcipitanter, & ſecus, quam deceret, ut vexillum Ducis in eodem hoſpitio pro ſigno affixum, in cloacam dejiceretur. Quod factum, cum Dux hoſpitio privatus, & turpiter a Northmannis garrulis laceſſitus, cognoviſſet, Regem querulus adiit: ſed nihil niſi ſannas reportavit. Unde Dux a Rege ſpretus . . . . cito poſt reditum ad propria, confuſus & verecundus maturavit. Hoc facto, Rex RICHARDUS *poſtea non mediocriter exprobratus erubuit.* Eandem diſſenſionem Principum OTTO noſtras *de S. Blaſio* Inſignis illius operis chronicorum OTTONIS *Friſingenſis* ab anno MCXLVI. ad annum MCCX. continuator, aliique ſcriptores Germani referunt; ſed iterum diverſa cauſſa, & adjectis momentis aliis ab eo, quod mox laudatus ſcriptor *Matthæus* PARIS commemorat. Aſt de reſperſione ſanguinis in veſtem LEOPOLDI communę, & altum apud omnes ſilentium: nihil quoque de novis Inſignibus ab Imperatore in præmium collatis uspiam adparet.

§. IV.

INter ſcriptores porro recentiores, ut quidem ex collectione PEZIANA, volumine primo conſtat, princeps eſt *Matthæus* quidam, ſive *Gregorius* HAGENUS, qui in Chronicis Auſtriæ Germanico ſermone ſcriptis, LEOPOLDUM ait contra Saracenos pugnantem meruiſſe, ut ſcutum Auſtriæ rubeum faſcia alba diſtinqueretur. Cujus ſubin ſententiæ accedit *Vitus* ARENPECKIUS, qui maximam partem verba HAGENI exſcripſit, vertitque latine. Verum enimvero HAGENUS modo poſt medium ſæculum XIV. ſcripſit, (g) & ARENPECKIUS dein ſæculo XV. plus quam adulto. Qualis igitur jam fides his auctoribus in re ab antiquis prorſus præterita, haberi poteſt? In ſecundo Tomo dictæ collectionis iterum adducitur ſcriptorum par, qui de origine *Faſciæ hodiernæ Auſtriacæ* prolixe ſatis, ſed diverſum in modum exponunt. Unus eſt MARTINUS Abbas *Scotorum* Vindobonæ, alter HASELBACHIUS. Verum ambo hi ſæculo demum XV. vixerunt, adeoque de rebus ſæculi XII. fidem antiquioris ſilentii haud ſuperant. Quid, quod poſterior apud viros eruditos jam nomine, etſi non clariſſimo, innotuit, commiſſisque in hiſtoria Auſtriaca erroribus paſſim male audit. Interim Abbas MARTINUS momenta nonnulla prodit, quæ ſingularem a nobis indagationem requirunt. Refert nimirum in ſuo Dialogo hiſtorico (h) quod in ſacra expeditione, adquiſita a LEOPOLDO ſint nova Inſignia Auſtriæ; atque præprimis quaſi certum hic ponit, quod filius fundatoris Scotorum LEOPOLDUS dilataverit civitatem (Vindobonam) prope annum MCC. expenſis Regis Angliæ. Deinde Ducis cum Rege contentionem, accenſasque ob dejectum vexillum Auſtriacum iras memorat. Tandem addit: *Tum Dux Auſtriæ meruit clypeum, quo nunc utuntur Duces;*

Sed tantum fide recentiorum auctorum nititur.

g

h

(g) Hieron. PEZ. T. I. Script. rer. Auſt. col. 1046. (h) Ap. laudatum PEZ. T. II. col. 648.

ces; prius habuerunt anteceſſores ſui quinque Aquilas. Tamen (legendum fortaſſe: *tam enim*) *viriliter ibi pugnavit, quod totus fuit perfuſus ſanguine, præterquam ſub cingulo; quo depoſito, ibi apparuit albedo, & ſic in clypeo rubeo, albus tractus pertranſit rubrum.* At vero Abbas MARTINUS, uti ſupra diximus, rerum ſæculo XII. factarum (quippe modo circa annum MCCCCLXX. defunctus) teſtis idoneus cenſeri nequit. Memorabile tamen illud, quod de amplificatione urbis *Vindobonæ* profert; quodque vetera Inſignia quinque *Aquilas* fuiſſe ſignificanter dicat, non vero *Alaudas*. Viderat nempe ſuo in archivo ſigilla RUDOLPHI IV. ALBERTI IV. aliorumque Ducum, quæ hodiedum in eo adſervantur, *quinque volucribus* conſpicua, quas volucres *Aquilas* eſſe agnovit; atque inde vetus hoc fuiſſe Auſtriæ Inſigne ſecum reputabat. Hinc confirmatur, quod alibi monuimus, eam de volucribus in ſcuto Auſtriaco etiam
i tunc ſæculo XV. fidem fuiſſe. (i) Quod vero ad amplificationem *Vindobonæ* attinet, in æra notanda Rev.mus D. Abbas nonnihil aberravit. Etenim anno MCXCV. LEOPOLDUS filius Inſtitutoris Scotorum jam rebus humanis exceſſerat; proinde urbem *Vindobonenſem* anno MCC. amplius proferre, fato illi negatum fuit.

§. V.

Quare hæc refellitur.
k

ANimadvertit quidem doctiſſimus auctor *Germaniæ Principis* (k) iſtam narrationem de adquiſitis a LEOPOLDO, ob martiam virtutem, novis Inſignibus, ſibi haud conſtare; quod ſcriptores de tempore diſſentiant; tum etiam, quia res ipſa, velut ab aliis atque aliis, quamvis genti Auſtriacæ alienis, geſta narratur. Sed longe majoris virtutis argumenta accedunt ex ſilentio ſcriptorum fide dignorum, quæ mox ſequentibus paragraphis ſingillatim ponderabimus. Maximæ vero & validiſſimæ probationes, ubi de Inſignium originibus agitur, deducendæ ſunt ex ipſis clypeis ſigillorum, quibus Duces noſtri ad annum usque MCCXXX. publica inſtrumenta firmarunt. Etenim ex ejusmodi locis petita rationum momenta tantæ ſunt apud omnes æquos rerum æſtimatores virtutis, atque auctoritatis, ut opinionem, etſi communiter ab aliis receptam, facile infringant, penitusque evertant; prout id ipſum quoque in ſequentibus plenius demonſtrabimus. Repetamus igitur, quod ſuperiori Diſſertatione oſtenſum eſt; nempe LIUPOLDUM VI. ejusque filium LEOPOLDUM VII. Duces Auſtriæ, *Virtuoſum*, & *Glorioſum*, neque ante ſuſceptas expeditiones ſacras, neque inde in Auſtriam reverſos, ſcuto vexillove *Faſciam* ullam, ſed *Aquilam ſimplicem* immutatam ſemper geſtaſſe; id quod ſumpta ex archivis Mellicenſibus, Sanctæ Crucis, Scotorum hic Viennæ, & Zwethalenſibus, ſigilla manifeſte comprobant. Quidquid a LIUPOLDO VI. in Inſignium uſu novi cæptum, non id erat, quod *Aquila*, ſymbolum avitum, & teſſera Ducum Auſtriæ, in *Faſciam* mutaretur; ſed *Aquilam* contra, a majoribus acceptam, verum hactenus ſcuto tantum frequentem, in *vexillum* etiam ſumpſit, *Sanctæ Cru-*

(i) Conf. dicta Diſſertat. II. de ſcuto Auſtriæ veteri §. XV.

(k) Lib. 1. c. 7. p. 456.

Crucis ſignum adjungens; duplicavitque ea ratione ſigillum LEOPOLDUS, ut ex altera parte *Auſtriæ*, ex altera *Styriæ* Ducis ſpecie, & imagine equeſtri conſpiceretur. (l) Eodem argumento conſtat, mutationem Inſignium Auſtriæ ante HENRICUM *de Medelich* nondum fuiſſe factam; allata quippe a nobis ſigilla commonſtrant, Marchiones & Duces Auſtriæ a medio XI. usque ad initium ſæculi XIII. in ſcutis aliud habuiſſe nihil, niſi ſolam & *ſimplicem Aquilam*. (m) Ut igitur hodierna *Faſciæ* LIUPOLDO VI. ejusque filio cognomini VII. ignota fuit; ita quoque fabuloſa hujus origo illi adficta, attributionesque incongruentes, vel ex hoc ſolo capite concidunt. Sed jam ſilentium hac de re a veteribus ſcriptoribus ſervatum, inter recentiores vero diſſenſum & in enarrando variationem enucleatius expendamus. l m

§. VI.

I. Ob ſilentium Scriptorum veterum.

PRorſus apertum eſt, nihilque habet dubitationis, quod de auctoritate negantis argumenti diſſeruit acutiſſimus LAUNOJUS: (n) *Si, cum nullus omnino ſcriptor æqualis, vel ſuppar, nullum prorſus traditionis monumentum æquale, vel ſuppar alicui facto, quod memoria dignum fuit, præſtat teſtimonium; tunc ex generali ſilentio, quod ducentorum plus minus annorum æſtimari poteſt, efficax depromitur argumentum.* Quare cum tamdiu atque inter tot ſcriptores rerum Auſtriacarum, nemo omnium exſtiterit de tam memorabili facto Ducis LEOPOLDI in bello ſacro, deque inſigni illa clypei Auſtriaci mutatione, ibidem beneficio Cæſaris recens obtenta, æqualis aut ſuppar teſtis, cauſſam habemus graviſſimam, ex hoc generali veterum ſcriptorum ſilentio commentum illud recentiorum refellendi. n

§. VII.

II. Tum ob diſſenſum, & variationem recentiorum.

ACcedit (quod jam quidem docuimus) recentiorum ſcriptorum fidem in rebus antiquis ſuſpectam eſſe. Id vero maxime in narratione de facto LEOPOLDI, & de ortu Faſciæ Auſtriacæ notandum: quod inſignis ſit auctorum variatio & inconſtantia. Hinc quippe novo deducitur argumento, rem eam liquido fonte haud fluere; immo potius recentiores ſcriptores, ob adjunctas tam diverſe, facti rationes, circa ipſius rei veritatem hæſiſſe. Supervacaneum foret, varias omnium opiniones proſequi: ſatis habeo ex HASELBACHIO, & GUILLIMANNO, qui plures aliorum ſententias adferunt, monuiſſe: a nonnullis factum hocce de mutatione Inſignium Auſtriæ LEOPOLDO V. ab aliis Duci cognomini VI. vel VII. denique a quibusdam ALBERTO I. RUDOLPHI Regis Rom. filio (o) attribui. Quemadmodum alii ſunt, qui Faſciam Ducibus Auſtriacis datam adſerunt a FRIDERICO I. alii Iargitorem FRIDERICI Cæſaris filium conſtituunt, iterumque alii HENRICUM Imp. Prorſus autem ridicula eorum eſt opinio, qui, o

(l) Confer. dicta Diſſert. I. de Sigillis §. VI.
(m) Repete dicta ibid. §. II. & ſeq.
(n) Ap. PALIGNES. monito XXX. p. 249.
(o) GUILLIMAN. Habsburg. l. 2. c. 8. m. p. 19.

ut ſi plus delirare cuperent, a communi commento de cruentata veſte Ducis LEOPOLDI abeunt; originemque Faſciæ Auſtriacæ ad neſcio quam faciem muliebrem referre ſatagunt. En fabulam:

p (p) Quidam adſerunt, pro mulieris cujusdam ſpecioſiſſimæ detentione, cujus facies rubicunda, & dentes candentes erant in medio, clypeum Auſtriæ, pro militaribus præfati Principis actibus, Imperiali dono, his coloribus decoratum ipſum obtinuiſſe. Riſum teneatis amici! Nimirum eo delabuntur homines, cum rerum antiquarum origines ſine coævorum ſcriptorum, aliorumve monumentorum auctoritate ſcrutari laborant: tandem in nugas incidunt. Id ſane accidiſſe, queruntur viri docti, non modo ſcriptoribus medii ævi, ſed & antiquitatum Romanarum, & Græcarum ſtudioſis; ut genuinis deſtituti monumentis, in ſomnia, prodigia, ac portenta delapſi ſint. Nec mirum adeo, quod etiam ſcriptores rerum Auſtriacarum, recentiore demum ævo de ortu Faſciæ Auſtriacæ ſolliciti, inopia, vel potius neglectu antiquæ auctoritatis, quæ ex ſigillis, & diplomatibus, aut aliis hujusmodi monumentis petenda eſt, ad ineptias abierint. Animadverto tamen, inter recentiores iſtos ſcriptores fuiſſe, qui ſilentio antiquiorum permoti, de Faſciæ Auſtriacæ ortu non adeo audacter pronunciant: quid, quod narrationem vulgarem reſpuunt?

§. VIII.

III. Quia monumentorum fides, utpote Scriptorum teſtimoniis major, iis contraria eſt.

SEd ponamus, a contrario & ſcriptores ævi recentioris in adſerendis faſciæ Auſtriacæ originibus maxime concordes hactenus fuiſſe, & nunc demum grandævum ab his in ſcenam producti auctorem, qui teſtetur: jam tum anno MCXCI. hodierna Auſtriæ Inſignia Duci LEOPOLDO in præmium heroicæ virtutis elargita fuiſſe: quid nos auctoritate monumentorum agemus? Meam hac ſuper re conceptam animi ſententiam per ſimilitudinem expono: quemadmodum in judicio omnes quidem teſtari poſſunt, qui ad fidem de re dubia faciendam judici evocantur, & examinantur; quin omnes illi *idonei teſtes* habentur, qui jure teſtimonium dicere non prohibentur; decretum tamen eſt, ut contra plures etiam teſtes aliud *teſtimonium majus*, ſeu teſtis (ut vocant) *omni exceptione major*, cujus teſtimonio nihil objiciendum, quod fidem diminuat, adhiberi poſſit; qui teſtis ſubin auctoritate ſua priorum dicta deſtruat. Eadem ratione in ſtudio hiſtorico eſt conſtitutum, ſcriptoribus maxime æqualibus & ſupparibus oportere fidem haberi; donec aliud certum & ſincerum monumentum, quod nihil habet dubitationis, evincat contrarium. Atqui quicunque norunt, quantæ auctoritatis ſint in re hiſtorica Principum ſigilla, nummi, diplomata, aliaque ejus generis publica monumenta, his ſane apertum eſt, argumentum ex ejusmodi limpidiſſimis fontibus petitum, majoris eſſe roboris, quam ſcriptores, quantumvis canos & vetuſtos. Illud enim, quia publicum, jure & merito habetur pro documento, quod omni exceptione eſt majus, quodque fidem quorumvis diſſentientium infringit. De ſumma hac auctori-

(p) HASELBACHIUS apud PEZ. T. II. col. 714.

ctoritate publicis Principum documentis præ ſcriptoribus quibusvis debita, pluribus egerunt primi in re diplomatica Proceres, MABILLONIUS, & Abbas Gottwicenſis, (q) aliique plures; ut adeo ejus rei nulla eſſe poſſit dubitatio. Si igitur ea res ex juſto pondere conſideretur; una quidem lance trutinandus eſt, & grandævus ille ſcriptor, qui, ut noſtra hæc hypotheſis fert, ad annum MCXCI. mutationem clypei Auſtriaci expoſuit, adſeruitque in eo quondam fuiſſe *quinque Alaudas*, eas vero deinde in *Faſciam* mutatas. Huic enim, quicunque fuerit, donec graviore ſuperatur auctoritate, pondus ſuum manet, quo alios ad conſenſum moveat. Si vero contrarium, idque majoris roboris argumentum in altera lance ponatur, id utique prævalet, priusque deſtruit. Graviſſima proinde conſenſu omnium litteratorum, ſummæque auctoritatis monumenta publica opponimus, ſigilla ſcilicet Marchionum, Ducumque Auſtriæ, quæ ſcriptorem illum evidenter refellunt; id quod ſæpius jam monuimus: nimirum ad annum usque MCCXXX. in clypeo Auſtriaco perſtitiſſe ſimplicis *Aquilæ* figuram, nec ante annum MCXCI. unquam *quinque Alaudas* adparuiſſe; *Faſciam* denique hodiernam ſæculo demum XIII. in ſcutum Auſtriacum adſumptam eſſe. Quodſi jam vel unicum diploma tantæ viris litteratiſſimis in Gallia viſum eſt auctoritatis, ut, quod MABILLONIUS de veterum inſtrumentorum fide agens adnotavit, integrum, etſi ætate æqualium, cætum labefactaverit, atque infregerit; (r) quid nobis ab æquis rerum æſtimatoribus non ſperandum; cum non unum Principis autographum, ſed ferme innumera ſerieque haud interrupta Marchionum Ducumque genuina, minimeque dubia ſigillorum ſymbola, contra recentiorum placita, & vel contra unam ſcriptoris enunciationem opponere valeamus. Nec video, quid contra monumenta Principum noſtrorum ex tam diverſis ſcriniis, & tabulariis educta excipi poſſit. Patet itaque, eâ in re provocandum haud eſſe ad teſtimonium ſcriptoris, cujuscunque etiam ætatis fuerit; id enim certis, & antiquitatis veræ monumentis præponderatur, & deſtruitur. Quare firmiter tenendum, ſub LEOPOLDIS Auſtriæ Ducibus, faſciam in ſcutum adſumptam haudquaquam fuiſſe.

q

r

§. IX.

PRogrediamur ulterius, atque idipſum novo fundamento ſtabiliamus. Vetuſtiſſima apud Germanos, de quorum moribus TACITUS egit, conſuetudo fuit, pro diſcrimine Ducum & familiarum, ſcuta variis diſtinguere coloribus. Unde etiam iſta Inſignia, ſeu arma gentilitia, adpellabant SIGNA. Ex quo argumento concludit eruditiſſimus ſcriptor Italus: (s) „ Inſignia, quæ „ nihil præter colores oſtendunt, adeoque omnium antiquiſſima „ ſunt, a bellis ſacris originem ducere non poſſe. Nam in ejus„ modi expeditionibus, Ducum & Principum virorum diſcrimen „ ſatis aliunde conſtabat; neque in tanta militum multitudine ad „ diſtinguendum unum ab altero ſoli colores ſufficere poterant.

Quin origo Faſciæ Auſtriacæ ex bello ſacro peti haud poteſt.

s

(q) Vid. dicta a nobis in Genealogia Diplomat. Aug. Gentis Habsburg. T. I. Prolegom. I. p. 4.

(r) Annal. Bened. T. III. p. 255.

(s) UBERTO BENEVOGLIENTI ap. PALIGNES. p. 183.

Cum itaque nova (ut vocant) Auſtriæ Inſignia, *albo* & *rubro* tantum coloribus expreſſa, ab expeditionibus ſacris originem habere nequeant, clypeique ſolis coloribus diſtincti, jam pridem ex arbitrio, ſeu conſilio cujusque Ducis, ac gentis inſtituti eſſent (quod enim ejusmodi Inſignia ſimplicia, quæ alias pro antiquiſſimis habentur, recentiori demum ævo ab ipſis Ducibus in ſcutum Auſtriacum illata ſint, hoc infra melius declarabimus) certe non intelligitur, qua ſpecie dici poſſit, *poſtea*, id eſt, poſt ſacram expeditionem Ducis LEOPOLDI, ab HENRICO Cæſare duplicem colorem pro ſymbolo & Inſigni decretum eſſe; quandoquidem jam tum Duces Auſtriæ proprium ſibi ſymbolum, ſcilicet Aquilam, habuerunt. Enimvero HENRICI VI. ætate Nobilitas jam non amplius meris coloribus, itemque faſciis, ſeptis, repagulis, & columnis Inſignia diſtinguebat, ſed tum leonum, aquilarum, aliorumque animantium figuris exornare cœperat. Propius itaque fidem eſſet, rerumque & temporum ordini magis conſentaneum, ſi fingere liceret: LEOPOLDUM VI. in ſacra expeditione vetus illud Inſigne ex coloribus, *alba* nimirum *faſcia* in *area rubra*, a majoribus acceptum, prætuliſſe, poſtea vero ob præclara facta ſua ex donatione Cæſaris imaginem *Aquilæ*, ſeu ſi velis etiam *quinque aves* pro ſymbolo accepiſſe. Verum iſta theſis a facto aliena eſt. Ex tot enim ſigillis, aliisque veræ antiquitatis monumentis, certo conſtat, & ex antea dictis extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: Marchionibus, & Ducibus Auſtriæ ex gente Babenbergica primum in Inſignibus fuiſſe *Aquilam ſimplicem*, ac multo poſt demum *Faſciam hodiernam* in uſum veniſſe. Age vero nunc, originem adſumptæ in ſcutum Babenbergenſe antiquum *Aquilæ*, ex occaſione *belli ſacri*, ſi datur facultas, explica; aut qui antiquiſſima illa, prout cenſentur, Inſignia, puris expreſſa coloribus, nullisque animantium figuris conſpicua, his fontibus deduces? Non expeditiones ſacræ, non Cæſarum donationes juvant, utrinque præcluditur effugium. Dudum enim ERNESTUS Marchio Auſtriæ, priusquam expeditiones in terram ſanctam fierent, ſcutum, & quidem Aquila conſpicuum, in ſigillis exhibuit. Siquidem jam medio ſæculo XI. ERNESTI ſcutum lucem adſpexit; bellum vero ſacrum ſæculo primum eodem exeunte cœptum eſt. Scuta porro ſimplicia, quæ non niſi coloribus diſtincta ſunt, iis, quæ animalia referunt, ab eruditis vetuſtiora cenſentur. Nec tamen hinc pro regula ſtatuere licet: *ſcuta coloribus modo depicta, ac ſimplicia ex haſtiludiis* (ex quibus alii antiquitatem Inſignium plerumque deſumunt) *illa vero cum animantium iconibus ex bello ſacro originem habere.* (t) Etenim in Inſignibus Auſtriacis exemplum contrarium habetur; figura quippe *Aquilæ*, a Principibus Auſtriæ frequentata, ante bella ſacra ſumpſit originem; e contrario *ſimplex Faſcia*, in qua nihil præter colorem ſpectabile, poſtea demum, nec tamen in ludo equeſtri, ſed occaſione, de qua paullo poſt pluribus agemus, inducta fuit. Interim exinde patet, originem Faſciæ perperam ex bello ſacro deduci, atque exordia Inſignium vetuſtiſſimorum ex arbitrio, & conſilio Ducum profecta fuiſſe. Cæterum hoc animadverto, ex occaſio-

(t) PALIGNES. monito 26. §. 12. p. 181.

casione belli sacri in scutum Austriæ novam inductam esse tesseram, non quidem *Fasciam*, sed minutum crucis signum, in vexillis, cum Aquila conjungi solitum, referentem. Quæ res ex illis, quæ adduximus, sigillis LEOPOLDI clare constat. Hujus autem additione crucis (quæ ab iis, qui ad sacrum bellum proficiscebantur, vario usu adhibita fuit) (u) scutum Austriæ vetus nequicquam mutabatur; sed indicium modo præbebat, Ducem LEOPOLDUM *Cruce signatum* fuisse, expeditionemque in *Terram sanctam* fecisse. Neque id infrequens etiam aliis familiis erat, ut in Insignibus aliquod patratæ expeditionis sacræ signum relinquerent. Exemplum ejus rei e familia Schauenburgica Clar. SPERLINGIUS adfert: ADOLOHUS III. inquit, *in memoriam arcis Schawenburgicæ, in monte Urticarum exstructæ, Urticæ folium, & in memoriam rei gestæ in Terra sancta, tres clavos manuum ac pedum Christi inter Insignia ditionum suarum Schawenburgensium & Holsaticarum conjunxisse, cum corona spinea.* (w) Ast contra Fascia Austriaca cum rebus sacris, seu gestis in Terra sancta, nulla ratione cohærere intelligitur.

(u)

(w)

§. X.

QUin immo etiam si abessent omnia illa rationum momenta, hucusque a nobis allata, quæ rei de origine fasciæ Austriacæ ab adversariis enarratæ vel maxime insunt, vel certe adhærent; res tamen illa magni ponderis foret, quam nunc exponere constituimus, quamque unam refellendo, totam illam narrationem de obtenta dono Cæsaris fascia Austriaca, parem esse credimus. Est autem hujusmodi illud momentum: LEOPOLDUS VI. Dux Austriæ, cui donatio fasciæ ab HENRICO VI. Cæsare facta dicitur, ab anno usque MCXCI. ad finem vitæ nunquam *Fasciam*, sed continuo symbolum avitum, *Aquilam simplicem*, in scuto adhibuit. Atque ejus exemplum secutus est filius LEOPOLDUS VII. GLORIOSUS, qui, ut sequentia docebunt, in eadem semper consuetudine mansit: id quod sane manifestum est, totque documentis confirmatum, quot ad annum usque MCCXXIX. amborum Ducum sigilla exposuimus. (x) Nunc jam ista cum narratione nobis adversantium conferamus. Hi igitur facinus oppugnatæ a LEOPOLDO Ptolemaidis hujusmodi præmio muneratum volunt: quasi nempe HEINRICUS *Sextus Imperator clypeum Austriæ mutasset, & distinxisset campo rubro cum media semita alba.* Cum tamen nec LEOPOLDI VI. aut filii ejus LEOPOLDI GLORIOSI clypeus ullam mutationem ostendat; nihil enim in eo adparet *campi rubri*, nulla *media semita alba.* Verum juvabit singula circa rem hanc momenta adcuratius expendere, scilicet facinus LEOPOLDI, donationem Cæsaris, factam ab ipso, ut ferunt, mutationem clypei Austriaci: itemque temporis rationem, & certas adfectiones animi, quæ cum ea conjunguntur. Facta dicitur hæc mutatio a Cæsare, postquam Dux Austriæ ex bello sacro jam redux esset. Caussa porro relictæ militiæ, & accelerati domum itineris, ira fuit, post oppugnatam urbem, in RICHARDUM Regem Anglorum, ob

Ejus vero usus a LIUPOLDIS Austriæ Ducibus penitus neglectus.

(x)

(u) Vid. MENESTRERIUM origine des armoiries cap. XV. p. 295. & 308.

(w) Ap. HEINECCIUM de Sigillis p. 131.

(x) Vid. Dissert. I. de Sigillis §. V. Tab. II. & III.

aſpernationem dejectionemque vexilli Auſtriaci accenſa. Neque prius reſtinxit odium, quam cum ſequenti anno tranſeuntem per Auſtriæ fines Regem comprehendi, & in cuſtodiam tradi feciſſet. En itaque Regis, Inſignia Auſtriaca ſpernentis, ſuperbiam, & inconſiderantiam! En etiam infixam pectori Ducis, Inſignium, & vindicandæ injuriæ curam! Cui plane vindictæ ſpretorum Inſignium, contentionique omni ſatis extemplo fuiſſet factum, ſi Cæſar laceratum ex contumelia vexillum mutaſſet, ac LEOPOLDO (ut illi quidem ferunt) nova contuliſſet Inſignia. Neque vero alia magis ratione Dux odio indulgere potuiſſet, iramque profundere, quam adſumptione, & patefactione novorum Auſtriæ Inſignium; quippe quæ præmium virtutis, & donum Cæſaris eſſent. Attamen, uti jam dicebam, quodque penitus inculcatum volo, nulla *faſcia* pro Inſigni uſum habuit: Verum (prout tabulariis deprompta paſſim ſigilla demonſtrant) a Duce LEOPOLDO VIRTUOSO avitum, & gentilitium ſymbolum, *Aquila ſimplex*, conſtanter ſervata fuit. Unde utique colligitur: aut mutationem clypei Auſtriæ, quam adferunt, ab HENRICO Cæſare factam non eſſe, aut LEOPOLDUM VI. neglexiſſe Cæſaris beneficium; ubi maxime opus erat pro vindicanda patriæ gloria, & augendo gentis ſuæ honore accepta recens Inſignia ubique terrarum oſtentare; idque feciſſe contra morem avorum ſuorum, qui aliis ejusmodi privilegiis ſtudioſe erant uſi. Hujus argumenti noſtri vis magis intenditur ex eo, quod (ut ſupra monebam) neque LEOPOLDUS VII. filius Ducis Auſtriæ, cui ab HENRICO Cæſare Inſignia data feruntur, *faſcia* in ſcutis ſigillorum unquam adhibuerit. Mortuus ille eſt anno MCCXXX. ac paullo ante obitum, ſcilicet anno
y MCCXXIX. monaſterio *Zwettalenſi* diploma miſit, adpenſo ſigillo, cui *ſimplex* impreſſa *Aquila* fuit. (y) Deduces inde, ad annum usque MCCXXX. LEOPOLDOS, hujus patrem & avum, hodiernis Inſignibus Auſtriæ nequaquam fuiſſe uſos. Subeat vero nunc denuo animum conſideratio: utrum probabile ſit, Ducibus Auſtriæ per integros XXXIX. annos (tot enim intercurrunt ab anno MCXCI. ad annum usque MCCXXX.) tam illuſtre Cæſaris donum vile viſum fuiſſe, & velut ſtudio abſconditum? Enimvero ſi maxime detur, LEOPOLDUM VIRTUOSUM per modeſtiam, aut alia de cauſſa, *faſcia* utpote ſui facinoris præmio, uti noluiſſe; tamen LEOPOLDUM GLORIOSUM ipſa gloria, quæ ei adeo cordi fuit, & amore parentis, reverentia Cæſaris, incrementoque nominis ſui, ad recipiendum paternæ virtutis fructum, exponendaque omnium oculis nova Inſignia, motum crederes.

§. XI.

FRIDERICUS BELLICOSUS auctor Faſciæ hodiernæ conſtituitur.
z

DEfunctum anno Dom. MCCXXX. LIUPOLDUM GLORIOSUM, filius FRIDERICUS agnomine BELLICOSUS, Imperium Auſtriæ & Stiriæ conſecutus, excepit. De hoc FRIDERICO *Philibertus* HUEBERUS (z) ſigillum auctoritatis, ſeu equeſtre, ab eo jam tum anno MCCXXXI. adhibitum exhibet, cum perigraphe: FRIDERICUS DEI GRATIA DUX AUSTRIE. in

(y) Vide cit. Diſſert. §. VI. Tab. III. num. V. (z) Auſtr. ex archiv. Mellicenſ. Tab. III. num. V.

in cujus ſigilli ſcuto, omnium primo *Faſcia* loco *Aquilæ* adparet; in vexillo autem Inſigne nullum cernitur; nam quæ ad oras occurrunt trabes, ſive ſtrigæ, aut ſtriæ, in ornamentis potius, quam Inſignibus, habenda ſunt. Si ab ejusdem anni MCCXXX. curſu, ultimum LIUPOLDI, *Aquila*, primumque FRIDERICI, *Faſcia* inſignitum ſigillum monſtrari poſſet; maximi quidem momenti argumentum, ac evidens plane id foret (in rebus licet hiſtoricis non ſemper urgendum) eo ipſo anno contigiſſe notabilem iſtam Inſignium Auſtriæ mutationem.

Verum enimvero cum nos hic oſtendamus, LEOPOLDUM VII. in iſtis ſigillis, quæ ex variis ſcriniis hactenus in lucem protraximus, nullum Inſigne, præterquam *Aquilam ſimplicem*, adhibuiſſe anno etiam nunc MCCXXIX.; obtinuiſſe e contrario in ſigillis FRIDERICI jam anno MCCXXXI. adeoque ab ipſo regiminis ſui initio non *Aquilam* ultra, ſed inductam ejus loco *Faſciam*; vel ex hoc ſolum factæ mutationis epocha ſatis elucet, ſcimusque FRIDERICUM noſtrum primum fuiſſe auctorem, cui placuerit pro *Aquila* in Inſignia referre *Faſciam*, relatamque retinere, geminato, ab exemplo parentis, & more ſæculi, duplici ſigillo, in cujus antica, Auſtriacis, in poſtica vero parte, Styriæ Inſignibus conſpicuus eques exhiberetur. Primi generis exemplum ſubminiſtrat archivum Abbatiæ Claræ Vallenſis, vulgo *Zwettl*; alterius generis eduximus ex ſcriniis Abbatiæ *S. Crucis* Ord. quoque Ciſter. Charta illa prior data eſt *in Cremis* anno Dom. Incar. MCCXXIX. *XIV. Kal. Jan.* inſcripta hisce verbis: *Privilegium Ducis* LEUPOLDI *ſuper curia noſtra in Mangoldes*, ſignata *lit. M. n.* 17. atque edita a Cl. Viro *Jo. Petro a* LUDEWIG inter reliquias MSS. (a a) Sigillum in antica LIUPOLDUM Auſtriæ Ducem ſiſtens, *Aquilæ* figuram in ſcuto & vexillo luculenter expreſſam habet. Alterum diploma ex Abbatia *S. Crucis*, a quo hoc ultimum pendet ſigillum, *faſciam* in ſcuto referens, datum anno MCCXXXVI. adſervatur, *ciſta* 17. *num.* 25. Nec eſt noſtri memoria FRIDERICI adeo obſcura; quin antiquiſſimis res ab eo geſtæ chronicis ſint conſignatæ, ut bellis undique implicatus fuerit, ut Bohemos, ut Hungaros, ut ſuos quoque Auſtriacos habuerit infeſtos; quoad tandem prælio cum Hungaris habito occumberet victor an. MCCXLVI. (bb) Aſt in terram ſanctam expediviſſe unquam, aut *faſciam* illinc velut invictæ fortitudinis ſignum reportaſſe, a nullo prorſus ſcriptore, ne verbo quidem uno, traditum eſt: proinde & hoc itidem nomine commemorata narratio communis refellitur.

aa

bb

§. XII.

TAmetſi autem argumentum ex monumentis certis, atque ex ipſis Ducum clypeis, ac ſigillis petitum, quod modo adduximus, iis maxime in rebus, quæ ad eruendas Inſignium origines pertinent, tantæ ſit auctoritatis, ut fidem hiſtoricam pleniſſime mereatur, nec ulteriori probatione ſit opus; expedit tamen etiam teſtimonium ſcriptoris, ævo FRIDERICI æqualis, in medium pro-

Idipſum adſeritur teſtimonio ENNENCKELII ſynchroni ſcriptoris, & fide aliorum auctorum.

(a a) Tom. IV. pag. 39.

(b b) Chron. Mellicenſe ibid. col. 240.

proferre, auctoresque recentiores consulere, ut hac ratione & exordium adsumptæ fasciæ in clypeum Austriacum adhuc clarius elucescat; & vera inde temporis ratio factæ propagationis novorum Austriæ Insignium statuminetur. FRIDERICUS itaque, qui primus Ducum Austriæ initio statim sui regiminis, proprio testante sigillo anni MCCXXXI. supra allato, *fasciam* in aream scuti susceperat, proximo deinde anno MCCXXXII. suos *coccinea* veste, per medium *alba*, Equites exornavit. Hic vero militum adparatus *ruber* & *albus* futurus minime fuisset, nisi Dux ipse jam anno superiore hosce in scutum & vexillum colores, tanquam sui regiminis tesseram & Insignia, suscepisset; uti id sigilli clypeus unius coloris, cum unica fascia, seu *Banda*, ut vocant Heraldici, alterius coloris, plane pleneque manifestum reddit. Antequam vero causam inquiramus, cur suis *vestem* Equitibus dederit Princeps *coccineam*, pelle ex *vario* subsutam, cum cingulo ac baltheo *candente*, hujus rei momentum testimoniis scriptorum prius roborandum est. Audiamus primo ENIKELIUM, seu ENNENCKELIUM Poëtam Austriacum, qui post sæculi XIII. initium de Principibus Austriæ, ac Styriæ librum, ab *Hieron.* MEGISERO Historiographo Cæsareo *Lincii* anno MDCXVIII. vulgatum, conscripsit, adeoque FRIDERICI BELLICOSI auctorem synchronum, hac de re ita
cc canentem: (cc)

ff *Darnach der Furſt Fridreich,* *Ze den Schotten, alz* (ff) *man iach,*
Der Vogt waz in Oſterreich, *Er gab zwai hundert Rittern Swert,*
Der wolt mit ſchonen Sachen *Dez waz der Furſt vil wol wert,*
dd *Zwar* (dd) *hundert Ritter machen,* *Si trugen von ganzem Scharlach chlait,*
Und wolt auch ſelber Ritter werden *Dadurch ein Strich vil gemait,*
Auf der Schotten erden. *Der waz weiſſer, den ein Swann,*
ee *In dem Phortreich* (ee) *daz geſchach* *Vehe vedern wolgetan*
Truegen ſi zu ier furrier etc.

gg Paullo inferius (gg) idem auctor FRIDERICI Ducis iter ad FRIDERICUM II. Imp. describens, sic inquit:

Darnach der Chaizzer Fridreich *Zwai hundert Ritter wolgetan,*
Gepot einen hof, der waz reich, *Die furten Scharlach chappen an,*
Da kamen di Furſten all dahin, *Die wurden gewarcht wol mit fleizz,*
Di tummen, und die hetten Sinn; *Dadurch ein edel Strich weizz,*
hh *Da fur auch Sicherleich* *Gie von edelin* (hh) *ſcharlach guet,*
ii *Der edel Herzog Fridreich,* *Dez wrewt ſich da dez* (ii) *Ritter muet,*
kk *Er furt mit in an ſeiner Schar,* *Newe Schilt* (kk) *und newez gerait*
Daz ich ew ſag, daz iſt war, *Furten die Ritter unverzait. etc.*

Appo-

(cc) Pag. 117. & seq.
(dd) Aliud MS. *Zwai.*
(ee) Aliud MS. *Phortzeich.*
(ff) Aliud MS. *man mier veriach*: id est, *geſagt, bezeuget, bekennet.*
(gg) Pag. 125.
(hh) In excerptis e Chronico generali Joh. ENNENCKELII, quæ extant Tom. II. script. rer. Austr. ap. 541. ad 544. eadem refert auctor de itinere FRIDERICI Ducis Austriæ ad FRIDERICUM Imp. II. cum paucis hisce variantibus lectionibus. Hoc loco habet: *Weizzen.*
(ii) Loc. cit. *Dez . . . . die Ritter wol gemuet.*
(kk) Ibid. *Newe Klait, und Schonew Kleit.*

Appoſitum prorſus hoc ENNENCKELII teſtimonium evincit, FRIDERICO Duci ſuos *coccino* veſtire *Equites*, cinctosque per medium *albo* exornare viſum eſſe. Qua in re, quid ad indicanda colorum in Inſignibus Auſtriacis primordia & originem clarius apertiusve fieri potuerit, haud equidem video. Creandorum ſcilicet militum occaſione, non a prælio in Oriente commiſſo, neque ex Cæſaris elargitione, ſed ex beneplacito & conſilio Ducis Auſtriæ, colores illi *rubrum* & *album*, quos novi ſcuti auctor pro teſſera in aream clypei paullo ante adſumpſerat, in veſtimentis & Ducis, & ſuorum militum, jam paſſim comparuerunt. Nullus hic de tinctis hoſtium ſanguine veſtibus ſermo, ſed de *coccino*, ſeu *Scharlato*; nihil de parte corporis, quæ baltheo tegebatur, *alba* remanente, ſed de *Stria*, *Banda*, ſeu *Faſcia* per medium corpus *alba* ſolum fit mentio. Ut vero & facti hujus narratio, rhytmis Theodiſcis aliquantulum obſcurata, in apricum proferatur, & chronologiæ ratio magis adpareat, alios juvat etiam ſcriptores rerum Auſtriacarum, etſi nonnihil recentiores, hac de re diſſerentes audire.

In tabulis Clauſtro-Neoburgenſibus (ll) auctore *Ladislao* SUNTHAIMIO, lingua vernacula ſic lego: *Und als man zalt MCC. und XXXII. warde der hemelt Herzog Fridrich mit CC. ander Edler in dem Cloſter zu den Schotten zu Wien, Ritter, in beyweſen Hern Gebharts, Biſchofen zu Paſſau, und ander vil des adels des landes Oeſtereich, und klaydet dieſelben ſein Ritter all in Scharlach, und Weiſs-ſtrich mitten dadurch, die klaide all mit Vech unterfuettert: begab auch die mit pferden und anderem, ſo zu der Ritterſchafft dient und gehört.* Quæ omnia totidem fere verbis latine vertit *Vitus* ARENPECKIUS in ſuis Chronicis Auſtriacis ad hunc annum, ita inquiens: *Anno Chriſti MCCXXXII. Purificationis Mariæ, Fridericus Dux cum ducentis Nobilibus in monaſterio Scotorum Viennæ, in præſentia Gebhardi Epiſcopi Patavienſis, & aliorum multorum ex Auſtria Nobilium, Miles creatur, qui cunctos commilites ſuos* SCHARLATO, *cum* ALBO IN MEDIO, *& ſubductura de vario veſtivit, & equis, ac aliis clenodiis militaribus donavit.* Idem ARENPECKIUS ex ENNENCKELIO quoque memorans, FRIDERICUM, poſtquam cum Imperatore in gratiam redierat, adhuc ſuos ſecum habuiſſe milites coccinatos, alboque ilia baltheo religantes, (mm) *Noviſſime*, ait, *cum Imperatore fuit concordatus, qui eum ad ſe in Italiam ad Veronam, vulgariter Dietrichs-Bern, evocavit; quo in ſalvo conductu cum ducentis Equitibus,* SCHARLATO CUM ALBO IN MEDIO *veſtitis, pervenit.* Ex quo inſuper lumen accipit alter ENNENCKELII locus, a nobis ſupra recitatus: oſtenditque colores veſtitui militum datos, Inſignium loco fuiſſe conſervatos.

ll

mm

§. XIII.

SEd anſam arripio, inſignem ENNENCKELII locum a SUNTHAIMIO, atque ab ARENPECKIO jam expoſitum, magis magisque illuſtrandi. Quo major eſſet militiæ dignitas, ad eamque obtinendam promptius excitarentur juvenum animi, ſta-

ENNENCKELII locus magis illuſtratur,

(ll) Apud Hier. PEZ. T. I. col. 1023. & 1212. (mm) Ibid. col. 1212.

tutis præmiis & honoribus gaudebant milites, qui aliis, caſtra non ſequentibus, negabantur: etſi natalium nobilitate milites ipſos antecellerent. Cumque apud omnes fere nationes, ſæculo præſertim XII. & ſubſequente, conſuetudo invaluiſſet, ut ne quem *militem* adpellari oporteret, militarem qui non eſſet ordinem revera conſecutus; hinc nec ipſi Principes & Duces hunc titulum præſeferebant, niſi militarem jam adepti dignitatem; quam vero, ubi obtinuiſſent, ejus potiſſimum titulo gloriabantur. (nn) Hinc Annalium Auſtriæ conditores, velut rem claram, & memoria digniſſimam, data opera ad an. MCCXXXII. ita referunt: *Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ conſecrationis enſis dignitate ſublimatur.* (oo) Item: *apud Viennam militavit, & accinctus eſt gladio in monaſterio Scotorum in Vienna a Gebhardo Patavienſi Epiſcopo*, (pp) & quæ ſunt alia hujusmodi: ex quibus ſimul patet, hunc ritum conſecrationis enſis, tradendique cinguli militaris, ab Epiſcopo Patavienſi erga Ducem FRIDERICUM, in frequenti celebritate ſolennitateque fuiſſe peractum. Enimvero Ducem jam *militem* factum, ſuos ipſum CC. Nobiles, Milites creaviſſe audivimus; uti & ſimilia quamplurima hujus rei exempla de iisdem temporibus deſumpta, deque aliis multis nationibus relata recitataque invenimus apud CANGIUM: (qq) Illud autem præ cæteris notatu dignum, quod FRIDERICUS noſter ſuis commilitibus *coccino*, faſciamque ſeu cingulum *album*, atque veſtem pellibus ex *vario*, munitam indulſerit. Coccinum enim & pelles ejusmodi, Regii fere habitus erant, nec ille veſtitus, niſi Principibus viris concedebatur: ut pluribus id ſuo loco probabimus. Itaque cum FRIDERICUS ducentos Nobiles ſuos coccinea veſte, pellibus duplicata, cinguloque albo circumdatos exornaverit; ſtatuendum omnino eſt: Ducem ea re ſuorum veſtimentorum colores, qui tanquam Auſtriacæ militiæ ſigna conſecrata jam erant, in ſuis quoque Nobilibus, creando eos ſolenniter milites, iviſſe celebratum. Hinc quippe ENNENCKELIUS, poſtquam *Aulæ Fridericianæ* pompam ac majeſtatem, nec non ſplendorem & pretium veſtimentorum, militibus recens diſtributorum, hisce verſibus deſcripſerat, (rr)

Er gab roz und reiche chlait, *Die ſeinen hof ſuechten,*
Daz man heuth fir wunder ſait, *Dez waz eine dane vil*
Der ich aller nit ſchreiben will:

eosdem milites & novis armis ac clypeis, & novo veſtium adparatu, Duci ſuo perſimiles fuiſſe refert. (ss)

Newe Schilt, und newez gerait, *Alſo furen ſie geleich*
Furten di Ritter unverzait: *Mit dem Furſten Fridereich.*

§. XIV.

(nn) Conf. du CANGII Gloſſ. med. & inf. lat. voce MILES. Adde OTTONEM de S. Blaſio in Chron. ad an. 1184. cap. 26.
(oo) Chronicon Mellicenſe apud Hieron. PEZ. T. I. ſcript. rer. Auſtr. col. 238.
(pp) Chron. Clauſtro-Neoburg. ibid. col. 455.
(qq) Loco cit.
(rr) Loco cit. p. 111.
(ss) Ibid. p. 125.

Ad Insignia Austriaca. Tab: XIII.



N: 1.

N: 2.

N: 3.



N: 4.

N.

§. XIV.

HIs ita expensis, jam non ultra quidquam mihi desiderandum videbatur, nisi ut creatorum a FRIDERICO Duce Equitum Austriacorum, descriptorumque ab ENNENCKELIO, habitum, speciem, conspectumque ex genuino aliquo exhiberem monumento. Forte fortuna votum meum non tantum expletum, sed etiam superatum fuit; dum nempe & antiquam Equitis Austriaci imaginem quandam, & ipsius plane Ducis FRIDERICI vestitum, in icone (quæ in Abbatiæ S. Crucis *Domo Capituli* est, ejus sepulcrali lapide exsculpta) conspicere mihi licuit. Ista quidem statua, seu Ducis imago, quam ab antiquitate sua alio loco commendabimus, ut ex data delineatione hic quoque videre est, ultima urbis Viennæ obsidione, Turcarum furore & atrocitate, juxta caput maxime, & pedes, temerata fuit, læsa & confracta; attamen multa continet observatione dignissima. Dux dextera manu pugionem, læva scutum tenet, hodiernis Insignibus, *fascia* scilicet, insignitum. Sagum, seu vestis militaris, qua amictus est, ad genua usque demissa, lato cingulo infibulato, ex more veterum subnectitur. Satis inde patet, qui fuerit Ducis nostri habitus militaris; quamvis colores vestimentorum ex lapide haud cognoscantur. Tum etiam ille omni liberali doctrina politissimus, monumentorumque patriæ peritia cum paucis conferendus, Excellentissimus S. R. I. Comes a WURMBRAND, Consilii Imperialis Aulici Præses, inter alia Illustrissimæ familiæ suæ monumenta, effigiem quoque conservat, viri avita de gente orti, vitro adpictam, ut in templo *Glöggnicensis* Præfecturæ fuit reperta. Hæc priscum utique vestitum militum, Equitumque primi ordinis in Austria, coloresque exhibet. Vestis enim sagum coccineum est, *vario*, seu pellibus in adversum patente, extrorsumque replicato munitum, & lata *fascia candida* subnexum. Quod studio antiquitatis ac benevolentiæ Excellentissimi Dom. largitoris, mecum viri docti, elegantiarumque litterarum studiosi, debere se grati prædicabunt. Enimvero insigne hoc monumentum, illustratum hactenus ENNENCKELII locum ita vivis exprimit coloribus, ut simul liquido testetur, vestes, *rubri* & *albi* coloris, in habitu militari integra duo sæcula, & quod excurrit, a tempore FRIDERICI BELLICOSI perdurasse. Itaque delineationem illius Equitis Austriaci, uti factum, ante oculos exposuisse sufficiet. Ipse archetypus vitreus *Steirsbergii* adservatur, infraque subscriptum tenet: ANNO DOMINI MCCCCXXXIV. WOLFFGANG. WURMPRANT. MO. quod forte dicit, MORTUUS. Nec aliud quicquam in his effigiebus inter Ducalem illum ad *S. Crucem*, & militarem hunc WURMBRANDI habitum interest: nisi quod in icone Ducis per medium pectus & brachia singulare quoddam, in speciem *fasciæ*, ornamentum spectetur.

Resque monumentis antiquitatis firmatur.

TAB. XIII. n. I.

NUM. II.

§. XV.

Causſa factæ hujus a FRIDERICO Ducc mutationis in ſcuto Auſtriaco.

ATque ita, detectis antiquitatis monumentis, illuſtrato ENNENCKELII teſtimonio, & oſtenſis tot Ducum Auſtriæ ſigillis, ob oculos jam rei veritas eſt poſita: nimirum adſumptæ in clypeum *faſciæ* auctorem alium haud eſſe, quam FRIDERICUM BELLICOSUM; eliſaque ſic ſatis manent, quæ ab aliis ſcriptoribus de rei hujus origine adferri ſolent argumenta: vel fide monumentorum deſtituta, vel rerum temporumque rationi diſſonantia, ac ſæpe figmentis fabulisque conſperſa. Age porro, illa videamus, deducamusque ex ratione temporum, & circumſtantiarum, ipſisque ex fontibus, quæ deferendæ *Aquilæ*, mutandorumque adeo Inſignium materiam FRIDERICO præbuerint? Evolventi mihi veteres rerum Auſtriacarum ſcriptores, a Cl. P. *Hieronymo* PEZIO editos, occurrunt pervetuſta utique Mellicenſia chronica, XII. Chriſti ſæculo ſcribi cæpta, & a coætaneis ad ſæculum usque XVI. producta, in quibus exſignata invenio ſequentia: (tt) *MCCXXX.* LIUPOLDUS *Dux Auſtriæ ac Stiriæ .... Apuliam proficiſcitur, & .... ibidem moritur; pro quo filius ejus* FRIDERICUS *Auſtriæ Stiriæque ſubſtituitur. Anno MCCXXXI. Rex Bohemiæ cum ſuis in Auſtriam ingreditur, & per quinque ſeptimanas incendio devaſtat, & per Optimates Auſtriæ, conjuratione contra Ducem Auſtriæ facta, præliis multis & incendio miſerabiliter humiliatur.* Ab ea narratione non multum diſcrepant chronologi recentiores, inter quos laudatus ſupra ARENPECKIUS, qui quidem ſingulares quasdam & notatu dignas profert circumſtantias; quamvis in temporum ratione haud prorſus quadret. De FRIDERICO Duce ſic habet: (uu) *Primo anno ſui regiminis inſurrexerunt in eum miniſteriales, & privaverunt ipſum theſauro patris ſui; deinde Auſtriam incendiis & præda vaſtaverunt.* Et paullo poſt: *Anno primo regiminis Ducis* FRIDERICI, *Wenceslaus, communiter dictus Primislaus, Rex Bohemiæ, cum magno exercitu Auſtriam intravit, & eam præda & incendio vaſtavit.* Idem hoc factum vetuſtioribus chronicis Clauſtro-Neoburgenſibus, a contemporaneo FRIDERICI Ducis ſcriptore exaratis ad an. MCCXXX. commemorat ſequentem in modum: *Boëmi Auſtriam rapina & incendio, nullo reſiſtente, vaſtaverunt. Piæ memoriæ Dux* LIUPOLDUS *apud ſanctum Germanum obiit; moxque miniſteriales ejus fere omnes contra filium conjuraverunt, primo dolo privantes eum theſauro patris, ac poſtmodum totam fere Auſtriam incendio & rapina vaſtaverunt.* Addo denique inſignem PERNOLDI locum, quem nuper edidit Cl. HANTHALERUS in Annal. Campililienſibus p. 1313. Hic ad annum 1231. ita narrat: *Henricus* (CHUNRINGIUS) *cum eſſet Rector Auſtriæ, officio,* & SIGILLO *Ducis* (FRIDERICI) *abuſus, ipſo abſente, e curia ejus Wienne plurima talenta auri & argenti carratis, per urbem vehi fecit, nemine dolum ſuſpicante.* Ne vero plures ex aliis annalibus locos exſcribere hic opus ſit, res Auſtriæ, ut illis temporibus erant, propriis ſtrictim verbis ſum complexurus. Itaque annum MCCXXX. usque eo FRIDERICUS Dux infeliciter egit, ut deteriore vix eſſe loco potuiſſet. Bohemi in

tt

uu

(tt) Tom. I. ſcript. rer. Auſtr. col. 238. (uu) Ibid. col. 1212.

in Auſtriam facientes impetum, evertunt omnia. Parens in Italia abſens moritur; vixque fatum hoc in Auſtriam fama tulerat, cum a Nobilibus, & Primoribus aulæ, adverſus hæreditarium Principem ſeditio movetur: theſaurum, quem pater Dux defunctus reliquerat, diripiunt, quin & FRIDERICI *Sigillo* abutuntur. Et ne ullus eſſet malorum finis, egreſſus omnibus copiis Rex Bohemiæ, Auſtriam infeſto iterum exercitu invadit, rapina & incendio cuncta devaſtans. Quid igitur in abrupto neceſſitatis Duci FRIDERICO conſilii? a quo ſui defecerant, qui rapto theſauro inops, inteſtinis motibus, externisque bellis circumventus, diſtrictus, & diſtractus, quo tandem nihil infelicius! huic, inquam, illud duntaxat ſupererat, ut fidem & fœdus cum iis, qui a clientela aut ditione nondum defecerant, renovaret, horum ope, atque opera domi militiæque uſurus. Unicum hoc & extremum reapſe adhibuit FRIDERICUS remedium, & tanto quidem animo, eoque felici ſucceſſu, ut mox anno MCCXXXI. ſui regiminis primo, & hoſtem ſubegerit, & perduelles miniſtros ad officium reduxerit. Tum & proximo inde anno MCCXXXII. viros Nobiles, ſervata potiſſimum fide, *Equites* creavit, numero *ducentos*, quos ante alios propriis Inſignibus decoravit, magnificam eis ſic referens gratiam. Si quæras: quid *Miniſterialibus* ac Nobilibus anſam præbuerit, ſtatim ab ipſo exordio, quo FRIDERICUS patri in Auſtriæ ducatu ſequi debuiſſet, ſeſe opponendi, filiumque patris theſauro privandi? Chronographi noſtri ſilentio rem involvunt. Ac ego quidem motus iſtius cauſſam fuiſſe conjicio, jus forte illud Provinciale Auſtriacum, quod LIUPOLDUS pater promulgaverat, videndum in reliquiis MSS. apud Cl. D. a LUDEWIG *Tom. IV.* Etſi enim Ordinum Auſtriæ ingens ſemper fuerit libertas, quæ vel in ipſo Codice Juris ducatus exprimitur, dum inter cætera Nobiles a vectigalibus immunes declarat; attamen §. 35. ſtatutum legimus, *cogere poſſe Principem vaſallos ad militiam provinciæ neceſſariam; ut qui eam ſequi nequeat, ille altera redituum ex feudo parte teneatur.* Hoc aliudve ſimile onus detrectare, illudque mox poſt obitum legislatoris, antequam faſces FRIDERICUS jure hæreditario adſumere poſſet, *Miniſteriales* de libertate meditantes, excutere voluiſſe, a fide non abhorret. Favet huic opinioni, quod FRIDERICUS Dux, ut ab HAGENIO & ARENPECKIO notatur, quin ab ipſo ENNENCKELIO refertur, (ww) conſilio miniſterialis ſui WOLFGERI *de* PARAWE, *Steuras*, vel ipſo nomine antea ignotas, primus impoſuerit. Sed huic disquiſitioni diutius immorari non vacat. Interim ad id mihi animum intendas, ſciasque velim: durante factione miniſtrorum, & tumultu provinciæ, Ducem avitis ſuis Inſignibus uti haud amplius potuiſſe; utpote certaturum cum iis, qui patriæ ac ducatus ſigna militaria, cum rapto parentis theſauro & ſigillo tenebant.

ww

(ww) De Princip. Auſtr. p. 113. ſeq.

§. XVI.

Factio erat Ministerialium contra Ducem *Wiennæ* oborta, civibus veteraAustriæ Insignia retinentibus.

CAussa igitur, cur FRIDERICUS Dux avitum Insigne, *Aquilam*, in enarratis illis a chronologis rerum temporumque circumstantiis sinere, sibique aliam pro Insignibus destinare tesseram tenebatur, factio erat Ministerialium Wiennæ exorta, ubi per id tempus civitati, quin & provinciæ, vetera Babenbergensium Insignia fuere communia; ut hac ratione amici, intemerata fide a Duce stantes, perduellium tum & deficientium factionibus discernerentur. Solenne quippe olim fuit, hodieque est, in plerisque regnis ac provinciis, quod exoriente in civitate factionum studio, signa in præliis deferenda dividantur; clypei, imagines, ac symbola mutentur, cæteraque suarum propriam habeant partium significationem. Hinc MENESTRERIUS (xx) plura Insignia, partesque, ex quibus constant, ortum debere adserit ejusmodi factionibus, quæ multitudinem adversus Principem concitant. Ne vero quis inde putet, quicquid hujus tractationis est, de mutatione scuti Austriaci, id omne esse in conjecturis positum; difficultate, quæ maxime hic stringit, jam hactenus enodata, & commonstrata ad id tempus, facti specie, ex sigillis Ducis FRIDERICI, & Equitum Austriacorum vestimentis; nunc ex ipsius quoque civitatis Wiennensium, in qua factio adversus Principem coorta fuit, sigillis ibo monstratum: illam sæculo jam XIII. ante, & post FRIDERICI Ducis Imperium, adeoque & eo regnante, eadem specie *simplicem Aquilam*, Ducibus quondam ex stirpe *Babenbergica* frequentem, in Insignibus celebravisse; quanquam cum de provincia Austriaca sermo, pluribus opus non esset ad persuadendum viris eruditis, eadem & simillima semper isti provinciæ ad exemplum aliarum plurium, cum suis Principibus fuisse Insignia; quæ sicubi hi etiam mutassent, imitabatur populus; atque potuissemus admodum experientiæ stare, dum satis scimus, hodierna Insignia, seu *fasciam* Austriaco ducatui cum Ducibus ipsis a tot jam sæculis esse communem; immo & Ordines Austriæ, inductas a RUDOLPHO IV. in scutum *quinque volucres*, vel si mavis, *quinque Alaudas*, ab Archi-Ducibus postero ævo in memoriam Romanæ vetustatis adscitas, sibi quoque sumpsisse, & bonis id avibus scutum pariter cum altero illo, *fascia* conspicuo, in hodiernum usque diem perseverasse. Enimvero ex ipsis venerandæ antiquitatis monumentis, quæ in Wiennensi tabulario reperiuntur, præcedenti Dissertatione §. XIII. ostensum jam est: Babenbergensium *Aquilam* a civitate Vindobonensi anno MCCXXVIII. & subsecutis temporibus, in sigillorum scutis esse celebratam; unde utique inferendum nunc: eodem tempore Insignia Ducum, & renitentium clientum, fuisse similia.

xx

Ut porro pateat, Insignia Babenbergensium, seu Austriacæ potius provinciæ, Wiennensibus post tempora etiam FRIDERICI BELLICOSI in usu fuisse, ex dicto tabulario adnotare hic sufficiat: illa, eadem omnino forma, quam supra adduximus, in sigillo civium Wiennensium exhiberi, quo diploma datum *in Vigilia S. Jacobi anno MCCLXXXI.* ALBERTI I. tunc Austriæ Administratoris, con-

(xx) Origines des armoiries. c. 8. p. 187.

confirmatur, ſignatum ibidem *ciſta* I. *n.* 55. Quemadmodum anno MCCCXVI. eadem Aquila in ſigillo comparet, & quidem chartæ parvi momenti, de luſtratione quadam, adpenſo. Tum quoque an. MCCCCXLVII. itemque anno MCCCCXLVIII. a civitate curatum eſt fieri novum ſigillum, quod itidem continebat figuram *ſimplicis Aquilæ:* atque animadvertendum, in his omnibus ſigillis perigraphen hujusmodi eſſe: † SIGILLUM CIVIUM VIENNENSIUM.

Tandem de translatitio antiquiſſimi hujus ſigilli civici uſu mentionem etiam facit Cæſar FRIDERICUS PACIFICUS in dato anno MCCCCLXI. civitati Wiennenſium diplomate heraldico; quo ei poteſtatem geſtandi in poſterum, in clypeo nigro, auream bicipitem Aquilam, cum corona Imperatoria permittit; nam ita contextus habet: *Daz ſy den ſchilt mit dem guldein adler in dem ſwarzen veld, ſo ſy vorher löblich geprauchet und gefiehret haten, nühinfür zu ewigen zeiten denſelben adler, mit zwayn haubten geziert, mit ihren dyadernen, und zwiſchen denſelben haubten ein Kayſerliche cron auch von gold in demſelben ſwarzen veld des ſchiltes etc.* Quod latine ſic verto: „ Ita poterunt ſcutum, aurea aquila in umbone nigro inſignitum, „ quod antehac bene uſurpantes geſtarunt, in futurum hinc omne „ tempus retinere, eandem aquilam jam bicipitem, ſuo diade- „ mate ornatam, cum corona Imperatoria inter utrumque caput, „ & ea aurea, in eodem clypei umbone nigro adhibere. Autographum hujus diplomatis in eodem archivo civitatis Wiennenſis ſignatur *ciſta I. num.* 20. Ubi quoque advertendum, quod hæc aquila biceps nullam contineat parmulam mediam, nec alium clypeum, cruce inſignitum, ſibi adjunctum habeat. Neque etiam in diplomate Cæſareo ulla facta eſt crucis mentio. Inſignium vero incrementum non tantum Senatui datum fuit, ſed ſimul Conſuli, Judicibus, Senatui & civibus.

Quin utitur etiam nunc civitas parvo ſubinde ſigillo, magnitudine quaſi nummi cruciferi, in quo nec perigraphe, nec crucis ſignum, ſed ſimplex modo volucris, ſeu *Aquila*, conſpicitur. Corrigendus itaque LAZIUS, nec non BIRCKENIUS, qui præter fidem monumentorum adſeruerunt: jam tum ſub FRIDERICO II. Imp. *Aquilam bicipitem* Wiennenſibus pro Inſigni datam eſſe. His autem ita expoſitis, quod antea monui, in tranſitu hic repeto: *Aquilam*, avitum quippe Ducum Babenbergica ſtirpe oriundorum Inſigne, FRIDERICI BELLICOSI tempore civitati *Wiennenſium*, atque ſuis proinde frequens, ab ipſo Duce adhiberi nequiviſſe; quia cum iis certabatur, qui arma & Inſignia majorum in manibus habebant, quosque Princeps, utpote a fide deſciſcentes, ad officium ut redirent, erat coacturus.

§. XVII.

SEd jam qui faſciam hodiernam pridem LEOPOLDO VIRTUOSO, aut filio ſaltem ejus LEOPOLDO GLORIOSO, in uſu fuiſſe adfirmant, argumentum petunt ex quodam monumento Inſignium Auſtriæ, quod hic Vindobonæ, haud procul *Porta nova, in Porta ſalis vetere*, lapidi inciſum cernitur, illudque anno MCC. con-

Quid de monumento Vindobonenſi, Auſtriæ Inſignia referente, ſentiendum ſit?

conſtitutum jam eſſe ferunt. Siquidem opinio tenet: ea pecunia, quam RICHARDUS Rex Angliæ pro pretio redemptionis ſolvere coactus fuit, pomeria Vindobonæ prolata, & inter alia monumenta tum etiam hanc portam ædificatam eſſe. De hujus monumenti antiquitate quid tenendum, ſtatim æſtimabimus. Novo quidem hac in re errori CUSPINIANUS occaſionem dedit. Recentiores enim ſcriptores, ABERMANNUS & BIRCKENIUS, mirum quid
yy eſſe putarunt, quod ille indicaſſet: (yy) ſuo etiamnum tempore, ad murum inter *turrem ſalinam*, turremque *rubram* interjectum, duas columnas, imaginibus RICHARDI Regis, Ducisque LEOPOLDI ornatas, cum tabula, cujus interim ſcripturam aboleverat
zz vetuſtas, ſpectabiles fuiſſe. Aſt *Mathias* FUHRMANNUS (zz) perſuaſum ſibi habet, monumentum hocce in anaglypho, ad veterem *Portam Salinam* hodieque conſpicuo, reperiri; uti & ejusdem ære expreſſum exemplar edidit, adjecta adnotatione: occurrentibus hic figuris, dextera Regem RICHARDUM, ſiniſtra Ducem LEOPOLDUM VII. repræſentari; hanc quippe portam, aliasque urbis munitiones pretio, quo libertatem redemit RICHARDUS, exædificatas eſſe; atque eam ob cauſſam de principio *Portam* RICHARDI adpellatam, deinde vero, cum imperante ALBERTO I. Danubio advecti ſalis commercium per hanc portam exerceretur, *Salinæ* nomen accepiſſe exiſtimat. Verum multa hic occurrunt indicia, eam portam aut tempore nobis propiore exſtructam, aut figuras & imagines in ea exciſas ſubinde adpoſitas, & male a FUHRMANNO, aliisque explicatas eſſe. Delineationem totius
Num. III. monumenti, Lector, habes in adjecto ſchemate, eamque certe accuratiorem, ac illa eſt, quam laudatus auctor exhibuit. Nunc autem, edic, quæſo te, iſtæne binæ figuræ, tempore & tempeſtatum injuria attritæ, capitibus apertis, altera manu ſcutum, altera vexillum quaſi tenentes, præbeant ſpeciem RICHARDI Regis, & LEOPOLDI Ducis? Quæ ergo in his adparet majeſtas, quæ dignitas, quodve Regis Ducisque ſignum? Aut ſi effigies RICHARDI hoc ſaxo ſiſteretur; quare adpoſitum a dextera ſcutum *Angliæ* non præbet Inſignia? Enimvero *Aquila*, expanſis alis, pro ornatu caſſidi ſuperadſtans, ſatis indicat, in ſubjecto ſcuto, cujus emblema prope exolevit, non *Angliæ* Inſignia, nec alia deſignata fuiſſe, quam *Aquilam ſimplicem*, Imperatoris Inſigne, aut certe vetuſtum illud Ducum e ſtirpe Babenbergica ſymbolum. Demus etiam pecuniam, a RICHARDO pro libertate ſolutam, hujus portæ ſive turris ædificationi impenſam eſſe: itane credis effigiem & Inſignia ejus in publica porta cum Inſignibus Auſtriæ, & civium Vindobonenſium habere locum? Adpellaverint eam de principio *Portam* RICHARDI; an non id fortaſſe, quod hic illi locus cuſtodiæ fuerit? Portæ enim & turres hujusmodi plerumque uſui eſſe ſolent. Unde tamen certo non ſequitur: eam ipſam eſſe turrim, in qua olim retentus Rex fuit. Neque etiam id FUHRMANNUS contendit; ſiquidem hanc portam dicit, dimiſſo jam Rege, pretio redemptionis ædificatam; hancque ob cauſſam imagines RICHARDI & LEOPOLDI cum utriusque Inſignibus adpoſitas eſſe. Verum ego

(yy) In HENRICO VI.

(zz) *Alt und neues Wienn.* Lib. 2. cap. 10. p. 475.

ego duas has figuras viriles, tantummodo pro armigeris, ſive ſcuta & vexilla tenentibus, ſeu telamonibus, reputo; qualibus ornatur figuris templum S. Stephani, RUDOLPHI IV. uxorisque ſcuta ferentibus. Clarius adhuc exemplum ſubminiſtrat pictura, quæ intrantibus portam hujatis civitatis in *Turri rubra* ſeſe objicit. Hæc, ut adpoſitæ notæ chronologicæ loquuntur, anno demum MDXI. condita fuit. Figuræ viriles vexilla, ſcutaque tenentes, adeo luculenter in ea ſunt expreſſæ, ut nullus de illis ambigendi locus ſuperſit. Schema ſic ſe habet: ſuperne comparent Inſignia MAXIMILIANI I. Cæſaris, Aquila biceps Imperii medium tenens locum: a dexteris auſtriæ, a ſiniſtris Burgundiæ clypei conſiſtunt: inferne vero collocata videmus civitatis Inſignia: ſcutum alterum bicipitis aquilæ figura conſpicuum; alterum crucis ſignum, ſeu faſcias decuſſim poſitas præbet cum duplici inſcriptione, in ſchemate legenda. Sed redeundum jam ad *Portam Salis*; ibi enim nonnulla remanent, quæ notari merentur. Ad ſiniſtram, ſuper ſcutum faſciæ hodiernæ ſuperpoſita caſſidi *cauda pavonis*, certum præbet indicium, conſtitutum eſſe illud monumentum ſub regno Ducum Auſtriæ e gente Habspurgica. Quis enim unquam ſuper galeam ſcutariam Ducum e ſtirpe Babenbergenſi *pennas pavoninas* vidit? Contra vero harum uſus Habspurgicæ familiæ frequens & in deliciis fuit. Deinde ſubjectum ſcutum cum Inſignibus Vindobonenſibus novo argumento eſt, monumentum iſtud non quidem ſub LEOPOLDIS Babenbergicæ ſtirpis, ſed demum ſub Habspurgicis erectum eſſe; quandoquidem jam ſupra a nobis demonſtratum: civitati Vindobonenſium, florente ſtirpe Babenbergica, ut ipſis Ducibus, *Aquilam ſimplicem* pro Inſignibus fuiſſe. Decuſſim vero faſciarum, civitas iſta, uti omnibus conſtat, ſerius ad uſum vocavit. Quare non eſt, quod in ea re multi ſimus; quoniam ejus monumenti ædificatio recentior habenda, adeoque firmandis originibus *Faſciæ Auſtriacæ* minus idonea; quemadmodum & lapidi juxta feneſtram inferiorem intrinſecus ibi indita inſcriptio, clare indicat, anno MDXIV. hanc portam muro clauſam fuiſſe. Num. IV.

Præterea ex indicio tabulæ, in qua urbs Vindobona anno MDXLIII. delineata, & anno MDXLVIII. ære expreſſa eſt, illa, quæ *Porta ſalis* adpellatur, adhuc aperta cernitur. In vetuſtiſſimo denique urbis libello topographico, qui medio ſæculo XIV. inſtitutus fuit, nulla *Porta* RICHARDI, ſed *Porta Salina* denotatur. Hactenus de iſthoc monumento, quod alia meditanti, deque cauſſa adſumptæ in clypeum Auſtriacum faſciæ differenti, objectum fuerat.

§. XVIII.

JAm autem & id quæri poterit, qui FRIDERICUS, prædicto rerum ſtatu *Aquilam* omiſſurus, ita in *faſciam* inciderit, eamque *candidam* in *clypeo rubro*, ante alia tot ex lubitu adſumenda ſymbola, habuerit acceptiſſimam? Qua de re equidem tantiſper hic conſtituendum, quod ſupra jam innui, & infra pluribus oſtendam: Duces nempe Auſtriæ, & FRIDERICUM maxime; (aaa) quo aliis ami- aaa

Occaſio, qua in ſcutum Auſtriæ colores pro ſymbolo inducti,

(aaa) De ſplendore & pompa Aulæ FRIDERICI repetantur recitata ex ENNENCKELIO §. XIII.

amictu ſe auguſtiores facerent, coccum in primis, atque pelles murinas pretioſas (HERMELLINUM vulgo) *rubramque* ita, & *candidam* veſtem, ut Ducibus decoram, magni pendiſſe. Ex quibus, ſubin (quæ interim dari nobis poſtulamus) præmiſſæ quæſtioni facile reſpondetur: hunc ſcilicet FRIDERICUM, quem, rapto patris theſauro, cum ipſo ſigillo Ducali, atque ſignis militaribus, plerique ſuorum deſeruerant, aut perduelles urgebant, eumque externo ſimul bello preſſum, aliud, aut facilius ſaltem & expeditius, inire conſilium potuiſſe nullum; cum ad ſervatam hactenus a paucis fidem continendam, tum ad reducendos in officium perfidos, quam ſi ſe venerabilem Inſignibus & ſignis bellicis, atque etiam cætero habitu auguſtiorem redderet; hæreditarium ſic Auſtriæ Ducem (Ducalium maxime veſtium coloribus, quorum pro ſuo jure ſe compotem faceret) proinde quoque ſe patris ſui tenere ſedem palam omnibus oſtendens. Unde ſtatim & aliam poſſum, eamque haud ficulneam rationem proferre, qua ad ſumendam, in ſcutum umbonis rubri, candidam faſciam permotus fuiſſe FRIDERICUS videtur: nimirum ut (quemadmodum mox diximus) ipſa dignitate & excellentia colorum, Ducibus adeo frequentium, legitimum hæredem præſtaret ſe populo, &, quod caput eſt, ablata a miniſtris per licentiam Inſignia avorum, a ſuis diſcriminaret. Uſui quippe receptum erat, ex corporis ornatu, veſtiumque coloribus, gentilitias adſumere teſſeras; ex quibus ſubinde Inſignium origines, docente MENESTRERIO (bbb) legitime eruuntur. Sic & SPENNERUS, cum ſtatuiſſet (ccc) conſtare, viros Principes veſtibus uſos eſſe colorum ſchemate proprio exornatis, & potuiſſe eos, quando prodire in aciem cataphracti ſolebant, *inficere clypeos ejus colore panni, quo in ornatu domeſtico amiciebantur; ut Nobiles hoc pacto eſſent, hoc eſt, ut a ſuis agnoſcerentur;* id ipſum reapſe etiam factum fuiſſe, innumeris exemplis demonſtrat. Adde, quod milites FRIDERICI, ut referente ENNENCKELIO didicimus, coccinea veſte, & candido lumbos cingente baltheo militari, novoque clypeo & armis fuerint inſtructi; quæ utique omnia ad *faſciam candidam* in *clypeo rubro* rurſus accommodatiſſime referuntur; neque alia fuiſſet ad nova Inſignia introducenda materies aptior, quam *metalla*, ut vocant, ſeu *colores* ex Ducis veſtibus deſumere, atque inde ſignis militaribus illatos, ipſis militibus pro veſtimentis elargiri. Verum quæ hic de adſumptione Inſignium Auſtriæ ex veſtibus Ducis, deque earundem veſtium coloribus, itemque de *faſcia alba*, & *area rubra*, ſummatim attulimus, majoris jam claritatis ergo ſingillatim ſunt exponenda.

bbb
ccc

§. XIX.

Ducum ſunt veſtimenta, ex cocco, baltheoque albo, ſubductis pellibus pretioſis.

COmmonſtrandum igitur primo: Ducibus Principibusque *Scharlatum*, ſeu coccinum, cum baltheo albicante, & pelles murinas pretioſas, ſeu HERMELLINUM, in veſtitu fuiſſe, uſuque, ut eo ſe habitu redderent aliis auguſtiores; quod porro ex Ducali hoc veſtitu, *rubrum* & *album* colores, in Inſignia Auſtriaca in-

(bbb) De orig. arm. c. 14. p. 282. (ccc) Op. Herald. P. gen. c. 10. p. 69. & 71.

inducti, & primæ Nobilitatis militibus etiam ad veſtitum conceſſi ſint, hoc ex ſequentibus dein patebit. Et ſane viri Principes, atque Imperio nati, nullo non tempore cæteris ſe ſceptri gloria antecellere, pro ſuo jure ſignificarunt, veſtibus eum in finem, aliisve quibuscunque ſignis, inſignius ornati; cujus rei innumera poſſent ab omni ævo exempla ex hiſtoriis repeti. Sic veſtes, *purpura* aut *cocco* imbutæ, fuerunt ſemper ſummorum Principum, ac ſupremorum Ordinum. (ddd) Baltheus quoque, ſeu *faſcia alba*, ſi ſymbolum figuræ reſpicias, in nobiliſſimis pariter reponenda. (eee) Certe fuit *faſcia* olim regale æque Inſigne, atque nunc corona, vel diadema, quin ipſa vox *faſcia* notat idem ac ſceptrum. Unde apud VALER. MAX. FAVONIUS, cum *faſcia alba* POMPEIUS crus obligaſſet, excepit, *nihil referre*, in qua parte corporis Inſigne regium eſſet. Et apud PLUT. TRIPANES ante pedes POMPEII *faſciam albam* projicit, in ſignum regni in prædam conceſſi. (fff) Tandem *faſcia*, poſt hominum memoriam, ſignum militare habita fuit. Audiatur hanc in rem doctiſſimus Belga *Joannes Goropius* BECANUS diſſerens: (ggg) *Faſcia*, inquit, *quam noſtri Bandam vocant, priſcum noſtris fuit ſignum militare, quo omnium animi ad unionem & concordiam ſtricte, arcteque retinendam, moverentur.* Quæ forte etiam cauſſa eſt, cur ſigno huic, honoris ergo, medius in clypeo locus concedatur. (hhh) Sed, ſi unquam antea in cingulis militaribus, ſeu baltheis & veſtibus, a Principibus eminentia fuit inducta, id maxime ſæculo X. & ſubſecutis temporibus contigit; unde & Poëta in coronatione BERENGARII (iii) de donis Baſilicæ S. Petri oblatis ita canit:

Dona tulit perpulchra pius tunc denique templo,
Baltkea lata Ducum, geſtamina cara parentum.

Ad quem quoque locum reſpexiſſe videtur Cl. CLUVERIUS, (kkk) dum ait: *Balthei autem iſti erant lati; qualibus etiam nunc aurigæ in Germania cinguntur.* Præterea Cl. DU CANGIUS in gloſſ. voce *cingulum* ex antiquis carminibus Gallicis oſtendit, *baltheum* ſive cingulum militare *album* fuiſſe. De coloribus autem veſtium idem Poëta, *Cl.* ECCARDO interprete, monet: Principis tibialia, ſeu caligas, cum veſte coloris fuiſſe *rubri:*

Cum Princeps nitidus Tyrio procedit in Oſtro,
Tegmine veſtitus crurum rutilante metallo,
Quale decus terræ ſoliti geſtare Magiſtri &c.

Quin LUITPRANDUS (lll) indicat, Orientis etiam Imperatores rubricatis pellibus crura induiſſe, ſcribens: ROMANUM vitricum & ſocerum CONSTANTINI Imperatoris, communi populi conſenſu, *rubricatarum pellium caligis, ut iſthic Imperatoribus mos erat, uſum eſſe.* Itaque & in expeditionibus illis ſacris, vulgo *Cruciatis*, frequentioribus factis heroicis, veſtium quoque augebatur præſtantia.

(*ddd*) Vid. SPENER. Op. Her. P. gen. c. X. p. 61. ſeq.
(*eee*) Conf. SPELMAN. in Aſpiol. p. 89. ſeq.
(*fff*) SPENER. l. c. P. I. memb. I. p. 140.
(*ggg*) Ap. eundem l. 2. c. 6. p. 392.
(*hhh*) Vid. MENESTRER. l. c. cap. 21. p. 433.
(*iii*) ECCARD. Franc. Orient. T. 2. l. 32. p. 848.
(*kkk*) German. antiq. l. I. p. 292.
(*lll*) Lib. III. cap. IX.

mmm Equidem ALBERTUS Canonicus Aquisgranensis (mmm) exponit; ut Equites Galli, cum *Godefrido* BOVILLIONIO, Imperatori *Alexio* COMNENO sui præsentiam exhibuerint: *Scilicet in splendore & ornatu pretiosarum vestium, tam ex ostro, quam aurifrigio, & niveo opere* HERMELLINO, *& ex* MADRINO, *grisoque & VARIO, quibus Gallorum Principes præcipue utuntur.* Differunt HERMELLINUM & VARIUM. Prius illud Ponticum vellus est, muris Pontici exuvium, candidi velleris, furvis maculis plani muscarii adspersi, cui jam a longo tempore in vestibus Principum solemni-

nnn bus, atque in gentilitiis Insignibus usus invaluit. (nnn) Animalis dicti VARII, vulgo VEH, descriptionem refert *Cl.* MENESTRE-

ooo RIUS ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ istam: (ooo) „ *Varius* „ bestia est parva, paullo amplior, quam mustella, a re nomen „ sortita; nam in ventre candicat, in dorso cinereo colore variatur adeo eleganti, ut pellis ejus in delitiis habeatur, nec nisi „ excellentibus viris & mulieribus convenire in cultu, judicatur in „ urbibus bene moratis. Atque de hac vestium præstantia Angli cum Gallis olim certarunt, tantoque in pretio coccinum, & aliquot pellium genera habita sunt, ut anno MCXC. a PHILIPPO *Augusto* Galliarum, & RICHARDO Angliæ Regibus, fuerint in posterum

ppp militibus prohibita: (ppp) *Statutum est, quod nullus Vario, vel Griso, vel Sobellinis, vel e Scarletis utatur.* Similis fere interdictio sæculo XIII. militibus Siciliæ facta fuit, qua cæteris in vestitu coloribus concessis, ne *coccino*, aut *vario* uterentur, per hæc verba cautum: *Vestimentorum* (sit usus militibus) *cujuscunque coloris, præterquam*

qqq *de Scarlato, & sine infoderatura Vayrorum.* (qqq) Viri tamen Principes, & summo loco nati, his interdictis non tenebantur; quin contra vel ea re maxime generis splendorem adfectabant. Enimvero in tabulis expensarum anno MCCLXVII. pro vestimentis filiorum

rrr S. LUDOVICI Franciæ Regis factarum, hæc notata leguntur: (rrr) ROBERTUS *de* FIENES: *pro roba de panno aureo fourrata de erminis, & pro alia roba de Scallato, forrata de grosso vario, & pro coopertura de Scallato forrata de eodem.* Et auctor Italus VECELLIUS, vestitum *Ordelaphi* FALIERII, anno MLXXXV. qui Dux fuerat Venetia-

sss rum, describit his verbis: (sss) *Il manto dunque era di seta frigiato d'oro e foderato di* VARI, *pelli, che in quei tempi erano di grandissima stima. Di qui nasce, che l'armi e l'insegne di multe famiglie nobili fanno oltre le altre cose, queste pelli, che chiamano* VARI, *& percio si vede, che l'antichi pittori, qualunque volta volevano ritrar qualche gran personaggio di autorità, lo depinguevano ordinariamente con un manto foderato di queste pelli.* Id est: „ Pallium igitur erat sericum, cui „ intextum aurum, pellibusque, seu VARIO munitum, quod illis „ temporibus in summo habebatur pretio. Hinc etiam est, quod „ istæ pelles, quas VARIUM vocant, præter cæteras res in multarum familiarum nobilium armis & Insignibus habeantur; atque „ ideo videmus, antiquos pictores, magnæ auctoritatis personam „ quam-

(*mmm*) Lib. II. cap. 16.
(*nnn*) MENESTRERIUS l. c. c. 19. p. 399.
(*ooo*) Idem ibid. p. 411.
(*ppp*) *Wilhelm.* NEUBRIG. lib. 3. cap. 23.
(*qqq*) Chron. Siciliæ apud MARTEN. Tom. 3. Anecd. col. 89.
(*rrr*) Apud. eund. p. 410.
(*sss*) *Cesare* VECELLIO, de gli habiti antichi, e moderni, p. 42. Addat. DU CANGII Dissert. Sur l'histoire de S. LOUIS, par JOINVILLE.

„ quamcunque picturos, pinxisse plerumque cum pallio, his pel-
„ libus munito. Sed hactenus de exteris. Jam vero ut ad FRIDERICUM quoque nostrum deveniamus: non tantum ipsum amictum fuisse descriptis modo Ducum vestimentis, sed &, dum in Gallia, Anglia, & Italia, militibus interdicta essent coccinum & *Varium* (*rubrum* puta, & *album*) hos colores ducentis Equitibus suis Austriacis in vestibus concessisse, supra ex ENNENCKELIO satis patuit. Quin & illud hoc loco addendum: quod hodiedum in pompis funeralibus, ubi Insignium ratio pariter haberi solet, Augusta Domus Austriaca, suorum corpora demortuorum, immo & istorum loculos, textilia, cubicula, & universum nonnunquam adparatum Archi-Ducalem, servatis probe coloribus *albo* & *rubro*, ad ostentandam in hisce *Principum Austriæ* progeniem, serico, quod nitidum est, argento, & rubente holoserico vestit, atque exornat: prout hoc ipsum ex Diario Secretariæ Aulicæ pluribus exemplis alibi ostendemus. Nihil hic dicam de pileo Archi-Ducali, non recentiori quidem ævo, sed ab ipsa Babenbergensium stirpe orto, qui holoserico hodieque *rubet*, & hermellino *candet*; quippe de quo diademate, præcipuo Austriæ Insigni, alio pariter loco sumus acturi.

§. XX.

NUnc vero demonstrare pergo: ex vestimentis FRIDERICI Ducis, cocco scilicet & baltheo albo, fuisse *rubrum* & *album*, colores in Insignia Austriaca inductos; & ex his eosdem colores in militarem habitum migrasse. Id quod tanto facilius a nobis fieri potest; quod eam rem de Insignium coloribus dudum exhausisse videtur doctissimus DU CANGIUS, dissertatione de historia vitæ S. LUDOVICI conscripta, (ttt) qua enarrate docet: colores ex Ducum ac militum vestibus in clypeos ac Insignia gentilitia, adsumptos esse. Neque vero aliud quidquam hic nobis agendum est, nisi ut præclaros illos locos, quos Vir Cl. ex probatissimis auctoribus studiose congessit, B. L. commendemus, atque in his duos tantum patrios scriptores instar omnium, strictim allegemus.

Hinc area rubra cum fascia alba in clypeum Ducis, & ex hoc colores in militum saga manarunt.

ttt

Prodeat igitur statim Cl. HANTHALERI PERNOLDUS a nobis alias citatus, qui ad annum MCCXXXII. contra sententiam sui editoris rem in hunc modum edicit: *Dux* FRIDERICUS *in Purificatione apud Scotos Viennæ gladio accingitur, & nobiles ducenti cum eo, in magna solennitate, & hilari militum novorum ludo: quorum vestes rubræ erant, albo interstinctæ,* JUXTA FORMAM CONSUETAM CLYPEI AUSTRIACI. Alter a nobis hic in testem vocandus auctor est magnæ & prolixæ eruditionis vir Marcus VELSERUS, qui inter primos fuit, a quibus ita traditum, dum nempe ait: (uuu) *Atque ego compertum habeo, pleraque Insignia, quorum meri colores, ex militari primo habitu manasse, seu, quod hactenus eodem recidit, in militum sa-*

uuu

(ttt) Edita Parisiis in fol. 1668. chez *Sebastien* MARBRE *Cramoisi*.

(uuu) Lib. 4. rer. Aug. Vind. Et huic addi possent SPELM. Aspilog. p. 26. *Charles* SEGOING. Tresor heraldique, & MENESTRIER. origine des Armoiries cap. 12.

ga migraſſe ex clypeis. Nihil ſane poſſet ad illuſtrandam Inſignium Auſtriacorum originem unquam dici apertius. Quodſi jam & laudatum ſæpius ENNENCKELII locum repetentes, ut veram, rei a FRIDERICO Duce perpetratæ, narrationem cum rata hac VELSERI ſententia contendamus, & in memoriam revocemus ſimul ea, quæ de ſigillis, aliisque Ducis noſtri monumentis antea in medium adduximus; utique manifeſtum inde fiet: binos colores, *rubrum* & *album*, ex veſtimentis Ducis, id eſt, *cocco* & *baltheo albo*, jam anno MCCXXXI. in ſcutum & Inſignia accitos, anno hinc proximo, eodem habitu in militum ſaga ex clypeis deveniſſe. Et vero nihil id novi; ſiquidem jam Romanorum ævo, non ſolum *militibus*, ſed etiam viris *Palatinis*, teſſeræ dignitatis inſtar, & Principum indulgentiæ ſingularis, veſtes ſunt donatæ. Quod ipſum in Francico & Germanico Jure pariter obtinuiſſe, oſtendit exemplis Cl. de LUDEWIG: (www) Neque enim Principum Officiales unquam puduit tegi ac indui veſtitu, tincto ſui domini gentilitio colore; quia Duces quoque ac ipſi Reges veſtibus nonnunquam induebantur iisdem coloribus tinctis, qui in ſcuto ac veſtimentis ſuorum militum erant conſpicui. Immo exemplum iſtud hac noſtra ætate viguit in exercitu non modo Auſtriaco ac Cæſareo, ſed & in Boruſſico (quod laudatus LUDEWIGIUS etiam adducit) in quo nimirum militum, Officialium, Præfectorum, Magiſtrorum, Ducum, & ipſius Regis, idem color veſtium, cum legionariis militibus ſimilis, omnium adparuit.

www

§. XXI.

Concidunt itaque cæteræ contrarium ſentientium opiniones.

ATque ex iis, quæ hactenus dicta, & ſcriptorum teſtimoniis firmata, quin & antiquitatis monumentis roborata ſunt, liquido (ni omnia me fallant) tandem patet: originem *faſciæ*, ut vulgo narratur, fabuloſam eſſe, additumque ultro concidere iſtud eorum commentum, quibus faſciam, tanquam martiæ virtutis Inſigne, Romanorum ab Imperatoribus Auſtriæ Ducibus datum placuit. Aut vero, amabo, a quo alio Cæſare, & cuinam Auſtriæ Ducum, donata fuit illa *faſcia*, quam FRIDERICO Duci, agnomine BELLICOSO, & quidem a FRIDERICO Imperatore? id quod plerique contrarie ſentientium autumant. Aſt ſcimus Ducem huic de principio nec amicum ſe, nec morem geſſiſſe; quin eo res reciderat, ut adverſus FRIDERICUM ipſe Imperator in Auſtriam impetum faceret; & licet res fuerit multo abinde tempore in Italia inter illos compoſita; ſuſceperat tamen hodiernam faſciam FRIDERICUS jam diu ante, & ut oſtendimus, ab ipſo regiminis ſui initio. Qui ergo fiet, ut Imperator in heroicæ fortitudinis monumentum faſciam contulerit? Sane haud magis licet hiſtorico in rebus dubiis ad largitiones Imperatorum ac Regum confugere, quam convenit in rebus naturalibus explicandis, miram tantummodo DEI virtutem, ceu omnium, quæ fiunt ſub ſole, primam cauſſam, eamque omnipotentem, ſimpliciter adſignare.

Vani

(www) De juribus feudorum c. XII. p. 886.

Vani porro ſunt, qui cum CUSPINIANO, *faſciam albam* ab ipſo loco trahunt; quod Auſtria ſecatur media a Danubio fluvio, cujus proin hanc faſciam contendunt eſſe imaginem? Quin ego potius ſententiam hanc faſcinatam pene dixerim; atque tum illis id credam, cum faſcino plane effecerint, ne Danubius etiam per Sueviam, Bavariam, Hungariam, & quas non alias provincias & regna decurrens, in Pontum ſe exoneret. Adeone omnibus iſtis regionibus, quas Danubius lambit, in Inſignibus *faſcia* eſt? aut quo illis temporibus jure flumen ad ſolam pertinebat Auſtriam? Nec valet dicere: Auſtriam quondam partem fuiſſe Pannoniæ, Pannoniam vero in ſcuto quatuor habuiſſe faſcias albas, propter quatuor fluvios in campo rubro. Ut enim mei jam non eſt, Inſignia Pannoniæ exquirere, circa quarum origines & aliæ forſitan difficultates moveri poſſent; ita illa in medio etiam relinquo. Attamen animadverto, quod (ſi temporum ratio, prout oportet, habeatur) cum faſcia Auſtriaca FRIDERICO BELLICOSO auctore oboriebatur, Auſtria Pannoniæ pars eſſe dudum deſiit, neque unquam ad Hungariam poſtea pertinuit; adeoque nec ſua illinc potuit Inſignia deducere.

§. XXII.

EX eodem fonte rationes quoque profluunt, cur faſcia hodierna Auſtriæ pro *Inſignibus recentioribus* habeatur. Tametſi enim faſcia prius in clypeum Auſtriacum ſuſcepta ſit, quam *quinque Aquilæ*, aut *quinque Alaudæ* (ſiquidem oſtendimus, FRIDERICO BELLICOSO faſciam in uſu jam fuiſſe; quinque vero Aquilas primum a RUDOLPHO IV. ſuſceptas, & quinque *Alaudas* etiam tardius in clypeum Auſtriacum inductas) tamen ex monumentis palam fit, a Marchionibus, & veteribus Ducibus Auſtriæ ante FRIDERICUM adhibitam eſſe *ſimplicem Aquilam*. Proinde faſcia ex ſerie rerum, & habita ratione ad ordinem temporis, vere *recentior* eſt. Altera dein ejus denominationis cauſſa hæc habetur: quia *faſcia* non ad illam a *Legione Romana* petitam antiquitatem adludit; unde ex hoc quoque capite, jure ac merito *recentioris ſymboli* loco adſtruitur. Inquirenti denique in hujus *faſciæ* originem ſubſidio eſſe haud poteſt vulgaris illa traditio, qua ortus ejus a virtute bellica ac fortitudine LEOPOLDI VI. repetitur. Sigilla enim hujus Ducis, filiique ejus LEOPOLDI VII. ut pridem obſervavimus, contrarium docent, oſtenduntque eum, quem faſciæ auctorem ferunt, non *faſcia*, ſed *Aquila ſimplice* pro Inſignibus uſum eſſe. Adeoque ea ætate, cum *faſcia* in ſcuto Auſtriaco nondum locum haberet, de ea traditio nulla exſtare potuit. Fac quoque, *faſciæ* originem eſſe a LEOPOLDO VI.; manet tamen, iſtud Inſigne a facto dependere, quod non ad tempora Romanorum ſe extendit, ſed propiorem nobis ætatem infert. Enimvero, *faſciam* primum a FRIDERICO BELLICOSO ſuſceptam eſſe, & dein apud Auſtriacos ad hodiernum usque diem perſeveraſſe, certius eſt, quam ut ad id probandum argumento ex traditione ſit opus; quippe innumera ſigilla & ſcuta, quæ ſerie nunquam interrupta oſtendi

Faſcia vero Auſtriaca loco *Inſignium recentiorum* merito habetur.

di possunt, & ex parte etiam a nobis supra ostensa sunt, rem tam clare evincunt, tamque luculenter demonstrant, ut nihil ultra desiderari possit.

§. XXIII.

Horum præstantia præ cæteris commendatur.

EX quibus jam omnibus, me etiam indicente, facile intelliges, quantopere recentiora hæc Austriæ Insignia, *fascia alba*, in *area rubra*, & ab ipso auctore ac largitore FRIDERICO Duce, & a coloribus, ex ipsis vestibus Principum deductis, commendationem habeant, veterique Marchionum ac Ducum symbolo, *Aquilæ* scilicet *simplici*, magnis itineribus antecellant. Erat sane quondam *Aquilæ* figura commune admodum Slavorum Insi-
xxx gne; uti etiam id monuit *Cl. D.* LUDEWIGIUS: (xxx) *Aquilæ enim signo*, ajebat ille, *gaudent Poloni, Poruſſi, Moravi, Brandenburgici, Slavicæ nationes omnes; ut taceam myſtica, quæ ſibi de hac ave perſuaſerunt populi Slavicæ nationis.* Unde insignibus hæ gentes discerni nequiissent, nisi istas tot *Aquilas* coloribus diversis, & collocatione ipsa, aliisve additamentis variassent. Proinde & *Austriacæ Aquilæ* suus color erat; siquidem ex monumentis tabularii hujus civitatis publici jam ante monstravimus, eam auream fuisse, atque in clypeo nigro. Cum autem vasalli Austriæ maximam partem contra hæreditarium Dominum aperte conjurassent, hic illis vetera relinquens, novis uti Insignibus occepit. Ex quo Austriaca *Aquila* adeo jam non erat insignis, Insignibusve aliarum gentium antecellens; verum eo ipso, quod aliis quampluribus nationibus frequens, atque ab iis, qui perduelles per licentiam insultaverant Principi, fæde violata, plurimum aviti splendoris deperdidit. Contra Insignia recentiora ex ipso suos Ducis Austriæ vestitu colores mutuantur. Baltheus etiam albus, seu *fascia* hodierna, simplicissimum vetustissimumque signum militiæ est. Color item in clypei area, quem *coccineum* vocamus, Equitibus pariter ac fidelibus Principis vasallis accommodatus videtur quam optime; ut hoc symbolo intelligant, se jura Principis adversus quoscunque ejus hostes, vel sanguine suo tuituros. Ita quidem de Principe TARENTI BOEMUN-
yyy DO, GUISCARDI Apuliæ Ducis filio, PETRA SANCTA (yyy) observat: quod expeditionem sacram parans, sciſſis ac diremptis in tæniolas coccineis duabus vestibus, cruces confecerit, adsueritque illas sagulis duodecim millium bellatorum; quo nimirum admonerentur, proprium unicuique sanguinem esse profundendum pro Religionis sanctæ liberatione. Sed FRIDERICUS Dux noster rem longe majori adhuc animo, & nobiliore liberalitate confecit; dum clypeum ex coloribus proprii vestimenti conspicuum esse jussit, suosque milites iisdem coloribus, sago coccineo, & fascia alba exornavit. Atque hoc novo scuti, vestiumque genere FRIDERICUS auctor, & hostes subegit, & ministros efferos ad officium reduxit; quin simul Austriam, hisce motibus prope fundo versam, relevatam inde sustinuit, & nexos inimicorum dolos distraxit, ac demum suos sibi devinctos continuit. Hæc igitur *fascia*, velut

(xxx) Germania Princeps l. 1. c. 7. p. 452. (yyy) Teſſ. gentil. p. 22.

velut ſignum conciliationis, fidelitatis & victoriæ, conſtantibus ſpectata fide militibus impertita. Hæc *faſcia alba*, in area rubra, non tantum ad omnem poſteritatem transmiſſa, verum etiam a toto populo ac provincia pro Inſignibus accepta, manſit usquequaque acceptiſſima. Hæc *faſcia* tandem (modo ullus dicendi finis) ipſa quoque *Aquila* jam pridem diuturnior; diutius enim iſta non viguit, quam a medio ſæculo XI. ad XIII. Tum rapinis perduellium & prædis hærens, a FRIDERICO BELLICOSO cum his oppreſſa eſt; *faſcia* autem ab ea ætate ad noſtram usque ſtat, in omnem annuente Numine duratura. Tanta eſt hodierni Auſtriæ ſcuti præ reliquis præſtantia, tanta gloria!

§. XXIV.

CÆterum transmiſſa, propagataque per poſteros Duces fuiſſe, inducta hæc a FRIDERICO Inſignia, quemadmodum bini colores, *ruber* & *albus*, a militibus in veſtitu perpetim ſunt celebrati, operoſius oſtendere ſupervacuum habeo. Quis enim ignorat, eandem hanc *faſciam* anno MCCLXXXII. ab ALBERTO I. unacum faſcibus Auſtriacis ſuſceptam, ad omnem deinde poſteritatem Habſpurgicam propagatam, in hodiernum usque diem ſine intercapedine perſeveraſſe? Attamen adhuc notandum hic occurrit, quo loco & ordine, inter cætera tam varia, tamque prolixa Auguſtæ Domus Habſpurgicæ Inſignia, Auſtriacum hoc ſcutum ſit celebratum. Enimvero eam rem ſe aliter longe habere, ac in cæteris Europæ Aulis, jam animadvertit Clar. Auctor *Germaniæ Principis*, inquiens: (zzz) „ Aliis Principibus ſolenne eſt, ut titulus In- zzz
„ ſignibus, Inſignia titulo ex aſſe reſpondeant. Hoc ſi etiam imi-
„ tari vellent Auſtriaci, vel ingens ſpatium requireretur ad pin-
„ gendum ſingula ſingillatim, evaderetque Inſigne, vel mole ſua
„ portentoſum, vel in minutiſſimis figuris, ut vix poſſet cognoſci.
„ Migrant itaque mores Auſtriaci, ſiſtuntque in ſuis Inſignibus po-
„ tiſſimarum tantum provinciarum imagines. Nos Auſtriaci imperii Inſignia, Inſigniumque acceſſiones pro inſtituti noſtri ratione ſeorſim Diſſertatione proxime ſequenti pertractabimus. Interea hoc de ſitu & loco parmulæ Auſtriacæ in ſcuto Archi-Ducali, & Cæſareo ſubtexere placet: ſcutum Imperiale, ut plurimum in quatuor univerſim partes ab Auſtriacis ſectum, quarum prima in ſex alias, ſecunda in quatuor, tertia vero & quarta in quinque diviſæ areolas; cuilibet incumbit parmula, ac diverſa ab aliis ſpecies inſcripta cernitur. In primæ partis parmula media *faſcia Auſtriaca* objicitur. Quod ſi porro antiquiora tempora reſpicimus, tam frequens occurrit Inſignium mutatio, ut ſine hac paucorum ſuperſit Archi-Ducum memoria, quæ ut cujusque antiquiſſima, ita in ſcutis, non ſecus ac nummis & ſigillis, varietas maxima. Itaque cum collocatio ſcuti Auſtriaci in Inſignibus cernatur prorſus arbitraria, in his nequaquam morabimur; quandoquidem omnes in ſigillis, nummis, aliisque monumentis Auſtriacis, Inſignium variationes ad libitum Principum, & ſæpe etiam ex arbitrio artificum natas, ſigil-

Eorum uſus.

(zzz) Lib. 1. cap. 7. §. 1. in not. lit. A.

ſigillatim perſequi, ſuperfluum foret. Oſtendam autem alibi, ſcutum Auſtriacum quale illud ſit, quod noſtra memoria in publicis homagii celebritatibus ad pompam præfertur. Nunc, quoniam vela contrahimus, ultimam huic tractationi manum admoturi, pauca harum mutationum exempla, a priſcis temporibus repetenda, quaſi per tranſennam hic proferemus. Sæculo XIV. in tanto honore Auſtriacum habebatur a Ducibus ſcutum, ut in ſigillis equeſtribus, præcipuus & pugnax in brachio aut pectore clypeus, & non raro etiam vexillum ſimul, Auſtriaca inſignirentur *faſcia*, cæterarum provinciarum Inſignibus, aut circum, aut a lateribus poſitis, aut tandem in ſtragula equi deſignatis, uti id ex ſigillis, quorum ectypa jam dedimus, ad annum MCCCXCI. usque, demonſtratum manet. In ſigillis minoribus, ſive ſecretis, ab Auſtriaca *faſcia* ſcutum honoratiore pariter erat loco, aut magnitudine figuræ, aut collocatione ſumma, vel ſaltem dextera, cæterarum provinciarum Inſignibus antelatum. Sæculo XV. LADISLAUS Rex ſuo diplomati anni MCCCCLV. ſigillum Majeſtatis adpenſum dedit, in cujus poſtica parte ſeptem omnino ſcuta exhibentur, mediumque & præcipuum in his locum obtinet Inſigne Auſtriacum. aaaa Anno MCCCCXC. civitati Wiennenſium diploma (aaaa) expedivit MAXIMILIANUS I. in cujus ſigilli medio Aquila unius capitis, dexterorſum faſcia Auſtriaca, utpote princeps ſcutum, ſiniſtrorſumque demum Hungarica adparent Inſignia. Plures quoque ejusmodi variationes continet Codex membranaceus, majoris, ſeu, ut vocant, regalis formæ, numero 78. notatus, qui olim in ſcriniis Excelſi Regiminis Vindobonenſis adſervabatur; hodie vero in veteri tabulario Cameræ Archi-Ducalis cuſtoditur. Is imperante FRIDERICO PACIFICO ſcribi cœptus & pingi (quippe etiam pictis Auſtriæ Inſignibus, ac ſcutis bene turgidus) anno videlicet MCCCCXLIII. quæ æra in fronte libri legitur, ad annum MCCCCXLVIII. usque continuatus; has enim notas chronologicas refert pagina quinta. Priora undecim folia implent Inſignia varia, coloribus expreſſa, & titulis ac nominibus diſcreta. Hæc inſcripti ſequentibus paginis tituli excipiunt, qui denotant, animum auctori fuiſſe, monaſteria, beneficia Eccleſiarum, feuda, nec non civitates, oppida & caſtra tum Inferioris, tum Interioris Auſtriæ, quotquot nimirum Dominationi Archi-Ducum ſubſunt, aut eorum ditioni tractu temporis acceſſerunt, litteris conſignare. Verum hæc modo nihil ad nos. De acceſſionibus etenim ad Inſignia Auſtriaca, uti jam antea promiſimus, diſſertatione mox ſequenti, data opera agemus; ubi ſubin hujus codicis iterata mentio recurret. Cum votis itaque ac precationibus lucubrationi huic finem facio: ut exantlatus in his aut viris doctis non diſpliceat labor; aut labori repetendo, Ducum Auſtriæ latentibus adhuc rerum geſtarum monumentis ac cimeliis, ſedulo eruendis explicandisque, Numina propitia concedant otium!

DISSER-

(aaaa) In Archivo Civ. Vien. ſign. ciſta I. n. 20.

DISSERTATIO IV.

ACCESSIONES AD INSIGNIA AUSTRIACA, SERVATO TEMPORIS ORDINE, PERCENSENTUR.

§. I.

Xactis Principum Auſtriæ ſcutis, cum veteri, tum recentiori: rerum ordo jam expoſcit, ut in exponendis Inſignibus Auſtriæ ſtudia noſtra convertamus ad acceſſiones aliorum ſcutorum ad *clypeum Auſtriacum:* videamusque, qua demum ratione, quove tempore *ſimplex* a primordio *Aquila*, unicumque Auſtriaci ſcuti inſigne, tum vero *faſcia alba in area rubra*, exterarum provinciarum ac regnorum adquiſitione, novis ſenſim teſſeris ac ſymbolis ſub gente Babenbergica æque ac Habsburgica, quaſi in immenſum creverit. Permagni enim intereſt, ex Principum clypeis inſignia regnorum atque provinciarum, ut ſubinde acceſſerunt, pernoſcere. Tot vero auſpicatiſſima Domus Auſtriaca aliis poſt alia, regnis & provinciarum poſſeſſionibus, belli, connubii, emptionis, hæreditatisve jure ampliata fuit, ut numero nominum alios Europæ Principes facile antecellat. Fuerunt quidem non pauci ſcriptores, ac juris publici commentatores, jam ante nos in edendis titulis & Inſignibus Principum Auſtriacorum maxime intenti; quin & Iconographus Auguſtanus, *Wolfgangus* KILIAN multam curam operamque ad iſta contulit, edito opere anno MDCXXIII. quod FERDINANDO III. Imp. dicavit. In eo XLVI. nomina & Inſignia regnorum ac provinciarum Auguſtæ Domus explanavit. Verum, ut in illo opere ordo rerum, ac vis probationum deficit; ita in cæteris hujus generis ſcriptionibus, claritas majusve ſtudium paſſim deſideratur. Sed mihi conſtitutum eſt: primum Inſignia Auſtriaca generatim ante oculos ponere, idque ex monumentis Oenipontanis. Deinde breviter explicare, ut Inſignia Auſtriaca, habita ratione temporis, per novas regionum acceſſiones aliis atque aliis ſenſim ſignis ac teſſeris amplificata ſint: poſtremo illa notare Inſignia, quæ ab Auſtriacis raro adhibita, vel in monumentis male efficta, vel omnino conficta fuerunt.

Inſtitutum.

§. II.

OEniponti in podio veteris tablini rationum, quod jam ætate FRIDERICI IV. Ducis Auſtriæ, cum ab aula ac Principis habitatione conſpicuum erat, tum a tecto imbracteato hodieque celebratur, & vulgo *tectum aureum* dicitur, varia anaglypha, pictaque Inſignia gentilitia conſpiciuntur, expreſſa in adjecto

Monumentum Oenipontanum quod vulgo a *tecto aureo* nomen habet, ſcutis XL. Auſtriacis conſpicuum eſt.

Tab. XIV. jecto ſchemate. Temporis quidem longinquitas ac terræ motus, quibus hocce monumentum obnoxium fuit, damna & ſtructuræ, & ornamentis, queis ſuperbit, non modica attulere : attamen æram hujus ædificii prodere videtur lapis, binas inter feneſtras muro immiſſus, annum Incarnationis MCCCCLXXXIX. nec non Inſignia
Lit. A. Auſtriaca, in ſchemate ſub littera A. inferius adcurate expreſſa, cum duobus hisce diſtichis referens :

SUM DUX IPSE PIUS, SCIPIO VELUT ALTER AMICIS
ERO SALUTIFERO, DO PIETATIS OPEM.
ERGO ETIAM SUPEROS LACHRYMIS PIE SATOR ABORTIS *
UT MEA NESTOREOS HAURIAT AURA DIES.

Scriptura coæva, ſed male exarata, & non niſi auxilio adpoſitæ ſcalæ legenda : ſpectat ad SIGISMUNDUM Ducem Auſtriæ, qui forte ſumptus prædicto anno in iſtud opus contulit; uti inſequenti anno faſces comitatus Tirolenſis MAXIMILIANO I. conceſſit. An vero lapis, de quo nobis hic ſermo eſt, partem molis quondam conſtituerit, illamve proxime attigerit, divinare non licet. Hoc ſcimus: quod anno ſæculari MD. neceſſum jam fuerit, monumentum reſtituere, illudque anno MDCLXXI. denuo quaſſum, reſtaurare; prout nimirum inſcripturæ, in facie podii, id teſtantur. Quamobrem a primigenia artificis manu vix aliud hic ſupereſſe videtur, præter tectum ingenti pecuniarum vi imbracteatum; ducenta enim millia nummorum aureorum in ſolam auraturam expenſa ferunt; tum molem podii, quæ ad genium ſæculi quarti decimi, more, ut ajunt, Gothico ſtructa eſt. Anaglypha porro cæteraque Inſignia Auſtriaca, quæ hodiedum in monumento ſuperſunt conſpicabilia, imperante demum Cæſare MAXIMILIANO I. condita, ac poſteriori dein ætate reſtituta fuiſſe, dubium haud eſt. Nam quæ in medio loricæ ſupremi ambitus, ex parte dextera, cernuntur inſculptæ lapidi figuræ tres, ſic ſatis clare edocent, exhiberi ibidem MAXIMILIANI Imperatoris Auguſti ſimulacrum, una cum duabus uxoribus ſuis MARIA Burgundica & BLANCA MARIA Mediolanenſi; additæ quippe iis ſunt teſſeræ Burgundiæ & ſcutum bipertitum, impreſſis ſymbolis Auſtriæ & Ducatus Me-
Num. 1. diolanenſis, quæ, ut Lectori magis perſpicua reddamus, una-
cum aliis duobus ſcutis, mox recenſendis, in majori aliquantulum
Num. 2. forma, ſchemati ſuperius adpoſuimus. Sed alii dicant, quid hic in Burgundiæ clypeo ſignificatus habeat, impoſitæ galeæ ſuperadſtans noctua? Altera area in medio ſiniſtra tres pariter figuras ſiſtit humanas, earumque media capite coronato eminet, atque ibi-
Num. 3. dem ſcuta Belgii & Auſtriæ veteris repræſentantur. Ex quibus
Num. 4. conjicere eſt, iconem illam in medio poſitam, PHILIPPUM Auſtriacum, qui tunc temporis Belgis præerat, adſignificari. Familiare quidem erat PHILIPPO Auſtriaco majori clypeo indere parmulam Aquila & Leone junctim pictam, quod *Olivarius* VREDIUS
a (a) adnotavit. Sed infrequens illud, parmulam Leone conſpicuam, pecto-

* Ita ſcriptum eſſe docuit me Clar. ROSCHMANNUS, Bibliothecæ Archi-Ducalis, quæ Oeniponti eſt, Præfectus; ſed legendum putat : *obyrtis*. Alia porro vir humaniſſimus mecum communicavit, quæ illuſtrandis hisce monumentis Oenipontanis nobis deſervierunt.

(a) In ſigillis Com. Fland. p. 126. & alibi.

Tab. XIV

Podium tablini Oenipontani tecto inaurato, anaglyphis et insignibus ornatum.



Salomon Kleiner fecit

Tc I p. 64

pectori aquilæ, uti hic fit, imprimere. Deinde quoque in clypeo Auſtriæ *Veteris*, qui notiſſimas illas quinque aves præfert, illud ſingulare, quod cauda pavonis galeæ coronatæ ſit ſuper impoſita; hæc enim ut plurimum inter ornamenta cenſetur clypei Auſtriaci, quem vocant *Recentiorem*. Quid vero aliæ duæ adſiſtentes perſonæ ſibi velint, quidve cætera dextrorſum ſiniſtrorſumque in octo areis exhibita, ubique bina hominum ſchemata, cum animantibus portendant, nemo facile dixerit. Ea enim anaglypha ita a ſolo ſunt elevata, ac ſuper impoſita ſcriptura tam exeſa, tamque manca & hiulca, ut nihil clari inde diſcerni poſſit. Si poſteriores areæ priorum, quæ a dexteris ſunt, ſimilitudinem referrent, figuras illas pro bacchantibus haberem; qui forte lætitiæ ſignificandæ cauſſa, ob felicem enixum CAROLI Auſtriaci Hiſpaniarum Infantis, cujus feſta natalitia per id tempus celebrabantur, adpoſiti fuerint. Sed video in his quaſi gladiatores, tum vero ſaltatores; ut adeo demptis duabus, majoris formæ, areis mediis, hæc anaglypha res ludricas exhibere, vel, prout quandoque etiam in pictis tabulis aliisque monumentis videre eſt, magnorum Principum moriones ac morilogos referre, vel denique non niſi cultum & ornatum, ut in cæteris illius ævi monumentis ſignificare, quis forſan non vane dixerit.

§. III.

QUod ſpectat ad repræſentationem pictarum imaginum, quæ in podii ambitu parietem portamque ornant: vir quaſi in medio adſtans, barba oblonga & veſte talari conſpicuus, FRIDERICO Duci adſimilatur. De reliquis vero imaginibus nihil ſolidi adfirmare licet; præſertim cum ſint, qui volunt, binas illas imagines ad lævam portæ depictas, nonniſi iconem pictoris cum ſua uxore loquentis referre. Subtus podii ambitum duo ſigniferi majores feneſtras quaſi ſtipant: ambo cataphracti, ſed qui a dexteris aperto capite, aquilam Imperii vexillo impreſſam oſtendit: alter a ſiniſtris tecto capite aquilam Tyrolenſem exhibet. Ex dextera porro parte, ſeu a latere monumenti dextero, quo etiam, ut mox dicemus, Styriæ ſcutum expreſſum eſt, hac noſtra ætate, ante XIV. circiter annos, integrum ſchema, quod mulierem nudam, manu roſam albam tenentem, atque virum cataphractum reſpicientem exhibebat (hanc vulgus MARGARETHAM a deformitate oris MAULTASCH dictam, credidit) calce obductum penitusque deletum fuit; propter quod univerſam hujus picturæ, compoſitionisque conformitatem adſequi amplius non poſſum. Lorica inferior ſeptem clypeos complectitur, additis regnorum ac provinciarum nominibus. Scriptura lectu difficilis eſt; attamen hoc ordine expreſſa: HERZOG OSTEREICH, *Dux Auſtriæ*. KUNG KARLE, *Rex Carolus*. KAISERTOM, *Imperium Romanum*. KINIGRICH, *regnum*. HERZOG FYLIPP, *Dux Philippus*. HERZOGTOM MAILAND, *Ducatus Mediolanenſis*, & a latere dextero, STEIR, *Styria*; cui quidem ex oppoſito, ſive a latere ſiniſtro alius clypeus reſpondet, ſed vetuſtate penitus oblitteratus. Itaque tantummodo ſeptem, qui cum quatuor illis ſcu-

Referuntur imagines pictæ in monumento, cum reliquis ſcutis.

Num. 5. N. 6. N. 7. N. 8. N. 9. Num. 10. Num. 11.

tis, quæ in ſuperiori ambitu contineri diximus, undecim omnino inſignia gentilitia efficiunt, in tabula noſtra ad inferiorem marginem claritatis ergo ſingillatim & majori rurſus forma exprimi curavimus.

Equidem ſcutum numero quinto ſignatum nihil quod difficultatem adferre poſſit, continet; nam ſuetum Auſtriæ ſymbolum oſtendit. Numero ſextum Hungariæ Inſignia præbet, impoſita in medio parmula, Auſtriæ & Belgii ſymbolis diſcreta. Clypeus ſeptimus & octavus explicatione pariter non egent; alter enim bicipitem Imperatoris, alter Regis Romanorum ſimplicem aquilam complectitur; utrique indita parmula honoraria, teſſeris Auſtriæ & Burgundiæ conſpicua. Nonum ſcutum eſt PHILIPPI Auſtriaci, cujus nomen quoque ſupraſcriptum legitur. Quadripertitum illud: I. & IV. quadrans Burgundiæ recentioris, II. & III. Burgundiæ veteris & Brabantiæ, parmula Flandrica reliquis impoſita. Decimum boa Mediolanenſis. Undecimum denique ſcutum, Styriæ teſſeram omni notatione clarius repræſentat. Ex quibus liquet, monumentum iſtud a FRIDERICO IV. poſitum atque a SIGISMUNDO auctum, imperante MAXIMILIANO I. Cæſare, honori ac nomini totius tunc temporis florentiſſimæ familiæ Auguſtæ, ſcutis ac Inſignibus exornatum fuiſſe. Hæc de *tecto*, quod vocant, *aureo*.

§. IV.

Turris Oenipontana, Inſignibus ornata, graphice deſcribitur, cum notis chronologicis. TAB. XV.

INter cætera monumenta, quæ ad commentationem Inſignium Auſtriacorum faciunt, locum ſibi quoque vel maxime vendicat turris, quæ Oenipontanam civitatem, ex ſuburbana Franciſcanorum ſacra æde intrantium viſui objicitur. Hæc enim & multitudine & variatione inſignium adeo locuples eſt, ut ſimile quid hactenus de congerie ſcutorum ac teſſerarum Principum Auſtriæ haud viderim. Moles altitudine ſua excedit pedes centum viginti, latitudine quadraginta. Paradromis, ſeu atrium ſupremum, operi murato incumbit, binoque podio, cancellis & columnis exornatur; tectum cupro ſtratum, in cujus apice conſpicitur genius cœleſtis quaſi volans. Sed uti illud ex ligno confectum, injuriis aëris eſt expoſitum; ita non ſemel reparatione hactenus indiguit. Notæ chronologicæ in ipſa turris facie occurrunt varii generis. Æra vetuſtiſſima, quæ ſupra feneſtram dexteri podii, verum a latere ejus ſiniſtro cernitur, annum Chriſti refert MCCCCXCVI. inde inferius ſupra portam effigies pictoris, manibus ſchediasma tenentis, comparet; quo ſignificatur, hanc turrim pictam eſſe a *Georgio* WALDERN anno Domini MCCCCXCIX. Rurſus in podio dextero ſupra feneſtram mediam notatur annus MDXXVI. inde ſupra portam inferiorem conſignatur renovatio a *Chriſtophoro* DAX pictore facta MDCIV. Recentiſſima denique æra ad ſuperiorem podii, juxta hypæthrium, januam, anni MDCCXXXIII. a cæmentario vel lignario addita fuit. Unde conjicere licet, monumentum iſthoc MAXIMILIANO I. imperante, & quidem poſt mortem SIGISMUNDI Archi-Ducis, cujus obitus in prædictum an-

Turris insignium varietate Oeniponti conspicua



1 Mayland.
2 Mayland.
3
4.
5.
6. Meyrgten
7. Osterreich.
8 Behaim
9. Dalmatien.
10. Carnden
11 Steir
12 Osterreich
13. Habspurg.
14. Crain.
15. Schwaben.
16 Burgaw
17 Elsas.
18. Tirol.
19 Pfird.
20. Portenau.
21 Küburg.
22. Landsbörenns
23. Cilli.
24. Windischmarth
25 Kochenberg
26 Triberg.
27. Nellenburg.
28 Tybein.
29. Sunnenberg
30. Nellenburg
31 Lehingen
32 Bockenburg
33.
34.

35 ARRAGON.
36 Sardoine
37
38.
39 Croatien.
40.
41.
42 Burgund.
43 Lotharich.
44 Brabant
45 Lamburg.
46 Luxenburg
47
48 Hortgam.
49 Arthois.
50
51. Holandt
52. Seelandt.
53. Burgundia
54. Andorff
55. Friesland
56. Carolous.
57. Namur.
58. Bolonien
59. Zutphen.
60. Abeeheln.
61. Salins.
62.
63. Friaul.
64. Klost
65.
66

Sal. Kleiner fecit.

To. I. p. 86. R.

annum MCCCCXCVI. inciderat, tanquam pars novæ aulæ, quam meditabatur, fabricatum, lapſoque triennio pictum, ac deinceps multifariam renovatum, præcipue ſub MAXIMILIANO III. Archi-Duce, comitatum Tirolenſem, gubernante; ejus quippe Inſignia gentilitia, majori forma expreſſa in medio, ſupra inferiorem portam, ſpectantur. Tum vero in dicto hypæthrio dextrorſum effigies Cæſaris MAXIMILIANI I. cum duabus uxoribus; mox ſiniſtrorſum idem MAXIMILIANUS pileo Archi-Ducali tectus, & matrona Hungariæ, Inſignia exhibente, ſtipatus adparet. Quo quidem repræſentationis genere adluſio fit ad pacta conventa FRIDERICUM PACIFICUM inter MAXIMILIANI patrem, & MATTHIAM Hungariæ Regem de anno MCCCCLXIII. qua de re videndus *Gerardus de* RHOO *l. 7. pag. 273. & l. 10. p.* 382. Denique imago, quæ ſub podio cernitur, ſchedam manibus tenens, eſt BLANCÆ MARIÆ ſecundæ MAXIMILIANI I. uxoris; uti id crines oblongi ac defluentes, femineum quoque ſimulacrum adſignificare videntur. Et quamvis facies nullam fere cum cæteris ejusdem uxoris iconibus referat ſimilitudinem; attamen primigenia inſcriptio, quæ nunquam alterata fuit, criſpatis litteris, nonnihil exeſis, ſatis clare nos edocet, hanc ipſiſſimam eſſe BLANCAM MARIAM. Inſcriptio totidem verbis concepta eſt: BLANCHA MARIA VON GOTTES GNADEN RÖMISCHE KUNIGIN ZU ALLEN ZEITEN MEHRERIN: id eſt: BLANCA MARIA *Dei gratia Romanorum Regina ſemper Auguſta.*

§. V.

JAm vero ſex ſupra ſexaginta numerabis Inſignia, quæ faciem turris ornant, ternis hinc inde ordinibus diſpoſita. His bina inſiſtunt ſymbola majoris formæ, alterum Regis Romanorum MAXIMILIANI, alterum BLANCÆ MARIÆ conjugis: unum in medio; reliqua ſupra pergulam; & par telamonum cataphractorum portam ſtipant, alter Leonem Habsburgicum, alter Aquilam Tyrolenſem in ſcutis atque vexillis tenentes; ſupra portam quoque in medio comparet ſymbolum MAXIMILIANI III. Archi-Ducis, Teutonici Ordinis ſupremi Magiſtri, majori forma expreſſum. Teſſeræ in reliquis ſcutis, non omnes, ad heraldicæ artis regulas ſunt exactæ; nonnullæ enim vel in ſignis ipſis, vel in metallis, vel in coloribus variant. Additæ tamen ſingulis ſcutis inſcriptiones produnt ſymbolorum ſeu potius regnorum ac provinciarum nomina; ſed, quod dolendum, nonnulla cum ex hisce inſcriptionibus, tum ex ſcutorum ſymbolis vetuſtas jam delevit penitus. Ordo in diſpoſitione ſcutorum maximam partem ad picturis arbitratum eſt inſtitutus; majus quippe is ſtudium locaſſe videtur in conglomerandis Auſtriacorum Inſignibus, quam quod in illis diſpeſcendis ad cujusvis regionis dignitatem ac præſtantiam oculos intenderet. Attamen quidquid hic operæ rebus Auſtriacis navarunt artifices, eos nos laude ſua neutiquam privamus. Quin potius fatemur, multa hocce monumento Inſignia contineri provinciarum exotica, quæ in ſigillis ac nummis Archi-Ducum fruſtra- Inſignia enumerantur.

ſtraneo labore quæſieris. Atque quo res hæc magis diluceat, operæ pretium eſſe duxi, ſcuta omnia & ſingula, in turri ſparſim reperiunda, atque in ſchemate noſtro minute expreſſa, ad exteriores tabulæ margines majori forma, eo modo quo ſupra id fieri curavimus, delineare, additis notis numeralibus. Nomina vero geographica hic damus, ut in monumento, litteris ad normam Gothicam effigiatis, expreſſa ſunt; excipe bina ſub num. 2. & 35. quæ latinis litteris ſunt exarata. *Wiſgaye.* ALGEZIRE (ſic) ARRAGON (ſic) *Sardovie. Oſterreich. Behaimb. Dalmatien. Carnden. Steir. Oſtereich. Habſpurg. Crain, Schwaben. Burgau. Elſaſs. Tirol. Pfird. Portenau. Küburg. Land ob der Enns. Cilli. Windiſchmarckb. Hochenberg. Triberg. Nellenburg. Tybein. Sumenberg. Veldkircb. Ecbingen. Tockbenburg.* num. 33. nomen deletum. *Hungern*, in medio. *Croatien.* n. 40. correctum & illegibile (Boſnia) n. 41. oblitteratum pariter (Sileſia) *Burgund. Lotharicb. Brabant. Limburg. Luzenburg.* n. 47. nomen vix legibile. *Honigau* (Hannonia) *Arthois.* n. 50. titulus exeſus. *Holandt. Seelandt. Burgunden. Andtorff. Frieslannd. Carolous. Namur. Bolonien. Zutphen. Mecheln. Salins.* n. 62. nomen oblitteratum. *Friaul. Aloſt.* n. 65. nomen deletum (Moravia) n. 66. *Tyrolis*, cujus ſymbolum in vexillo jam expreſſum eſt. Verum jam hæc ipſa nomina in ordinem alphabeti redigere, & nonnulla illorum ſtrictim explanare juvat.

ALGEZIRE: Arabibus *Gezeira*, Algeria urbs Africæ. ſub n. 2.

ALOST. n. 64. urbs Belgii, quam MAXIMILIANUS I. obſidione cinxit.

ALSATIA. 17.

ANDTORFF. 54. Andoverpum ſeu Antverpia, præbet Inſignia Marchionatus S. R. Imperii.

ARAGONIA. 35.

ARTOVIA, Artois, Arteſia. 49.

AUSTRIA vetus. 7. Nova. 12. ſupra Anaſum. 22.

BOLONIEN. 58. urbs Belgii in Picardia.

BOHEMIA. 8. quod ſcutum ſine dubio occaſione factæ renovationis, huic monumento primum additum fuit.

BOSNIA. 40.

BRABANTIA. 44.

BURGOVIA. 16.

BURGUNDIA. 3. & 53.

CARINTHIA. 10.

CARNIOLIA. 14.

CAROLOUS. 56. Charolois, Carolæſium.

CILEIA. 23. Comitatus *Cilli.*

CROATIA. 39.

DALMATIA. 9.

ECHINGEN, id eſt Ehinga in Suevia. 31.

FLANDRIA. 50.

FRIAUL. 63.

FRISLANDIA. 55.

GELDRIA. 47.

HABSBURG. 13. & 34. repetitum in vexillo.

HEINOVIA, Hannonia. 48.

HOCHENBERG. 25. Comitatus in Suevia.

HOLANDIA. 51.

HUNGARIA. 6. & 37.

KYBURGUM. 21.

LIMBURGUM. 45.

LOTHARICH. 43. Lotharingia, & *Lottbier*, de quo paullo poſt.

LUCEMBURGUM. 46.

MECHLINIA. 60.

MEDIOLANUM. 4.

MORAVIA. 65.

NAMURCUM. 57.

NELLENBURGUM. 27. cum teſſera Wirtenbergiæ.

PHER-

PHERRETIS. 19.
PORTONAVIA. 20. Portus Naonis.
Regis Romanorum ſymbolum Aquila ſimplex. n. 5. & Blancæ Mariæ conjugis. 38.
SALINÆ. 61.
SARDOVIE. 36. ita in monumento.
SELANDIA. 52. al. Zelandia.
SILESIA. 41.
STYRIA. 11.
SUEVIA. 15.
SUNNENBERG. 29.
TOCKENBURG. 32. olim feudum Imperii.
TRIBERG. 26. Dynaſtia in Brisgovia.
TYBEIN. 28. Tiburnia.
TYROLIS. 18. & 66.
VELDKIRCHA. 30.
VINIDORUM MARCHIA. 24.
WISGAYE, ſeu Biſcaia. n. 1.
ZUTPHEN. 59. Zutphania.

Hæc ſtrictim adnotaſſe ſufficiat; nam de potioribus poſtea ſingillatim exponendum erit. Unum tantummodo hoc loco explicandum eſt: cur ſcuta num. 12. & 43. ſignata, id eſt, *Auſtriæ novæ*, & *Lotharingiæ*, ſeu *Lotharich* æqualia inſignia referant?

§. VI.

Obſervatio ſingularis circa ſcutum *Lotbrych*, ſeu *Lotharingiæ Inferioris.*

DE titulo *Lotharingiæ Inferioris* (de hac quippe ſolummodo hic ſermo) Gallice *Lothier*, Germanice *Lotharich*, ſeu *Lotbrych*, quo MAXIMILIANUS I. Archi-Dux Auſtriæ, poſtea Romanorum Imperator, in expediendis chartis & diplomatibus uſus eſt, ex *Olivarii* VREDII Viri Clar. inſigni opere de ſigillis Comitum Flandriæ, ſequentia notare juvat: Cl. auctor invictis argumentis docet, *Lotharingiæ* Ducis titulum in ſigillis & diplomatibus Ducum Brabantiæ exprimi debere. Præcipuum momentum, quo hanc ſententiam roborat, adfert cit. loco *pag.* 81. „ Quia PHILIPPUS „ Dux Burgundiæ inter ſolennia inaugurationis, litteris datis, Or„ dinibus promiſit, ſe *Limburgi* ducatum deinceps, & in perpe„ tuum *Brabantiæ* ducatui annexurum, cauſſasque Brabantiæ, pe„ culiari ſigillo conſignaturum: quo *Lotharingiæ*, *Brabantiæ*, & „ *Limburgi* Dux, & *Marchio Imperii* indigitaretur; id quod ſuc„ ceſſores ejus, Brabantiæ Duces conſtanter obſervaverunt. A Brabantiæ itaque ducatu (quo nomine *Lotharingia Inferior* dicta; ut a *Superiore*, vetus nomen etiamnum hodie retinente, dignoſcatur) Principibus Limburgi ac Brabantiæ, titulus *Lotharingiæ* acceſſit, & adhæſit. Quod laudatus auctor pluribus proſequitur *pag.* 83. *ſeq.* Verum, ut ut diligentiſſimus eſt VREDIUS in indagandis, exponendisque Flandriæ Brabantiæque Ducum inſignibus; nullum tamen *Lotharingiæ Inferioris* proprium ac ſingulare in medium adducit inſigne; ſed titulus *Lotharingiæ*, Limburgi & Brabantiæ ſymbolo communi, Leone ſcilicet adſignificatus fuit. Adde, quod ſedes ſeu caſtrum veterum Flandriæ Comitum, cui nomen *Lotharingia*, Gallis *Lothier*, Germanis *Lotharich*, ſeu *Lotbrych* inditum erat, haud procul Bruxellis circa oppidum, cui nomen *Genap*, ſitum fuit; cujus hodie pauca ſupereſſe rudera a viro Clar. D. DUVALLIO, Bibliothecæ Cæſareæ, quæ Florentiæ eſt, Præfecto, accepi. At ubi imperante MAXIMILIANO I. Auſtriaco, cui Burgundiæ Brabantiæque regimen cum MARIA uxore obvenit, apud Germanos noſtros uſus invaluit, ut titulis regnorum & provinciarum, quos magnates in ſigillis & inſcriptionibus adhibebant, in clypei quoque

umbone cæterisve monumentis publicis, insignia singillatim responderent; facile intelligitur, qua ratione factum sit, quod *Lotharingiæ* titulus, quem MAXIMILIANUS genti suæ primus intulit, inter symbola provinciarum Austriacarum, singulari quoque scuto expressus, locum obtinuerit. Cum autem *Lotharingia Inferior*, ut supra monebam, speciali tessera distincta non esset; sed sub *Flandriæ* ac *Limburgi* Leone complecteretur, satis habebant, prædictum *Lotharingiæ* titulum repetito scuto Austriaco, cui fascia hodierna impressa est, adsignificare; quandoquidem haud infrequens est provinciis regionibusque Austriæ, quæ propriis insignibus destitutæ sunt, Principum Austriæ scuto sese spectabiles præbere: cujus rei exemplum nobis est provincia, quam inhabitamus, Austriæ Inferioris. Ex his, ni fallor, deducitur vera explanatio scuti Lotharingici, quod in turri insignium Oeniponti cum inscriptione *Lotharich* hodieque videtur.

Eadem opera explicationem suam habet elegans MAXIMILIANI Cæsaris nummus, anno 1509. percussus, in cujus parte postica provinciarum Austriacarum scuta ultra viginti recurrunt; inter quæ scutum Austriæ cum fascia, pileo Archi-Ducali tectum, in umbone nobiliorem locum occupat; parmula vero minoris formæ, cui pariter fascia Austriaca impressa est, in remotiori circulo inter reliqua provinciarum Belgicarum insignia comparet, atque *Lotbrich*, seu *Lotharingiam Inferiorem* denotat.

Cum hæc scriberem, incidi in *Hadriani* BARLANDI Historiam & icones Comitum Hollandiæ, editionis Plantinianæ de an. 1583. in qua icon GODEFRIDI *Lotharingiæ Ducis*, qui anno 1070. Hollandiam occupavit, æri inciſa ſiſtitur, ſcutum habens a ſummo bipertitum, cujus laterculus dexter Leonem Hollandicum, ſiniſter vero faſciam, Auſtriacæ ſimilem, exhibet. Sed cum BARLANDI opus pervolviſſem, mox adverti, quod auctor ſingulis Comitibus, quin & THEODORICO I. Aquitano, qui a CAROLO CALVO jam tum anno 863. primus in Hollandia Comes inſtitutus fuit, ſcuta inſignibus conſpicua attribuerit. Quis autem feret, jam anno 863. inſignia gentilitia a provinciis uſu recepta fuiſſe? Scuta porro vetuſtiſſima Principum *Lotharingiæ Superioris* ſæculo Chriſti XI. non quidem faſcia Auſtriaca, ſed figura ſimplicis aquilæ, pandentis alas, diſtincta erant; uti videre eſt ex ſigillis, quorum ectypa exhibet Cl. CALMETUS *Hiſt. Loth. Tom. II. col.* 55. Nunc de numero inſignium, quæ ad ſcutum primigenium Auſtriæ acceſſerunt, diſpiciemus.

§. VII.

Quot ſymbola Auſtriæ inſignibus acceſſerint?

IN ſigillis, nummis, cæterisque monumentis Marchionum, Ducum, Archi-Ducumque Auſtriæ, quæ in patria noſtra frequentius recurrunt, ex mea quidem computatione habentur LVI. ſymbola ac teſſeræ cum regnorum tum provinciarum, quibus ſingulis aut regnum, aut Ducatus, Marggraviatus, Landgraviatus, Comitatus, vel Dynaſtia ſignificatur. Solus *Archi-Ducatus Auſtriæ* non unum ſatis habet, ſed triplicia oſtentat ſymbola, ſcilicet *aquilam ſimplicem*, *faſciam hodiernam*, & *quinque aves*, de quibus in ſuperioribus Diſſertationibus jam abunde diſputavimus: qui-

INSIGNIA REGIONUM, QVÆ AD SCUTUM AUSTRIÆ ACCESSERUNT, HABITA TEMPORUM RATIONE SUO ORDINE EXHIBENTUR.

1. Scutum vetus Austriæ.
2. Principatus Austriæ supra Anasum.
3. Styriæ Ducatus.
4. Fascia hodiernum Austriæ Symbolū.
5. Carniolæ.
6. Vindorum Marchiæ
7. Portus Naonis
8. Comitatus Habsburgensis.
9. Kyburgensis. Comitatus
10. Landgraviatus Alsatiæ.
11. Hohenbergensis Comitatus.
12. Ducatus Sveviæ
13. Comitatus Sherretani
14. Marggraviatus Burgoviæ.
15. Ducatus Carinthiæ.
16. Comitatus Tyrolensis.
17. Quinque volucres, in Scutū assumptæ.
18. Ducatus Burgundiæ.
19. Brabantiæ.
20. Antwerpiæ
21. Luzelburgi.
22. Flandriæ
23. Salinarum.
24. Goritiæ.
25. Comitatus Cilensis
26. Castiliæ
27. Legionis
28. Arragoniæ.
29. Siciliæ utrusque
30. Portugalliæ
31. Granatæ
32. Neapolis
33. Indiæ.
34. Hierosolymarū.
35. Navarræ
36. Catalonicæ.
37. Ducatus Wirtembergiæ
38. Mediolanensis et Lombardiæ.
39. Regni Hungariæ
40. Dalmatiæ.
41. Croatiæ.
42. Slavoniæ.
43. Bosniæ
44. Serviæ
45. Bulgariæ.
46. Galliciæ.
47. Lodomeriæ
48. Cumaniæ.
49. Bohemiæ.
50. Moraviæ.
51. Silesiæ.
52. Lusatiæ.
53. Transylvaniæ
54. Lotharingiæ.
55. Hetruriæ.

A

Scutum quo Archid. Homagii hodiernum, in Solemniis utuntur.

Ducatus Barrensis

Sal. Kleiner del. & sc. Ipsf.

quibus Auſtriæ tribus inſignibus, etſi reliqua quinquaginta tria ſenſim dein acceſſerint; omnia tamen in eadem ſimul area vix, ac ne vix quidem inveniuntur. Hujus rei cauſſa eſt: partim quod numerus inſignium pro acceſſione provinciarum Auſtriacarum creverit, adeoque diverſis temporibus inſignium ratio fuerit diverſa; partim quia tandem inſignia cum regionum incrementis adeo cumulabantur, ut in unius ſcuti modum cogi non poſſent: quid, quod alias in Principum arbitrio ſemper fuiſſe novimus, diverſo inſignium numero uti. Atque propioribus quidem nobis temporibus Archi-Duces in ſigillis & nummis ſuis inſignia modo plura, modo pauciora præbuiſſe reminiſcimur.

Ut autem dicta tria ſupra quinquaginta inſignia uno ſimul conſpectu conſiderentur; omnia in una tabula hic exhibeo; ſingula vero, ſervato temporis ordine ſtatim exponam. Unum hoc prius monuerim: quinquaginta ſex hisce inſignibus numerum provinciarum Auſtriacarum haud contingi. Neque enim me latet, multas provincias in ditione Auſtriaca eſſe, quarum inſignia in uſum accipere ejus poſſeſſores neglexerunt. E contrario in monumentis Auſtriacis, maxime ſtirpem Hiſpanicam reſpicientibus, nonnulla inſignia occurrunt, quibus Archi-Duces ſummam rerum in Germania habentes, raro aut nunquam uſi ſunt. Propoſiti quoque noſtri ordinem excedunt quævis earum gentium inſignia, quarum cum Auſtriaca Domo inita per viam conjugii adfinitas, nullas hæreditates aut novas poſſeſſiones attulit. Neque etiam huc pertinent inſignia illa, quorum uſum induxerunt Archi-Duces feminæ; niſi ſimul cum inſignibus titulos & regiones maritis adportaverint. Tam late enim ubique illuxit nominis Auſtriaci decus, ut qui omnia earum gentium, quas Auguſta ſtirps Archi-Ducum adfinitate, aut matrimonii vinculis contigit, uno opere exponere vellet titulos & inſignia, vix non omnium Europæ familiarum regnatricium origines ac ſtemmata pernoſcere, & pluribus voluminibus complecti opus haberet. Nec finis in Occidente foret; etiam ad eos Principes, qui terras ad Orientem regunt, tranſeundum. Tanta fuit per multa ſæcula, quibus hæc gens Auguſta floruit, adfinitatis cum Archi-Ducum familia jungendæ cupido atque indicibile ſtudium. (b) Cujusmodi quidem laborem jam pridem ſuſceperat *Amade de* AMANDEN; quod opus jam alibi a me recenſitum eſt. (c) Verum licet ſex ſupra triginta annis huic negotio impenſis, quinque volumina majora, multis inſignium millibus completa, ſed necdum edita compoſuerit; tamen illis nondum fecit ſatis, qui præter magnam diverſorum inſignium copiam, illorum etiam, & quam maxime origines, mutationes & incrementa pernoſcere cupiunt; ad quæ proinde breviter recenſenda jam nos progredimur.

Tab. XVI.

b

c

§. VIII.

POſtquam Auſtria *Marchionatus* titulo Comitibus ex gente Babenbergica hæreditario jure obtigit, atque in conſuetudinem Ducibus Comitibusque ſigilla Equeſtria venerunt, manifeſtum habetur, & ita quoque in antecedentibus elucubrationibus demonſtra-

Tempore Marchionum, & Ducum familiæ Babenbergenſis, SIMPLEX AQUILA,

(b) Vid. GANSII arboretum gen. p. 12. Adde Annal. de Roo, in quibus plura ejusmodi Auſtriacorum inſignia, aliunde adquiſita, præfiguntur.

(c) Geneal. Diplom. Habs. T. I. Proleg. 8. p. 61.

vetuſtiſſimum Auſtriæ inſignе:

ſtratum eſt: primum a veteribus Marchionibus in clypeo adhibitum ſymbolum non aliud fuiſſe, quam *ſimplicem*, & parum quidem artificioſe factam *aquilam*. Infinita occurrunt vetuſta ſigilla, id adfatim confirmantia, quorum nos aliquot jam ſupra pro fide delineavimus. Sed quæritur, qui & quando alia provinciarum accedentium ſymbola ad hanc aquilam Auſtriacam in clypeum migraverint? Novimus quidem, HENRICO *Superbo* an. MCXXXVIII. auctoritate CONRADI III. Germ. Regis proſcripto, ademptum *Bavariæ* Ducatum Auſtriæ Marchioni (ut ad id tempus erat) LEOPOLDO collatum eſſe; huic in Ducis nomen, quia ſtirpem ipſe non reliquerat, fratrem ſucceſſiſſe HENRICUM agnomine *Jaſamergott* dictum. Itaque, quæ prima veteribus Auſtriæ Marchionibus contigit acceſſio, *Bavaria* erat. Verum equidem ego ex nullis, quæ ad manus meas pervenere, monumentis diſcere potui, uter ex his fratribus, ſeu LEOPOLDUS, ſeu HENRICUS, præter *aquilam Auſtriacam*, ullam habuerit in inſignibus teſſeram *Bavariæ*. Quæ ejus rei cauſſa fuerit; an quia nondum illis temporibus conſuetudo invaluerat inſignia augendi; an vero, quia tum temporis Bavaria, (d) ut Bohemia olim, aliæque etiam finitimæ regiones *aquilam* pro ſymbolo habebant? id aliis diſcutiendum relinquo. Pro certo adfirmare licet: HENRICUM *Jaſamergott* terris trans *Aniſum*, ſeu ſupra *Anaſum*, & Ducis dignitate beneficio FRIDERICI I. Imp. an. MCLVII. potitum, haud tamen alia, neque ipſum, neque poſteros, ad FRIDERICUM BELLICOSUM usque, quam vetera *Auſtriæ* inſignia, nullis ſymbolorum acceſſionibus mutata, adhibuiſſe; tametſi dicta regio ſupra *Anaſum*, olim ad ducatum *Bavariæ* pertinens ultra figuram *aquilæ ſimplicis* aliquot in longitudinem ductas *trabes*, ſive *faſcias* potius, rubras & albas in ſcutum acceperat. Quod ſubinde etiam ab Archi-Ducibus noſtris in nummis aliquando ſigillisque uſurpatum vidimus: qua de re ſtatim largius dicam.

Num. 1.

Quod accedente Ducatu BAVARIÆ,

d

Et regione SUPRA ANASUM, Auſtriacis ceſſa, fuit conſervatum.

§. IX.

Eidem tandem etiam inſignia principatus Auſtriæ SUPRA ANASUM adnexa; Num. 2.

QUamquam inſignium principatus trans *Anaſum* origo non ſatis manifeſta ſit; propterea quod ſcire non detur, quo tempore provincia hæc adſumpſerit duplicata inſignia *faſciarum* cum *aquila* ſimplice, vel, ut alii loquuntur, ſcutum ex *palis* aliquot, & *aquila* bipartitum; attamen duplex adſertio, quam ad calcem prioris paragraphi attigimus, ſatis in aperto eſt: prima, regionem trans Anaſum jam an. MCLVII. *titulo* quidem, ut ajunt, *oneroſo*, ob reſtitutum *Bavariæ* Ducatum, hæreditario jure ad Auſtriæ Duces perveniſſe: altera, Archi-Ducibus Auſtriæ, quamvis recentiori ætate, ſcutum regionis ultra Anaſum in nummis & ſigillis uſurpatum eſſe. (e) Atque ea gratia ego minime dubito: facta illa provinciarum ceſſione, Auſtriacis primo (ſi temporis ratio habeatur) jus fundatum, nova iſtius trans Anaſum Principatus teſſera ſcutum gentilitium ampliandi fuiſſe; tametſi Babenbergenſes illud

e

(d) Vid. MEICHELBECK Hiſt. Friſing. T. I. p. 249. ubi de Codice Liturgico, ab ELLENHARDO Ep. Friſingenſi Eccleſiæ S. Andreæ dato, & aquila ſuperne inſignito, ſit ſermo.

(e) Vid. *Jacobi a* MELLEN ſylloge numm. pag. 41. ſeq.

illud ſymbolum non induxerunt, ipſam tamen provinciam, Auſtriæ finibus, addentes. ERNESTUS *Ferreus* uſus eſt in ſigillo ſuo anni MCCCCXVIII. ſcuto provinciæ ſupra Anaſum, ut videre eſt in *Diſſ. I. Tab. VIII. n. VI.* MAXIMILIANUS I. dato diplomate die XVIII. Decembris MDVII. *in oppido de Memingben* inter cæteros provinciarum titulos poſuit regionem ſupra Anaſum cum hac præfatione: *Marchio S. R. I. ſuper Anaſum & Burgoviæ &c.* (f) Vero ſimile porro videtur, regionem iſtam, quæ quondam Anaſum inter & Cremſam fines ſuos habebat, poſtea vero per acceſſionem inſignis comitatus *Mahlandiæ* amplificata fuit, inſignia ſua a Comitibus *de Mahland* accepiſſe; OTTO enim *de Mahland* auctor monaſterii Pomerienſis idem prorſus ſcutum, quod hodie ab inclytis Ordinibus Provinciæ trans Anaſum celebratur, gentilitium ac proprium geſſit; prout accepi a viro *Cl. Jo. Georgio* SCHWANDNERO ejusdem Provinciæ conterraneo. Eſt autem monaſterium *Montis Pomerii*, ſeu ut BRUSCHIO placet, *Horti Pomerii* vulgo *Baumgartenbergenſe* in eo ſuperioris Auſtriæ quadrante, qui *Machlandicus*, in chartis antiquis *Mahland* ſcribitur, ſitum, vivente etiam tum S. BERNARDO pro Ciſtercienſibus Monachis fundatum in honorem *B.* MARIÆ *Virginis* ab OTTONE non quidem Marchione Auſtriæ, quemadmodum in ſupplemento Neſſeliano pag. 196. per errorem adſtruit BRUSCHIUS, ſed prædicto *Comite de Mahland*, ſeu *Machland*, & *Geutha*, *Jeutha*, ſeu *Gueta*, nata Comite de Peilſtein uxore ſua anno MCXLII. (g) ſeu potius MCXLI. ut HOHENECKIUS notat. (h) Uti vero Comites de *Purchauſen*, *Machland*, & *Clam* ejusdem fuerunt proſapiæ; (i) ita facile intelligitur, qua ratione comitatus *Mahlandiæ*, & *Chlam* LEOPOLDO VI. VIRTUOSO Auſtriæ Duci, ſæculo jam tum XII. venditus fuerit; rem hanc ſic deſcribit pridem laudatus ENNENCKELIUS: (k) *Der Grave von Clamme der dinget dem Herczogen Liupolden Clamme di Graffchaft und Chlingenberch, unnd ander aygen ze Oſterrich daz darzu geboret. Der ſtarp jenhalb mers, unnd geviel daz aigen an daz lant.* In topographia Auſtriæ *edita Viennæ MDCCXXVIII. Parte II. p.* 61. venditionem iſtam anno MCLXXXVI. contigiſſe, dein a RUDOLPHO I. Rom. Rege OTTONI Brandenburgico, genero ſuo in CATHARINÆ filiæ dotem anno MCCLXXX. adſignatum hunc comitatum fuiſſe, tum vero denuo ad Auſtriacos rediiſſe legitur. Dignitas vero comitatus Machlandiæ a MAXIMILIANO I. anno MCCCCXCV. in *Pruſchenckios*, ſeu *Hardeckios* Comites translata eſt. (l) HOHENECKIUS (m) veterum Machlandiæ Comitum Inſignia, mutatis dumtaxat coloribus, Hardeckiorum ſcuto impreſſa exhibet. Cæterum codex FRIDERICIANUS, quem ſub finem præcedentis proxime Diſſertationis breviter recenſuimus, inſignia provinciæ trans *Anaſum*, in hunc modum exhibet: *Scuti bipertiti area dextera nigra, aquilam auream expanſis alis refert; ſiniſtra quatuor palis argenteis & coccineis diſtinguitur. Galeæ coronatæ inſiſtit aquila ſcutaria.* A regione trans Anaſum recto tramite ad Styriam digredimur.

(f) *Oliv.* VREDIUS de ſigillis Flandriæ. p. 136.
(g) BRUSCHIUS in cit. ſupp. p. 169. HANSIZ. Germ. Sac.
(h) Tom. I. p. 306. Geneal. Beſchreibung. p. 14.
(i) LAZIUS de mig. gent. p. 319.
(k) *Furſtenbuch.* p. 10.
(l) Vid. Collect. Auſtr. p. 249.
(m) Loco cit. P. I. p. 290.

§. X.

Uti & Ducatus Styriæ.

ENimvero *Styriam* LEOPOLDUS VIRTUOSUS, FRIDERICI BELLICOSI Ducis Auſtriæ avus, jam an. MCXCIII. ab ultimo Duce comparaverat. Itaque tum cœptum eſt a Ducibus noſtris ſe a *Styria* non ſecus ac *Auſtria* inſcribere; hoc amplius, quod cum *aquila* Auſtriaca, ſymbolum Styriæ, *nivei coloris Pantheram, in campo viridi, flammas eructantem*, gentilem ſcilicet veterum Marchionum teſſeram (n) in ſcuto habere, ac modo junctim cum teſſera Auſtriæ, modo ſeparatim, & in averſa ſigilli parte uſurpare occœperunt. Quod quidem inſigne a poſteris Archi-Ducibus continuatum eſt; uti in ſigillis & nummis paſſim occurrit. Porro Styriæ inſignia a CHIFFLETIO ita depinguntur: *area praſina, cum grypho ſine alis perrepente, argenteo, ſcintillas ex ore, naribus & auribus vibrante.* In prælaudato autem codice ſæculi XV. inſignia Styriæ in hunc modum exhibentur: *Panthera ex argento perrepens, & ſcintillas ex ore, auribus & naribus vibrans, in umbone viridi. Huic impoſita eſt galea coronata, ſuſtinens tabulam cum typo ſcutario octangulam, ſingulis angulis globus præfixus.* Alibi & quidem in libro typis excuſo Græcii anno MDCXXXV. Panthera reperitur cornuta & inter cornua coronam geſtans. Eadem ſupra galeam repetita, & tabula, loco globulorum, pennis pavonis ornata.

Num. 3.

n

Tum mutatum Auſtriæ ſcutum in FASCIAM HODIERNAM a Duce FRIDERICO.

Num. 4.

Quo caſu tum, & qua de cauſſa vetus Auſtriacum inſigne a FRIDERICO BELLICOSO, ſtatim ſub initium Imperii ſui an. MCCXXXI. ex aquila ſimplice in faſciam mutatum ſit, ſat ſuperque in præcedentibus diſſeruimus. Conſiſtit autem illud, in hunc usque diem perenne Auſtriacum inſigne: *Scutum coccineum, argentea zona exaratum, ſive in faſcia alba, clypeum rubrum interſecante.*

Ab eodem addita Auſtriæ CARNIOLA.

CARNIOLA etiam a FRIDERICO BELLICOSO ſuffragiis Ordinum provinciæ, & Cæſaris FRIDERICI II. confirmatione anno MCCXXXIII. Auſtriæ addita. Nullum quidem reperi ſigillum, in quo ille Dux Auſtriæ, *Carniolæ* ſymbolum exhibuerit; attamen nemini non notum eſt, Carniolæ inſignia ab Archi-Ducibus Auſtriæ recepta eſſe. Continent ea *in area ſcuti argentea aquilam cæruleam, roſtro & cruribus coccineis; impreſſa pectori luna creſcente, ſeu cornuta teſſellarum, argenti & minii ductu areolata.* In ſæpe dicto codice FRIDERICIANO, area ſcuti ex auro eſt; galea quoque aurea, impoſita corona, ex qua aquila ſcutaria exſurgit.

Num. 5.

§. XI.

Ab OTTOCARO, rege Bohemiæ, Ducatus CARINTHIÆ comparatus.

DEficiente in familia Babenbergenſi ſtirpe virili, adeoque ſtatim poſt mortem FRIDERICI BELLICOSI, OTTOCARUS Rex Bohemiæ Auſtriam, Styriam, & Carniolam occupavit. Ad hoc caducum *Carinthiæ* Ducatum ab orbo hæredibus Duce ultimo ULRICO III. obtinuit anno MCCLXIX. Duxerat ille ULRICUS III. uxorem AGNETEM, FRIDERICI *Badenſis* ſororem; quæ quidem & poſtquam fratris ſui caput gladio deciderat, una *Auſtriæ, Styriæ*, & *Carinthiæ* hæres erat. Verum quum ea ex marito

(n) Vid. Chronolog. ſacr. Styriæ p. 15.

rito prolem non ſuſciperet; tantum abfuit, ut ſuæ conjugis jura urgeret, ut etiam *Carniolam* OTTOCARO Regi venumdaret; cui alias, ſi vi actum foret, arcendo haud par fuiſſet. Poſt occaſum ULRICI, ſecundas nuptias AGNES inivit cum ULRICO Heimburgico Comite. Sed hic etiam infirmior injuriam occupantis ulciſci minime valebat. Obiit AGNES Auſtriaca anno MCCXCIV. vel ſequenti, biennio poſt maritum. Has igitur Auſtriaci juris provincias ſub jugum miſſas OTTOCARUS tenebat; donec a RUDOLPHO I. Rom. Rege devictus, reddere coactus eſt. Tum RUDOLPHUS Cæſar prædia illa Imperio Germaniæ vindicavit, annoque MCCLXXXII. MEINHARDO Tyrolenſi Comiti ea lege conceſſit, ut maſcula ejus poſteritate exſtincta, Auſtriaci ſuccederent. Inducta poſtmodum & addita Auſtriacis inſignia *Carinthiæ;* quæ in ſchemate noſtro ſub numero 15. ordine nimirum chronologico, exponuntur. Conſiſtunt vero hæc Inſignia in ſcuto bipartito, cujus priorem aream *tres Leones*, unus ſuper alterum gradientes, implent; poſteriorem vero *faſcia transverſa dividit.* Leones iſtos antiquam *Sueviæ* Ducum memoriam conſervare dicunt; e quibus OTTO, HERMANNI frater, cui in tertiam ætatem poſteri ſucceſſerunt, ab OTTONE III. Imp. anno DCCCCLXXXIX. Carinthiæ præfectus erat. Poſtquam vero Ducatus hic anno MCCCXXXI. ad Auſtriacos pervenit, priori teſſeræ acceſſit *faſcia Auſtriaca.* Cl. VREDIUS rem ita exponit: *Scutum ab ſummo bipertitum; Auſtriacum dexter laterculus hodiernus: ſiniſter aureus, tribus pardis furvis impreſſus; qui eſt Sueviæ. Ambo ſimul juncti, ſymbolum Carinthiacum referunt.* Codex Cameræ Archi-Ducalis huic ſcuto galeam addit, cui impoſita duo cornua, utrinque prominentibus quinque bacillis, a quibus ſingulis tria pendent folia. Denique *Jacobus* UNREST in ſuis Chronicis Carinthiæ (o) ſcribit: duo illa cornua alba fuiſſe, cum ornatu ex *Hermellino*, & pennis pavoninis.

§. XII.

UBi OTTOCARUS anno MCCLXXVIII. cum prælio vitam amiſerat; RUDOLPHUS I. Rex *Auſtriam* & *Styriam*, ut prædia vacua pro Imperio ſuſcepta, de principio quidem, anno ſcilicet MCCLXXXI. maximo natu filiorum ALBERTO Habsburgi Comiti, ex conſenſu Principum, vicario nomine adminiſtranda tribuit. Sequenti mox anno MCCLXXXII. in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis, die XXVII. Decembris, idem RUDOLPHUS Rom. Rex, *Auſtriæ*, *Styriæ*, *ac Vinidorum Marchiæ* vexilla ALBERTO filio tradidit, in eumque earum provinciarum jura, Imperii beneficio, contulit. Eodem quoque die RUDOLPHUS, alter Cæſaris filius *Sueviam*, MEINHARDUS vero, Tyrolis Comes, *Carinthiam*, atque *Traviſinam Marchiam* obtinuere. Hæc illa eſt felix temporum viciſſitudo, in qua Habsburgicæ genti acciderunt regiones Auſtriacæ, atque cum multis aliis terrarum acceſſionibus nova identidem inſignia; & Ducibus quidem Auſtriacis ex ea re amEpocha Ducum Auſtriæ ex Auguſta gente Habsburgica.

(o) Apud HAHNIUM Collect. monument. T. I. p. 485.

ampliſſima honorum & nominis incrementa; tum primum quoque jacta fundamenta tantæ potentiæ regnorum, quæ poſtmodum nacta Auguſtiſſima Domus maximam partem adhuc tuetur. Itaque, cum ALBERTUS RUDOLPHI I. Rom. Regis filius ex perſona Ducis Auſtriæ non tantum a regionibus Auſtriacis, ſed avitis etiam terris nomen ediderit (jam enim alibi monſtravimus (p) eum in diplomate anni MCCLXXXIII. II. Kal. Aug. hujusmodi titulo, uti & deinceps, uſum eſſe: ALBERTUS DEI GRATIA DUX AUSTRIE ET STYRIE, DOMINUS CARNIOLE, MARCHIE, ET PORTUS NAONIS, DE HABSBURG, ET CHIBURCH COMES, LANDGRAVIUS ALSATIE) ejusque poſteri illos Habsburgici dominatus titulos non ſolummodo conſervaverint; ſed horum etiam prædiorum inſignia, in nummis non ſecus ac ſigillis ad Auſtriacum ſcutum addiderint; eodem tempore cum inſignibus *Marchiæ Vinidorum*, & *Portus Naonis*, ſymbola binorum comitatuum *Habsburgi* & *Kyburgi*, nec non *Landgraviatus Alſatiæ*, ad Auſtriaca inſignia acceſſerunt. Sed quoniam ſimul, cum ALBERTUS Auſtriacas regiones ſuſciperet, ejus etiam frater RUDOLPHUS principatus *Sueviæ* beneficio auctus eſt; *Sueviæ* pariter Ducatus inſigne Auſtriacis accrevit; quin jam antea per ejus conjugem ANNAM, BERNARDI Comitis Hohenbergenſis filiam, *Comitatus Hohenbergenſis*. De ſingulis igitur harum regionum inſignibus, quæ ſimul cum collato Habsburgicis Comitibus jure poſſeſſionis, a Ducibus Auſtriæ ſuſcepta ſunt, jam nobis exponendum.

§. XIII.

Inſignia VINIDORUM MARCHIÆ.

VINIDORUM MARCHIA, ultima Sclavoniam, ſive Slavoniam, ut in inſignibus legitur, verſus Carniolæ regio, nomen accepit *Marchionatus Vinidorum*; alibi *Marchia Slavoniæ* legitur. Nos ſupra animadvertimus, a FRIDERICO BELLICOSO jam tum anno MCCXXXIII. Carniolam Auſtriæ adjectam eſſe; an vero *Carniola* tum etiam illam *Marchiam Vinidorum*, ſeu *Slavoniæ* ſecum habuerit, haud ſatis exploratum. Pro certo autem adfirmare licet: ALBERTUM a parente ſuo RUDOLPHO Cæſare anno MCCLXXXII. *Marchiam Vinidorum* jure beneficiario accepiſſe; ac poſteros quoque Archi-Duces iſtius Marchionatus inſignia in nummis & ſigillis cum Auſtriacis paſſim junxiſſe. Abſolvuntur illa

Num. 6. inſignia *ſcuto aureo* (apud alios *area* eſt *argentea*) *cui pileus inſcriptus eſt niger, oris & loris minio tinctis.* Alii pro pileo ponunt *Burſam* apertam, ſed inverſam, cum ſuis ligulis ſive corrigiis rubri coloris; alii (ut VALVASOR *in ſua topographia lib. XI. pag.* 384.) volunt *abenum*, ſeu lebetem eſſe, quo utuntur ejus regionis incolæ ad coquenda caſearia. In membranaceo codice Archi-Ducali, ſcuto, apicis loco, galeæ coronatæ infigitur ventilabrum aureum, typo, id eſt pileo (ſeu Burſæ, aut lebeti, vel aheno) ſcutario inſigne, idque octangulum, infixo globulo cuilibet angulo.

PORTUS NAONIE. PORTENAVIA, ſeu *Portus Naonis* Caſtrum Italiæ in Foro Julii; quæ provincia victo OTTOCARO Rege Bohemiæ, a RUDOLPHO I. Imp.

(p) Genealog. diplom. Aug. gent. Habsb. T. I. L. III. c. 1. p. 203.

Imp. fiduciario nexu ALBERTO filio fuit conceſſa; unde ad Auſtriacos ſubin tranſiit ſcutum *Portenaviæ*, quo plerique Archi-Ducum in nummis & ſigillis uſi: *coccineum eſt, portam referens apertam.* Num. 7. Codex ſupra laudatus, aream coccineam transverſe argento faſciat. Portam auream triplici colle viridi ſuſtentatam, foribus aureis apertis, ferroque inſtructis ſiſtit. Galeæ coronatæ pro apice tribuit ſimilem portam.

HABSBURGICO Comitatui *ſcutum eſt aureum, cui inſcriptus Leo coccineus, corona, lingua, falculis cæruleis,* ſeu *cyaneis.* Inſignia hæc avita Domus Auguſtæ, addita ſuere faſciæ Auſtriacæ; ut alibi oſtendimus. (q) Sunt etiam alii præterea comitatus, & regiones, quas ſibi pertinentes Habsburgi Comites ad Auſtriam ſecum transtulerunt: ita comitatum *Badenſem, Lenzburgenſem*, aliaque prædia & latifundia. (r) Sed, quoniam Duces Habsburgo-Auſtriaci harum omnium regionum inſignia in monumentis ſolemniter non induxerunt, illa hic prætereo. LEO HABSBURGICUS. Num. 8. q r

HARTMANNO ultimo *Kyburgi* Comite an. MCCLXIV. diem obeunte, comitatus, Tiguro vicinus, *Kyburgenſis*, cum aliis multis prædiis, RUDOLPHO Habsburgico ex hæreditate accidit. Ab hoc comitatu RUDOLPHUS, antequam imperatorium faſtigium aſcenderat, non ſolum nomen edidit; ſed ejus quoque poſteri inſignia *Kyburgenſia*, inter Auſtriaca ſuſceperunt; quod omnibus ſatis conſtat. Eſt autem KYBURGENSIS *clypeus coccineus*, quem *baltheus* permeat *aureus*, utrinque comite *Leone*, metalli ejusdem. In prædicto codice membranaceo, clypeus *Kyburgenſis* impoſitam habet galeam coronatam, cui inſiſtit Leo ſcutarius, corona aurea decoratus, in ventilabro octangulo, cujus anguli in globulos deſinunt. INSIGNIA KYBURGENSIA. Num. 9.

Superioris ALSATIÆ Landgravii titulum familiæ Habsburgicæ ortum debere, a nobis alibi (s) oſtenſum. Titulum hunc retinuerunt conſtanter Duces Habsburgo Auſtriaci, atque inſignia iſtius Landgraviatus ſcuto Auſtriaco haud infrequenter adpoſuerunt. Eſt itidem Alſatiæ *ſcutum coccineum, quod baltheus aureus extremitatum ornamentis dividit a latere dextero; areolæ ſuperiori tres coronæ aureæ, totidemque inferiori inſcriptæ ſunt.* LANDGRAVIATUS ALSATIÆ. s Num. 10.

Ex hæreditate porro conjugis RUDOLPHI I. Imperatoris, quæ fuit ANNA, BERNARDI Comitis Hohenbergenſis filia, anno MCCLXXXI. mortua, ad Auſtriacos devolutus eſt comitatus HOHENBERGENSIS (& id quoque jam ſupra memoratum) cujus inſignia SIGISMUNDUS Archi-Dux nummo ſuo unciali inſcripſit an. MCCCCLXXXVI. Ejus ſcutum *transverſa linea* ſecatur, una parte *rubea*, altera *argentea.* COMITATUS HOHENBERGENSIS. Num. 11.

Demum SUEVIÆ principatus, ut pariter ſupra monuimus, a RUDOLPHO Rom. Rege eodem anno MCCLXXXII. alteri ſuo filio cognomini RUDOLPHO Habsburgico, nexu Imperii fiduciario, conceſſus eſt. Hujus poſteritas cum anno MCCCXIII. defeciſſet, HENRICUS VII. Imp. principatu *Sueviæ* Auſtriacos iterum inauguravit. *Aureo* ejus *clypeo inſerti* ſunt *tres Leones, alter ſuper alterum gradientes, nigri, lingua & falculis rubeis.* DUCATUS SUEVIÆ. Num. 12.

(q) Ibidem T. I. L. I. c. XVII. & Tab. 19. n. 15.
(r) Ibid. Lib. I. p. totum.
(s) In eadem genealog. diplom. Tom. I. pag. 22.

§. XIV.

Comitatus Pherretanus.

INſignia PHERRETANA jam hoc loco temporum ordo excipit; quandoquidem ALBERTI I. Rom. Regis filius ALBERTUS II. dictus *Sapiens* in charta anni MCCCXX. *Comitem* ſe *Pherretanum* ſcripſit; & illum titulum Auguſta Domus cum inſignibus ejusdem comitatus in poſterum retinuit. ALBERTUS iſte II. Dux Auſtriæ uxorem duxerat JOANNAM, filiam ULRICI Comitis *Pherretarum*, quo, ſocero, defuncto, hæreditatem adivit anno MCCCXXIV. (t) *Clypeus* Pherretarum *rubeus eſt, cui ex adverſo*

t

Num. 13. *ſibi oppoſiti piſces inſcripti ſunt aurei.* In adducto ſæpius codice membranaceo, ex caſſide coronata aſſurgit virginea imago, crinibus aureis fulgens & cocco induta, duobus piſcibus aureis, brachiorum loco, lateribus aptatis.

Marggraviatus Burgoviæ.

Sic & Marggraviatum BURGOVIÆ jam tum ſæculo Chriſti XIV. Ducibus Auſtriæ paruiſſe, colligimus ex eo; quod FRIDERICUS Rex Rom. filio ALBERTI I. Rom. Regis, dato diplomate *IV. Id. Febr.* an. MCCCXXVI. fratribus ſuis cariſſimis, LUPOLDO, ALBERTO, HENRICO, & OTTONI, vacua Imperii prædia in *Burgovia* adſcripſerit. Titulo *Marchionis Burgoviæ* ſubin uſus eſt RUDOLPHUS IV. Dux Auſtriæ (u) cæterique ejus ſucceſſores; qui teſſeram *Burgoviæ* non raro etiam Auſtriæ ſcuto addiderunt.

u

Num. 14. Illa *obliquis ſiniſtris baltheis albis & coccineis* exarata eſt, inducto parte intermedia *palo aureo*. Codex prælaudatus ſcutum ſiſtit ſex obliquis dexteris baltheis argenteis & rubris exaratum, inducto toti palo aureo. Galeæ coronatæ impoſitum eſt jugum expanſum alarum, cum typo ſcutario.

§. XV.

Ducatus Carinthiæ.

JAm quoque ſupra monuimus: CARINTHIAM ab OTTOCARO Rege Bohemiæ, qui per id temporis Auſtriacas regiones invaſerat, pretio comparatam & poſtmodum an. MCCLXXXII. MEINHARDO Comiti Tyrolenſi in clientelam pro ſtirpe virili conceſſam eſſe; tum quæ ſint illius ducatus inſignia expoſuimus.

Num. 15. Nunc, quoniam pro ratione temporis illorum ectypon damus, breviter memorandum reſtat: *Carinthiæ* Ducatum, defuncto MEINHARDO an. MCCCXXXI. Auſtriacis hæreditarium factum, penes eosdem ad hoc tempus manere. Cæterum occurrunt alibi *Carinthiæ* inſignia, typis excuſa, in quibus aream ſiniſtram occupat ſymbolum Auſtriacum, illudque vario excultum ornatu, & faſciæ quaſi crux impoſita. Sed hæc forte ſcalptoris genio tribuenda.

Comitatus Tyrolensis.

TYROLENSES porro provinciæ non per connubium, ſed per ſpontaneam ceſſionem MARGARETHÆ, HENRICI Ducis Carinthiæ, & ultimi Comitis Tyrolenſis filiæ, ad RUDOLPHUM IV. ejusque fratres, ALBERTI II. Ducis Auſtriæ filios, devolutæ ſunt. Memoratam donationem inter vivos confirmavit CAROLUS IV. dato diplomate *Fer. V. poſt diem feſtum S. Agathæ* an. MCCCLXIV.

Hoc

(t) Ibidem Lib. III. cap. II. pag. 210. (u) Ibid. pag. 212.

Hoc eodem anno inter dignationum titulos *Comitatum Tyrolenſem* Duces Auſtriæ poſuerunt, & ad hoc usque tempus conſervarunt. (w) Inſigne Tyrolenſe refert *in clypeo argenteo aquilam ruheam*, cujus corona, roſtrum, crura, & ſemicirculi trifoliati, alis impreſſi, *auro* fulgent. Sive ut CHIFFLETIUS deſcribit: *Scutum argenteum cum aquila coccinea, corona, roſtro, & cruribus aureis, impreſſa pectori lunula foliata aurea.* In codice Archi-Ducalis Cameræ, caſſidi impoſita eſt ala nigra, quam a dexteris ſecat baltheus ex argento. w Num. 16.

Eodem quoque anno per ceſſionem, comitatus & prædium *Homburgenſe* ad Aug. Domum Auſtriacam tranſierunt. (x) Sed quoniam Duces Auſtriæ inſignia hujus *Homburgenſis comitatus* (quod mihi quidem compertum ſit) rariſſime & vix unquam, non magis in ſcutum Auſtriacum induxerunt, quam inſignia comitatus *Raprechtswilani;* quem tamen a Comitibus Habsburgi, progeniei Lauffenburgicæ, titulo emptionis jam anno MCCCLVIII. comparaverant, non eſt, quod in his moremur. Ob eandem cauſſam præterimus, qua ratione LEOPOLDUS *Probus* an. MCCCLXXXVII. oppidum & dynaſtiam *Lauffenburg* cum aliis præfecturis, conditione pignoris adquiſiverit; itemque, ut ſub LUDOVICO *Bavaro* Landgraviatus *Brisgoviæ*, & imperante WENCESLAO præfectura *Sueviæ*, quam *Landvogtiam* nominant, in poteſtatem conceſſerit Auſtriacam. x

Huc demum ſpectat *ſcutum* illud Auſtriacum, quod QUINQUE AVICULAS in clypeo habet, quodque *vetus* nuncupatur; nam ſæculo primum XIV. RUDOLPHUS IV. Dux Auſtriæ clypeum *quinque avibus alas pandentibus* conſpicuum induxit, (y) quibus de principio male formam *Alaudarum* adfinxerunt. (z) Quinque volucres in *ſcutum* Auſtriæ, quod vocant *vetus*, adſumptæ. Num. 17. y z

§. XVI.

CAROLUS *Pugnax* BURGUNDIÆ Dux anno MCCCCLXXVII. unicam filiam MARIAM reliquit; quæ marito ſuo MAXIMILIANO Archi-Duci, poſtea Romanorum Imperatori in omnem Burgundiam jura attulit. Auſtriaca Domus in Burgundicis inſignibus adhibet vetera ſymbola: *parmulam ſexies auro & cyano oblique a dextera faſciatam, margine coccineo.* Alia quoque addiderunt Burgundiæ inſignia Hiſpaniarum Reges ex gente Auſtriaca, illaque *nova* nominant; *aream* nimirum *cæruleam, Francicis Liliis ſparſam, limboque cinctam ex rubro, & argento angularibus diſtincto.* (aa) Ducatus Burgundiæ inſignia. Num. 18. aa

Uti BRABANTIA Ducatui Burgundiæ jam tum anno MCCCCXXX. adnexa erat; ita quoque provincia hæc cum MARIA Burgundica ad Auſtriacos tranſiit. Brabantiæ *ſcutum fiarvum, aureo Leone, lingua & falculis miniatis impreſſum.* Ex eo tempore, cum penes Brabantinos ANTVERPIÆ Marchionatus S. R. I. manſit, hic pariter cum reliqua Brabantia apud Burgundos & Auſtriacos fuit. Scutum ejus *transverſe* ſectum: *ſuperior pars aurea aquilam Imperialem refert, cum pectori infixo ſcutulo Auſtriaco;* Brabantiæ. Num. 19. Marchionatus Antverpiæ. Num. 20.

(w) Ibid. pag. 214.
(x) Ibid. cap. III. pag. 216.
(y) Conf. dicta Diſſert. I. II. & III.
(z) In ead. Diſſert. II. §. XII. & ſeq.
(aa) Vid. SPENER. P. ſpeciali Lib. I. cap. 38. §. 22. & 37. Add. *Oliv.* VREDIUM de ſigillis Ducum Fland. in indice inſig.

inferior coccinea caſtello argenteo clauſo, triquetræ figuræ, & ternis ad angulos turribus munito; juncturis lapidum ubique fuſcis; ſupra binis manibus expanſis, coloris nudæ carnis, altera obliqua dextrorſum, altera ſiniſtrorſum poſita.

Luxemburgi ſeu Luzelburgi Num. 21. Eadem tempeſtate, eodemque jure per MARIAM *Burgundicam*, Auſtriacis regionibus acceſſit Ducatus LUZELBURGENSIS, qui ſcutum habet *tæniis transverſis, ex argento & cyano ſine numero exaratum; quibus Leo imprimitur Limburgenſis, coccineus, corona, & falculis ex auro, lingua cærulea, cauda bifida, in decuſſim trajecta.* Per nuptias quoque MARIÆ *Burgundicæ* ad Auſtriacos devolutus Flandriæ Num. 22. FLANDRIÆ comitatus; cujus teſſera *Leo niger, lingua & falculis rubeis in ſcuto aureo.* Salinarum Num. 23. SALINÆ urbs in comitatu Burgundiæ, easdem cum illo rerum viciſſitudines habuit. Ejus ſcuto *baltheus a dextera impoſitus eſt aureus in ſolo miniato.* Addi hoc loco poſſent *Limburgi, Geldriæ, Zeelandiæ, Holandiæ*, & reliquarum Belgii ditionum teſſeræ; verum cum iſtæ raro, ac nonniſi, in titulis ac ſcutis Auſtriacorum, qui vel Belgis præfuerunt, vel ſceptra Hiſpaniarum tenuerunt, occurrant; illas ad inſignia particularia ac rariora referens, diſſertatione ſequenti exponendas reſervo.

§. XVII.

Goritiæ Num. 24. GORITIÆ comitatum MAXIMILIANUS I. an. MCCCCXCIX. vindicavit, regione Auſtriacis imperioque adſerta. *Parma oblique ſecta eſt ex angulo dextero; in ſuperiore areola Leo aureus* conſpicitur; inferior autem *baltheos* habet *quatuor*, binos *argentei coloris*, alteros *coccinei.* SPENERUS & TRIERUS inſignia hæc paullo aliter deſcribunt: *Parma oblique ex angulo dextero ſecta, cujus prior ſeu dextera area argentea, duos baltheos coccineos: poſterior vero, ſeu ſiniſtra cærulea, Leonem aureum impreſſum habet.*

Comitatus Cilejensis. Num. 25. Comitatus CILIENSIS, ſeu *Cilejenſis*, in Styria ſitus, poſt obitum ULRICI III. & ultimi Comitis anno MCCCCLVI. a LADISLAO *Corvino* cæſi, a FRIDERICO PACIFICO Imp. Auſtriacæ genti per adfinitatem, partim etiam per pactiones adjunctus eſt. Inſignia ejus, Archi-Ducibus etiam non inſolita, in *area cærulea ternas ſtellas*, ſex radiorum, *aureas* refert. Monet porro *Jac.* UNRESTUS in ſuis chronicis Carinthiæ: (bb) hasce teſſeras primo proprias fuiſſe Comitibus de *Heymburg*, quas poſtea Comites *Cileiæ* adſumpſerint, ac retinuerint.

bb

§. XVIII.

Regnorum Hispaniæ. INgens præterea Auſtriæ ſcuto incrementum fuere regna HISPANIÆ, quibus PHILIPPUS, MAXIMILIANI I. Imp. filius, ex connubio potitus eſt. Duxit an. MCCCCXCVI. FERDINANDI *Catholici* Regis Arragoniæ, & ISABELLÆ Reginæ Caſtiliæ filiam JOANNAM. Poſt mortem ſocrus ISABELLÆ an. MDV. eum Caſtilia Regem habuit. Exinde per regna Hiſpanica Auſtriacis inſignibus acceſſiones ſunt factæ. Verum jam longius procederem, ſi

(bb) Apud laudat. HAHNIUM Collect. Monument. T. I. p. 526.

ſi de Hiſpanicis inſignibus ſigillatim diſſererem; præſertim cum in Auguſta Domo Auſtriaca conſuetudo ferat, raro aliis, quam *Caſtiliæ*, & *Legionis*, inſignibus in ſigillis & nummis utendi (nonnunquam tamen etiam *Arragoniæ*, item *Siciliæ* & *Granatæ* ſymbola adhibentur) nam a *Caſtilia* maxime Regi Hiſpaniarum nomen eſt; quamobrem unicum ſæpiſſime *Caſtiliæ* ſymbolum, ad denotanda univerſa Hiſpaniarum regna, ab Archi-Ducibus noſtris, iis in monumentis, quæ in patria noſtra promulgabantur, inducta ſunt. Nobis itaque hic ſufficiat, illa regnorum Hiſpaniæ inſignia ſtrictim adducere, quæ ab Auſtriacis in Germania frequentata fuerunt.

CASTILIÆ ſcutum *coccineum* oſtendit *caſtellum aureum, lapidum juncturis fuſcis, porta & feneſtris cæruleis occluſum, tribus turribus eminentibus aureis tripliciter pinnatum.* Eſt etiam, ubi in Auſtriacis nummis & ſigillis ſcutum Caſtellanum ſimplex modo per *caſtellum aureum* ſiſtitur. CASTILIÆ ſeu CASTELLÆ. Num. 26.

LEGIONENSE Regnum, ſi CHIFFLETIO fides, in *area ſcuti argentea* refert *Leonem molochinum, corona, lingua, & falculis aureis.* Sed probat MENESTRERIUS, (cc) quod *Leo* Legionenſis ſit *purpureus cum cauda duplicata, lingua rubra.* LEGIONIS. Num. 27. cc

ARRAGONIÆ ſcutum aureum *palo quadruplici coccineo impreſſum.* Alias *tæniæ*, ſeu ſtriæ *rubræ tres: aureæ*, quæ a ſecunda incipiunt, *itidem tres.* ARRAGONIÆ. Num. 28.

Inſignia utriusque SICILIÆ, *oblique dextrorſum & ſiniſtrorſum ſecta, in ſummo & imo ſpatio aureo palum tergeminum miniatum, in lateribus argenteis aquilam nigram auro coronatam, cruribus coccineis* referunt. In nonnullis Siciliæ inſignibus binas aquilas, coronis deſtitutas, fuiſſe pictas obſervavi. Utriusque SICILIÆ. Num. 29.

Cum porro Reges Hiſpaniarum ex gente Auſtriaca inſignia quoque regni PORTUGALLIÆ in ſede honoris ſcutorum ſuorum repoſuerint, illa hoc loco pariter addenda ſunt: repræſentant *in area argentea quinque parmulas cæruleas in crucem diſpoſitas;* ſingulæ autem parmulæ *quinis nummis Bizantinis argenteis in decuſſim* diſpoſitis onerantur; ſcuto circumdatur *limbus coccineus, ſeptem caſtella aurea* referens. Denique Regnum GRANATÆ an. MCCCCXCI. Mauris ereptum, ſcutum habet *argenteum* cum *praſino malo punico, ramulo & foliis viridibus ſuſtentato, biante cortice, granulis coccineis.* PORTUGALLIÆ ſeu LUSITANIÆ. Num. 30. GRANATÆ. Num. 31.

§. XIX.

AUguſtiſſimus Cæſar CAROLUS VI. Rex Hiſpan. III. præter inſignia *Caſtiliæ, Legionis, Arragoniæ, & Siciliæ*, regnorum quoque *Neapolis, Indiarum, Hieroſolymorum, & Navarræ* teſſeras, impoſita parmula *Cataloniæ*, ſed omiſſo *Granatæ* ſcuto, adſumpſit. Symbola vero NEAPOLITANA ſunt lilia ſparſa in campo cæruleo, vel *ſcutum liliatum cum faſciola, ſeu ponticulo ſuperius quinque Lemniſcorum pendulorum.* Juxta CHIFFLETIUM: *ſcutum quadripertitum I. & ultimus quadrans Arragonicus; II. & III. Hieroſolymitano & Hungarico ſymbolis, ab ſummo bipertitus.* INDIARUM ſymbolum ſtantem *Leonem* præfert *argenteum*, pede dextero *crucem auream* ſuſtinens in area *cærulea.* Regni HIEROSOLYMITANI ſcutum: *in ſolo argenteo, pedata crux aurea, oram ſcuti mi-* A CAROLO VI. Imp. plurium regnorum Inſignia in ſcutum Auſtriacum illata; NEAPOLIS, Num. 32. INDIARUM, Num. 33. HIEROSOLYMORUM, Num. 34.

(cc) Dans l'art de Blaſon p. m. 167.

minime pertingens; ad quatuor ſcuti angulos, ſingulis crucibus minutis,
NAVARRÆ, Num. 35. *itidem aureis, præcincta.* Symbolum NAVARRÆ, *ſcutum coccineum, carbunculo lineari clauſo & ſphærulis diſcreto aureo, impreſſum.*
& CATALONIÆ. Num. 36. CATALONIA demum in I. & IV. ſcuti areolis *argenteis crucem* gerit *coccineam;* in II. & III. *aureis, binas faſcias coccineas* impreſſas habet.

§. XX.

DUCATUS WIRTEMBERGIÆ. Num. 37. ANno MDXXI. CAROLO V. Imperatori Ducatus WIRTEMBERGENSIS emptionis titulo obvenit; quem beneficii nomine fratri ſuo FERDINANDO I. obtulit. In ſcuto *ſolum aureum tria cornua cervina nigra complectitur.* Poſt exſtinctam vero
MEDIOLANENSIS, anno MDXXXV. omnem familiam *Sfortiam*, idem CAROLUS V. MEDIOLANENSEM in Italia ducatum adeptus eſt. Anno MDLVI. eam provinciam filio ſuo PHILIPPO II. Regi Hiſpaniæ dedit. Scutum ejus *argenteum, boa cærulea ternis gyris in palum circumplicata, & auro coronata, impreſſum: erumpente ex faucibus infantulo coccineo.*
dd A *Julio* CHIFFLETIO in hunc modum deſcribitur: (dd) *Scutum quadripertitum; I. & IV. quadrans aureus, aquila nigra in eo exarata; II. & III. argenteus, boa cærulea, ternis gyris, in palum circumplicata, impreſſus.* Addi poſſent STATUS PRÆSIDII, & alii loci, quos iſte ſuo filio PHILIPPO II. contulit.

CAROLUS VI. Imp. inſigne Mediolanenſium ſuo pariter addidit ſcuto, *Lombardiæ* ſymbolo in area contigua adjecto, quod *ſimplicem aquilam nigram in campo aureo præfert;* ex altera parte *boa cærulea cum infante* comparet. Sed quia ſuperius tam in delineatione podii tablini ſeu *tecti aurei*, ut vocant, *pag.* 84. *Tab. XIV. n.* 10. quam in ſchemate turris Oenipontanæ *pag.* 86. *Tab. XV. n.* 38. videre eſt: clypeo Mediolanenſi, quaſi ornatus cauſſa *titiones ardentes & ſitulas* aqua repletas, additas eſſe; monendum hic eſt, ſymbolum hoc a GALEATIO ejus nominis II. Mediolanenſium Duce adſumptum, cum lemmate: HUMENTIA SICCIS. Quod ipſum
ee *Claudius* PARADINUS in ſuis ſymbolis Heroicis (ee) pluribus exponit.

§. XXI.

REGNI HUNGARIÆ. EXimiis quoque auctibus Auſtriacum faſtigium extulit auſpicatiſſimum FERDINANDI I. matrimonium cum ANNA, filia ULADISLAI Regis *Hungariæ*, & *Bohemiæ*. Anno MDXXI. celebratæ ſunt nuptiæ; nec ita multo poſt, ſcilicet anno MDXXVI. juvenis Rex LUDOVICUS, unicus jam dictæ ANNÆ frater, in prælio Turcico cecidit. Itaque tum FERDINANDUS I. CAROLI V. frater eas tantas Auſtriacæ potentiæ peperit acceſſiones, *Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & Luſatiæ.* HUNGARIÆ regnum duas habet partes inſignium, quæ modo conjunctim, modo ſeparatim Auſtriacum clypeum ingrediuntur: una *argento & minio octonis*
Num. 39. *tæniis transverſis faſciatur*, ducto a tænia alba initio, ut octonæ ſint fa-

(dd) Ap. VREDIUM de ſigillis Flandriæ in indice inſignium. (ee) Edit. 1557. in 8. p. 50.

faſciæ. Altera rubea eſt, *in qua triplici colliculo viridi in corona inſiſtit argentea crux Archi-Epiſcopalis.* Præter hæc regni Hungariæ ſymbola, aliud ejusdem regni occurrit inſigne, quo monetæ Principum Auſtriacorum in Hungaria cuſæ ſignantur; imago nimirum Beatiſſimæ V. MARIÆ corona redimitæ, dextera ſceptrum, læva Natum Divinum gerentis. Hunc modum ſignandi nummos Hungaricos a LADISLAO ſancto Rege deducit auctor cerographiæ Hungaricæ. (ff) Sub rege FERDINANDO I. hunc ſignandi modum lege regni peculiari ſancitum eſſe tradit, atque hanc in rem citat Decreti, anno MDL. Poſonii editi, articulum XLVIII. quem ſubin novo Decreto, an. MDLXXXIII. Sopronii promulgato, robur accepiſſe teſtatur. ff

§. XXII.

HUngariæ regno varia alia, tractu temporum, cum regna, tum provinciæ acceſſerunt, uti *Dalmatia*, *Croatia*, *Slavonia*, & hoc ultimo nomine alia regna: nempe *Bulgaria*, *Boſnia*, *Servia*, & hujus, quæ meridionalem plagam reſpicit, pars, *Raſcia*; regna item *Galliciæ*, *Lodomeriæ*, & *Cumaniæ*, ante tempus, quam ea omnia ab Auſtriacis per hæreditatem poſſeſſa ſunt. Solent quidem curiæ Auſtriacæ in expediendis rebus minoris momenti *Bulgariæ*, *Boſniæ*, *Serviæ* & *Raſciæ* titulos ac nomina omittere; Reges tamen Hungariæ iſtarum, cum prioribus, decem regna conſtituentium, provinciarum non modo totidem vexilla in inauguratione hactenus adhibere conſueverunt; (gg) ſed ab his etiam regnis in ſolemnibus Majeſtatis nomina edere. (hh) Quamobrem operæ pretium erit, harum ad Hungariam pertinentium regionum inſignia vel leviter ſaltem attingere. gg hh

DALMATIÆ ſunt *tria Leonum coronatorum capita aurea in clypeo cæruleo*, ſeu, ut VREDIUS exponit: *area ſcuti cærulea, ternis aureis pardorum roſtris, impreſſa.* Clypeus CROATIÆ *octo teſſellarum ductibus ex argento & coccino diſtinctus*; teſſellæ porro ſuum ab argento ducunt initium. Scutum SLAVONIÆ cum inſignibus *Boſniæ* a nonnullis perperam confunditur. Tametſi enim *Slavoniæ* nomen olim tam late patuit, ut *Dalmatiam*, *Croatiam*, *Boſniam*, *Serviamque* ſub uno complecteretur ſignificatu; propria tamen *Slavoniæ* ſunt inſignia: *tres canes albi in campo viridi:* neque hic tamen omnes circa figuram iſtorum trium animalium conveniunt. Symbolum BOSNIÆ in campo aureo *brachium rubeo colore veſtitum cum framea argentea.* SERVIÆ ſcutum *caput apri inſerto ori ſpiculo in campo rubro* exhibet. Alii aream *viridem* ponunt. BULGARIA *quaternis faſciis auratis ſcutum* habet *oblique ſciſſum, interna area coccinea, lupum album currentem* oſtentans. GALLICIA *tres coronas aureas in campo rubro cum monedula, transverſo ſuperne ramuſculo inſidente.* LODOMERIA *in campo cæruleo faſciam præbet geminam teſſellatam, teſſellis rubris & albis permixtim.* Tandem Inſignia CUMANIÆ: *in campo cæruleo Leo ruber coronatus, ſuperne ſtella, inferius luna illuſtris.* Alii *lunam* ſupra, *ſtel-*

DALMATIÆ. Num. 40.
CROATIÆ. Num. 41.
SLAVONIÆ.
Num. 42.
BOSNIÆ.
Num. 43.
SERVIÆ. Num. 44.
BULGARIÆ. Num. 45.
GALLICIÆ. Num. 46.
LODOMERIÆ. Num. 47.
CUMANIÆ. Num. 48.

(ff) Tyrnaviæ 1732. in 8. typis vulgatæ. Tom. I. pag. 281. ſeq.
(gg) Vid. Clar. *Matth.* BELII notit. Hungar. (hh) Auctor Cerographiæ Hung. pag. 90.

ſtellam infra locari volunt. Qui de ſitu iſtorum regnorum, temporisque ordine, quo quodvis illorum regibus Hungariæ acceſſerit, ſcire deſiderat, laudatum cerographiæ Hungaricæ auctorem adeat, ſuadeo. Adjicienda his eſſent provinciarum *Tranſylvaniæ*, *Valachiæ*, & *Moldaviæ* inſignia. Sed duo hæc poſteriora in monumentis necdum offendi; de ſcuto autem Tranſylvaniæ, quod in nummis Auſtriacis frequens eſt, paullo poſt dicturi ſumus.

§. XXIII.

Bohemiæ. ELISABETHA, SIGISMUNDI BOHEMIÆ regis filia, ALBERTO II. Auſtriaco Cæſari, marito ſuo regnum Bohemiæ jam attulerat; ſed inde cum nata hærede tranſiit ad Principes Poloniæ. Hinc tamen iterum Bohemia rediit ad Auſtriacos cum hærede ANNA (ii) Archi-Duci FERDINANDO I. Cæſari nupta.

ii

Num. 49. BOHEMIÆ teſſera notiſſima eſt; jam a tempore FRIDERICI I. Imp. *Leone* utitur *argenteo coronato*, cum bifurcata cauda, lingua & falculis aureis in *area coccinea*.

Moraviæ. Marchionatus MORAVIÆ, qui jam anno MXXVI. Bohemiæ regno junctus, huicque ſemper inſertus permanſit, ſcutum

Num. 50. habet *cæruleum*, *aquila* inſcriptum, *argenteis & rubris teſſellis variegata*. Symbolum hoc, uti & Sileſiæ, Luſatiæque inſignia in ſcuto regis Bohemiæ frequentantur. Titulus vero *Marchionis Moraviæ* occurrit inter cætera monumenta Auſtriaca in perigraphe ſigilli, quo LADISLAUS *Poſthumus* uſus fuit anno MCCCCLIII.

Sileſiæ. Utraque SILESIA, ſuperior & inferior anno jam tum MCCCXXX. regno Bohemiæ innexa erat. Clypeus ejus *aureus*

Num. 51. eſt, cui inſcribitur *aquila nigra*, pectori impreſſa ex argento *lunula*, *cornibus ſurſum verſis*, *impoſitaque ejusdem metalli crucicula*.

Lusatiæ. Eodem quoque jure & tempore Auſtriacis obvenit LUSATIA

Num. 52. *ſuperior* & *inferior*; in cujus inferioris ſcuto *bos inſcriptus eſt rubeus*, *ventre albicante*; in ſuperioris autem, ſeu Rudiſſinenſis, laterculo *cæruleo*, *aureum murum*, *nigro opere cæmentario diſtinctum*, & *in pinnas aſſurgentem* habet. De aliis ad regnum Bohemiæ pertinentibus terris, & inſignibus dicere omitto; ne iſta me longius trahant.

Transylvaniæ. Sub finem denique ſæculi XVII. victricibus LEOPOLDI I. Imp. armis ducatus TRANSYLVANIÆ an. MDCLXXXVIII. ditionibus Auſtriacis acceſſit, & anno MDCXCIX. pace Carlowicenſi hæc ipſa acceſſio firmata fuit. Nummi ab Auſtriacis in Tranſylvania cuſi, ut plurimum nonniſi ſeptem colles, cum totidem turribus pro inſigni ſiſtunt. Eſt autem provinciæ hujus ſcutum bipertitum:

Num. 53. in *area cærulea* ſuperiori *aquila dimidiata & coronata*, cui *ſol* a dexteris, *luna* a ſiniſtris; *turribus ſeptem* Tranſylvaniæ civitates ſeptenæ, ac totidem olim caſtra Scythica, a Ducibus Hunnorum primis ſuper colles ædificata, *in area inferiori ejusdem metalli* adſignificantur.

§. XXIV.

(ii) Alii JOHANNAM nominant. vid. auct. Germ. Princ. p. 209.

§. XXIV.

ULtimum quidem, si temporis ordinem respicis, sed dignatione cum maxime memorandum est augmentum, quod obvenit clypeo Austriæ, insignium Serenissimæ Domus LOTHARINGICÆ accessione. Jacta sunt rei hujus fundamenta, cum die XII. Febr. anno MDCCXXXVI. CAROLI VI. Imperatoris Augusti filia natu major MARIA THERESIA, Infans Hispan. & Archi-Dux Austriæ FRANCISCO STEPHANO Duci Lotharingiæ, & Magno Duci Hetruriæ matrimonio juncta fuit. Optimo sane omine! quandoquidem duæ gentes Habsburgensium & Lotharingorum, quorum majores utrinque primum Alemanniæ Ducem ATHICONEM septimo jam tum Christi sæculo communem habuerunt parentem, (kk) post mille demum annos se denuo contingunt; ut idem stemma, quod quingentos fere annos provinciis Austriacis felici hactenus præfuit imperio, germinaret deinceps, & in alterum usque regnum millenarium, quod faxit DEUS! progeniem propagaret. De principio quidem, imperante etiamnum Augusto patre, MARIA THERESIA, ut Archi-Ducibus feminis in more positum est, clypeo mariti Lotharingiæ Hetruriæque insignibus conspicuo, unicum adjunxit scutum Austriacum: fasciam hodiernam referens, eaque ratione symbola Lotharingiæ atque Austriæ in suo comparebant sigillo. At ubi Archi-Dux post Cæsaris, patris, memoriæ gloriæque immortalis, excessum, regna provinciasque Domus Augustæ legitimo hæreditatis jure adiit; præcipua quoque Lotharingiæ insignia in clypeum Reginæ Archi-Ducis migrarunt; hacque ratione sigilla Austriaca celeberrimis vetustissimisque tesseris ac symbolis recens aucta fuerunt. Insignia LOTHARINGIÆ. k k

Scuto Serenissimæ Domus LOTHARINGICÆ, quæ cum Augustis Regiisque familiis, ac cum ipsis Archi-Ducibus multiplici alias adfinitate conjuncta fuerat, in octo areolas olim secto, nona accessit, sub præfato Duce FRANCISCO STEPHANO, hodie Romanum Imperium felicissime gubernante Cæsare Augustissimo: HETRURIÆ quippe insignibus conspicua; iis vero incumbit parmula media symbolum sistens *Lotharingiæ* gentilitium. Continentur priori ordine fasciæ Hungaricæ, tesseræ item Neapolitanæ, Hierosolymorum & Arragoniæ. Verum singula hæc, uti ab Archi-Ducibus nostris pariter usitata fuere, supra jam descripsimus. In ordine inferiori veniunt Andina secundæ familiæ insignia, Leo Geldriæ, Leo item Juliacensis & pisces ducatus Barrensis. Ex his Regina Archi-Dux & Augusta Imperatrix in scutum majoris sigilli, quo hodiedum Cancellaria Aulica in expediendis instrumentis utitur, quatuor dumtaxat adsumpsit areolas: *Lotharingiæ*, *Hetruriæ*, *Hierosolymæ*, & *Barri*, additumque Regio titulo: *nupta Lotharingiæ & Barri Dux*, *Magna Dux Hetruriæ &c. &c.* Regni Hierosolymitani scutum delineatum jam dedimus. (ll) 11

LOTHARINGIA vero scutum *aureum* cum *baltheo coccineo* habet, *tribus aquilulis argenteis impresso*. De quo illud etiamnum hic Num. 54.

(kk) Vid. VIGNIERIUM, ECCARDUM aliosque in geneal. Diplom. Habsburg. T. I. Lib. 2. c. 17.

(ll) Hic §. XIX. Tab. XVI. n. 34.

notaſſe juvabit, quod Vir Clariſſimus & Reverendiſſimus Dominus *Auguſtinus* CALMET in ſua Hiſtoria Lotharingiæ Tom. I. col. 1261. item T. II. p. 2. & T. III. col. XXXI. data opera, & excuſſis antiquitatis monumentis perhibet: nimirum Inſignia veterum Lotharingiæ Ducum variaſſe usque ad tempora FRIDERICI dicti *de Bitche*, qui primus tres aquilulas (*Alerions*) in ſcutum adſumpſit, & ad poſteros transmiſit. Inde concludit Eruditiſſimus Auctor: quod ante finem duodecimi, vel ſub initium ſæculi XIII. Duces Lotharingiæ ſtata, & perennia inſignia nondum habuerint: & ante FRIDERICUM majores nihil certi in ſcutis geſſerint; ALBERTUS I. denique ſimplicem aquilam expanſis alis in clypeo tenuerit; quo quidem ſymbolo ad inſigne Marchionum Auſtriæ ſtirpis Babenbergicæ adluſio inſtitui poſſet. Verum de hoc jam ſupra §. VI. explicatius. Nunc ad ſcutum *Hetruriæ* tranſeundum.

HETRURIÆ. Num. 55. mm BARRI. Num. 56. nn

Magnus HETRURIÆ Ducatus a familia Medicea, ſua derivat inſignia; ſcutum illi *aureum*, *quinque pilis coccineis* impreſſum, ſuper quas *una* eminet *cærulea*, tribus liliis Francicis figurata. (mm) BARRUM, ſeu Ducatus *Barrenſis* ſcutum gerit *cæruleum*, *mullis barbatulis aureis duobus*, *tergis obverſis*, *dentibus & oculis argenteis* impreſſum, *crucibus aureis brachiatis*, & in imo ſpiculatis, incerto numero ſparſum. (nn)

§. XXV.

Deſcriptio Inſignium NELLENBURGENSIUM. oo pp

DIvertimus modo ad deſcriptionem nonnullorum inſignium, quorum ectypa partim ex monumentis Oenipontanis jam exhibuimus; partim Tomo IV. in monumentis ſepulcralibus comparebunt. Anſam ad hoc agendum præbent tum nummi quidam Tyrolenſes, quorum alter eſt SIGISMUNDI, ſignatus jam tum anno 1486. ſcuta *Nellenburgica* & *Montfortiana* referens; alter eſt uncialis MAXIMILIANI I. Romanorum Regis, cuſus anno MCCCCXCV. (oo) Eo continentur ſcuta viginti provinciarum Auſtriacarum, quæ inter locum obtinent inſignia *Nellenburgi* & *Veldkirchii*; tum quoque mauſoleum FERDINANDI II. Archi-Ducis Tyrolenſis, quod eſt Oeniponti. In eo muſaico ſeu muſivo opere conſpicua ſunt ſex ſupra viginti parmæ, ſymbola exhibentes ditionum Auſtriacarum. Sed tot inter inſignia unicum reperire eſt *Nellenburgicum*, quod a nobis hactenus neque deſcriptum, neque delineatum fuit; cætera enim omnia ſuperius jam exegimus. Ordinem, quem dicta in hoc mauſoleo ſymbola tenent, ubi pleniorem ejus monumenti recenſionem daturi ſumus, exponemus. Scutum vero comitatus NELLENBURGICI in *area aurea*, *tria* continet *cornua cervina* coloris *cærulei*. (pp) Addi ſolet alter laterculus *rubeus*, exhibens *unicornu argenteum*, quod *Thenganam* familiam attingit; verum hujus imaginem in clypeo Archi-Ducum necdum reperi.

§. XXVI.

(*mm*) Plura ap. SPENER. Op. Herald. P. ſpec. L. I. p. 252. ſeq.
(*nn*) *Oliv.* VRED. geneal. Fland. p. 153.
(*oo*) Vid. MELLEN ſylog. numm. pag. 191. & LILIENTHAL p. 2. KOEHLER *Münzbeluſt.* P. II. §. XXXIV.
(*pp*) Conf. SPENER. P. ſpeciali. p. 499.

§. XXVI.

FERDINANDI Tyrolenſis ex PHILIPPINA *Welſeria* natis, ANDREÆ Cardinali & CAROLO Marchioni Burgoviæ aliqua tantum modo Auſtriaci nominis inſignia in clypeos conceſſa fuerunt. Titulum quidem ferebat CAROLUS *Auſtriæ*, ſeu *ab Auſtria, D. G. Marchio S. R. Imp. Burgoviæ, Landgravius Nellenburgi, Comes Hohenbergæ, Dominus in Veldkirch, Bregenz & Hoheneck;* at neque iſtarum ditionum ſingula in clypeo ſuo ſymbola expreſſit; hujus enim, uti & fratris ſui ANDREÆ Cardinalis, ſcutum quadripertitum erat, cujus prima areola *Burgoviæ*, ſecunda *Hohenbergæ*, tertia *Nellenburgi*, quarta denique *Veldkirchii* teſſeras repræſentabant. Toti imponebatur parmula bipertita ex ſymbolo *Auſtriaco*, & *Leone Habsburgico*. Unicum ex his inſigne *Veldkirchii* explanationem hic expoſcit: cætera enim a nobis jam expoſita ſunt. Habet autem VELDKIRCHII comitatus, quem Auſtriaci a Montfortiis titulo emptionis adquiſiverunt: *in area argentea vexillum Eccleſiaſticum nigri coloris* impreſſum. (qq) Comitatus Veldkirchii.

qq

§. XXVII.

MUlta ſuperant, ſat equidem ſcio, inſignia, ad Auſtriam, Auſtriacumque ſcutum referenda, & a nobis, ſi inſtitutum ita poſtularet, hic exponenda. Etenim ſi quis convenientia titulis, a Principibus Auſtriæ nonnunquam adſumptis, inſignia omnia & ſingula plane pleneque exigere vellet, is ſane provinciam in ſe ſuſciperet, ad teſſeras & ſymbola non tantum arcium & civitatum, ſed etiam pagorum, maxime in Helvetia ſitorum usque excurrendi; nam ut vel unicum RUDOLPHUM IV. Ducem Auſtriæ, qui pro genio ſuo & rerum novarum cupidus, & titulorum numero glorioſus fuit, in exemplum ſumamus: id, quod modo dicebam, ex adjecta ad inferiorem marginem ejus titulorum formula abunde patebit. (rr) Neque tamen ipſemet tot locorum inſignia in ſuum clypeum adſcivit. Quin poſteriori ætate Archi-Duces noſtri & titulos & inſignia integrarum provinciarum, immo & regnorum ſuis Summarium reliquarum imaginum in ſcuto Auſtriaco.

rr

(qq) Id. ibid. Lib. I. c. 9. p. 67.

(rr) *Titulus* RUDOLPHI IV. *Ducis Auſtriæ, quo uſus eſt in litteris anno 1357. Sabbato poſt S. Pancratii, in gratiam Eccleſiæ S. Stephani Viennæ datis*: Wir Rudolf von Gottes Gnaden Herzog ze Oeſterreich, ze Steyr und ze Kernden, Herre ze Krayn, uf der March, und ze Portnow, Graf ze Habſpurg, ze Pfyrt, ze Kyburg, ze Veringen, ze Lax, ze Fridberg, ze Wartſtein, ze Raprechtswil, ze Schelchlingen, und Lenzburg, und uf dem Schwarzwald, ze Clarus, ze Pilſtein, ze Pernſtein, ze Ragten, ze Rechberg, und ze Nuwenburg uf dem In, Landgraf in Elſazz, Marchgraf ze Purgow, ze Paden, und ze Droſendorf, Herre ze Friburg in Ochtland, ze Lucern, ze Wolhuſen, ze Rotenburg, ze Swiz, ze Unterwalden und ze Hinderlappen, ze Regenſperg, ze Tryberg, ze Hohengundelfingen, ze Ortenberg, ze Tatenried, ze Roſenfels, ze Maſmunſter, und ze Aheland, und Vicari in obren Payern, und mer. *Litteras has integras dabo infra in Auct. diplom. ad hunc annum. Addo hic quoque initium litterarum de anno 1359. quibus* RUDOLPHUS *ejusque uxor ſequentes titulos ferunt*: Wir Rudolff von Gottes Gnaden Phallenz Erzherzog ze Oeſterrich, ze Steyr, und ze Kernden, Furſt ze Swaben, und ze Elſazz, Herr ze Krain, uf der March, und ze Portnau, und des heiligen Romiſchen Richs Obriſter Jegermaiſter: und wir Cathrein von Beheim Tochter des aller unuberwundneſten Herrn Carlen Rom. Kayſers, und Kunges ze Beheim, Gemachel des jezgen unſers herzen lieben Herzogen, Herzogin, Furſtin und Frau der obgenant landen. *Vide auctorem memorabilium Templi & turris ad S. Stephanum Viennæ, a Collegio S. J. edit. 1721. pag. 15. ſeq.*

in litteris, ſigillis, aliisque monumentis publicis omiſerunt. Ad Hungariam quippe ſpectant *Raſcia*, *Valachia* & *Moldavia*, ut antea memini; ad Bohemiam, adnexæ huic *Sileſiacæ Provinciæ*: In Auſtria Anteriori Landgraviatus *Ortenaviæ*. In Italia Ducatus *Mantuæ* cum prædiis ſuis, aliaque bene multa. Sunt præterea ab Hiſpania, & Belgio varii Archi-Ducum tituli. Verum cum Auguſta Domus Auſtriaca ad deceſſum usque CAROLI VI. Cæſaris, tantam regebat regionum multitudinem, quarum non omnium ſymbola ſuis inſcripſit inſignibus; ſed in ſigillis, & nummis locum plerumque dedit provinciis tantum potioribus; cæterarum regionum teſſeras conquirere hoc loco ſuperſedendum duco; tum quod potiores & ab Archi-Ducibus noſtris magis frequentatas, quæ in patriæ noſtræ monumentis, maxime vero in Tyrolenſibus occurrunt, jam attulimus; tum quod in Diſſertationibus duabus ſubſequentibus cætera, quæ in nos recepimus, inſignia explanaturi ſumus. Interim hic repetenda ea, quæ Diſſert. III. §. XXIV. ex Clar. auctore Germaniæ Principis adduximus. Nos porro iis quoque, qui doctrinam inſignium data opera exponunt, plenius diſcutiendum relinquimus: quo tempore cœpta ſit primum *aquila* Imperii *ſimplex* & dein *biceps* in Auſtriacum ſcutum induci; qua occaſione ſub MAXIMILIANO I. aurei velleris inſigne ſuſceptum; qua ſpecie apices, vel clamores, ut vocant, ſeu teſſeræ ac lemmata ab Auſtriacis ſint inducta, quales adſumptæ laciniæ fuerint & telamones, & quæ demum horum omnium mutationes? nam iſta omnia modo ab incepto noſtro ſejuncta ſunt.

§. XXVIII.

Scutum Auſtriæ hodiernum.

VErum expedit, ut hic etiamnum breviter attingamus ſcutum Auſtriacum, quale illud, noſtra memoria, in publicis homagii celebritatibus ab Armigero hæreditario (cujus muneris honor Illuſtriſſ. Comitum familiæ *Sinzendorfianæ* addictus) ad pompam geſtari ſolet. Id ſcutum, ſolido argento perfectum, ſolam pro inſigni oſtendit figuram faſciæ candidæ in umbone rubro: ſcilicet faſciæ candorem ipſa argenti materia eatenus elevatior præbet, reliqua ſcuti area encauſto rubro obducta. Rarum ea magnitudine invenies opus encauſti; quippe cujus clypei altitudo pedem unum capit pollicesque IX. & ſemis, latitudo pedem unum quinque pollices & ſemis. Superiores anguli certas inciſiones habent: & ſub angulo dextero, quatenus ſupra faſciam eminet, ſcutum quaſi in modum ſemicirculi, veteri more pro adplicanda lancea, acciſum eſt. Faſcia quoque ex hac parte libero nexu fluctuare videtur. Reliqua ſcuti forma in acumen deſinit. Ambitum cingit margo tenuis inauratus. Averſo ſcuto illigatur tenuis de ſerico rubro faſcia, qua id commode ad brachium adplicari, & ferri poſſit. In regia ſervatur hoc ſcutum ſub cuſtodia tribuni ærarii, nec unquam ad uſum depromitur, niſi quando cætera quoque Archi-Ducum inſignia in ſolemnibus homagii celebrari contingit.

Lit. A. Ejus delineationem habes infra in ſchemate littera A. notatam.

§. XXIX.

§. XXIX.

SEd antequam Dissertationi huic finem imponam, rationes sunt adferendæ, cur ex recensitis hactenus insignibus quædam in monumentis Austriacis raro occurrant? eaque deinceps strictim notanda, quæ perperam exarata, vel etiam conficta reperimus. De antiquissimis temporibus vix quidquam est, quod hoc loco memorem. Uti enim Domus Austriaca novis sensim accessionibus crevit; ita symbola regionum ac provinciarum in scuto Austriaco magis magisque aucta sunt: nullum vero illius ætatis insigne peregrinum, & a stato usu alienum cum illis conjunctum vidi. Id quod ex prima Dissertatione de sigillis satis superque demonstratum manet. Imperantibus vero FRIDERICO *Pacifico*, & MAXIMILIANO I. cum aliunde abundarent Insignia Austriaca, in usum venit: nummis, sigillis, mausoleis maxime, ac monumentis sepulcralibus varias tesseras & scuta regionum adjungere, a communi consuetudine nonnihil aliena. Cæterum ita obtinuit, ut in iis provinciis, ubi Archi-Ducum jussu vel nummi sunt cusi, vel mausoleum statutum esset, insignia ejusdem regionis, honoris caussa præ cæteris celebrarentur. Unde est, quod monumenta Archi-Ducibus, in Hispaniarum regnis posita, Hispanicis magis, quam aliis quibusvis, regionum Austriacarum symbolis & insignibus ornata conspiciantur. Idem de monumentis Austriacis in Belgio dicendum, quæ etiam Insignia provinciarum Belgicarum, Burgundiæ & Hispaniæ cumprimis & quam maxime ostentant. Eadem ratio de Insignibus a Principibus Austriæ in Germania usitatis; idque ex allatis sigillis & Insignibus omnino confirmatur. Raritas itaque Insignium Austriacorum respectum habet ad monumenta, pro diversitate regnorum & provinciarum, quæ dominationi Austriacæ subsunt. Altera dein caussa est, novarum ad certam ditionem Austriacam provinciarum accessio; quatenus insignia Regionum recens adquisitarum, a Principe Austriaco, cujus Dominio immediate subdebantur, in clypeum sunt adsumpta, quæ tamen a cæteris Archi-Ducibus neglecta fuerunt. Ejus rei exempla submministrat turris Oenipontana, quæ, ut supra vidimus, in magno illo insignium numero, regionum illarum clypeos quoque refert, quæ Austriam Anteriorem, Tyrolensibus Archi-Ducibus subditam, constituunt, puta *Ebingæ*, *Tribergæ &c.* harum vero regionum ne quidem nomina apud cæteros Archi-Duces, qui Tyroli haud præerant, in monumentis reperies. Tertia denique ratio; quod nonnunquam insignia feudorum apertorum, ab Archi-Ducibus adsumpta sunt; ut in FRIDERICI *Pacifici* mausoleo clypeos comitatus *Cilienſis*, nec non *Ortenburgenſis*, cæteris Austriæ symbolis additos videmus; pluraque, si vacaret, ejus rei probationes adferri possent.

Rationes, cur quædam insignia raro in monumentis Austriacis occurrant.

§. XXX.

ILlud vero silentio non prætereundum, non omnes, quæ in clypeis Austriacis occurrunt symbolorum immutationes, esse authenticas, id est Principum jussu ac auctoritate factas; non raro enim vel oscitantia scalptorum aliorumve artificum inertia, vel deni-

Notantur insignia nonnunquam in monumentis perperam exarata;

denique pictorum licentia id ſibi ſumpſit, proprio indulgere genio, inſignia promiſcue depingere, ordinemque confundere. Hoc autem non tantum ſæculo Chriſti quinto decimo factitatum fuit, ut alibi monuimus; ſed viciniori etiam nobis ævo commiſſos ejusmodi errores in ſcutis Auſtriacis deprehendi, maxime vero in cryptis ſepulcralibus. Cauſſa rei eſſe poteſt: quod inſignia ſeu adpicta ſeu impreſſa loculis, tumbis, aliisve monumentis, quæ mortuis parari ſolent honoris ac amoris ergo, ab iis, qui illa fieri jubent, raro admodum præ mœrore animi inſpiciuntur; longe minus a fecialibus aut ab artis Heraldicæ peritis res hujuscemodi ad examen revocantur. Similem falſitatem in clypeum FERDINANDI II. Imperatoris, qui in crypta apud moniales Carmelitas ad S. Joſephum Vindobonæ poſitus eſt, irrepſiſſe memini. Quin & in crypta Pragenſi ad S. Vitum in loculo ſtanneo RUDOLPHI II. Cæſaris, notiſſima alias regnorum ac Provinciarum Auguſtæ Domus Auſtriacæ inſignia, inſuetis coloribus ac metallis expreſſa ſunt. Quod ipſum Tomo IV. ubi de ſepulcretis ac cryptis Principum Auſtriæ agemus, enucleatius obſervabimus.

§. XXXI.

Quin & falſa atque conficta.

POſtremo inſignia falſa & conficta, cum in monumentis Auſtriacis etiam quandoque recurrant, notatione hic indigent. Ad hanc claſſem referenda omnia & ſingula illa ſcuta, quæ Marchionibus ac Ducibus ex gente Babenbergica, impreſſis *quinque avibus* tributa ſunt, quæque ante FRIDERICI *Bellicoſi* tempora hodiernam Auſtriæ faſciam inſcriptam gerunt; quod ipſum ex præmiſſis Diſſertationibus II. & III. ſatis, ni fallor, demonſtratum eſt.

Huc quoque ſpectat ingens Auſtriacorum numerus inſignium, quæ faciem templi Neoſtadienſis ornant; de quibus pariter jam Diſſertatione II. §. XIX. brevem mentionem fecimus: neque enim nobis viſum eſt, rebus tam inſulſis diutius imorari. Interim ſi quis in exquirendis ejusmodi falſis fictisque narrationibus curioſus ſit, opus adeat MS. *Alberti de* BONSTETEN, de quo ibi meminimus; ubi omnia late deſcripta reperiet. Nos hic, coronidis loco, ejus quamdam notitiam ingerimus: ſcripſit auctor iſte poſt *Æneam* SYLVIUM, opusque ſuum CAROLO VIII. Galliæ Regi, cui deſponſata MARGARITA MAXIMILIANI I. Imp. filia fuerat, dicavit. In eo itaque originem gentis Habsburgo-Auſtriacæ Francorum Regum ſtemmati attribuit; quod & alii ante ipſum atque eodem animo adulandi fecerunt. Nec ſatis illi erat, ex laudati *Æneæ* SYLVII hiſtoria potiſſimam partem de rebus cum Auſtriacis, tum Bohemicis ad verbum exſcribere; verum alios ſuæ ætatis genealogos inſecutus, a prima provinciæ Auſtriacæ dominatione res nomenclaturamque Auſtriæ Principum repetendo, ad PHILIPPUM *Auſtriacum* usque telam ſuam pertexit. Hinc falſa illa primorum in Auſtria regnantium cognomina; hinc ficta Principum ſeries; hinc denique ex pictis ſculptisque jam illa ætate fabuloſis orginibus, hoc in opere quaſi in unum conglomerata ſomnia ſunt reponenda; ad quæ proinde horum cupidum remittimus; nos interim accingimus ad perluſtranda inſignia Archi-Ducum Auſtriæ, qui Belgium, regnaque Hiſpaniarum moderabantur; ut & inde factas ad ſcutum Auſtriacum acceſſiones, pernoſcamus.

DISSER-

DISSERTATIO V.

TITULI ET INSIGNIA ARCHI-DUCUM AUSTRIÆ, QUI BELGIUM REGNAQUE HISPANIARUM MODERABANTUR, FECIALIUM VERBIS ENUNTIATA.

ACCEDUNT

EORUM SYMBOLA HEROICA, ET LEMMATA EPIGRAPHICA.

§. I.

HE titulis & Insignibus, quos Austriæ Archi-Duces cum ex Belgii provinciis, tum ex Hispaniarum regnis adsumpserunt, singulariter hic agere constitui. Quo autem diversæ tot titulorum & insignium rationes, quæ cum rebus Austriacis concurrunt, in medio ponantur, primum mihi necesse videtur, generalia quædam præmittere; mox sumpto ex titulis MAXIMILIANI I. de provinciis Belgii exemplo, adjunctisque figuris ea insignia, quorum aut nulla, aut levis modo in præmissa Dissertatione facta est mentio, exponere. Dein ex formula titulorum CAROLI V. & CAROLI VI. Maximorum Cæsarum & Regum Hispaniarum Insignia recensendo exhibebimus. Postremo ipsa hæc Insignia Archi-Ducum, qui in Belgio Hispaniæque regnis dominatum tenuerunt, fecialium verbis enuntiare, illorumque symbola Heroica & lemmata epigraphica addere stat animus. Industriæ quidem suæ pretium hoc in opere jam attulerunt: *Julius* CHIFFLETIUS, (a) qui Insignium in Flandria usum a MAXIMILIANO I. ad ALBERTUM Archi-Ducem usque, MAXIMILIANI II. Imp. filium breviter & adcurate explanavit; tum vero anonymus scriptor, qui tabulam chronologicam Ducum Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi &c. edidit Mechliniæ MDCLXIX. horum insignem operam in usum nostrum ad illustrandas res Austriacas convertam.

Caussa & partitio dicendorum.

§. II.

CUm primum MAXIMILIANUS I. Archi-Dux Austriæ, auspicatissimo, quod anno MCCCCLXXVII. mense Augusto inivit, cum MARIA Burgundica matrimonio, Belgii dominatum obtinuit, regnaque Hispaniarum per PHILIPPUM filium suum ad posteros transmisit; tot sensim in chartis & diplomatibus Au-

Notitia generalis de usu titulorum & insignium Belgii & Hispaniarum in chartis ac diplomatibus Austriacis.

(a) Ap. *Oliv.* VREDIUM de sigillis com. Flandriæ in indice Insignium.

Auſtriacis factæ ſunt mutationes, ut non modo plures tituli Archi-Ducibus dati; ſed Belgii etiam & Hiſpaniæ inſignia, in ſcuta & ſigilla Principum Auſtriæ magno numero illata comparuerint nova ſymbola. Ipſi quidem nepotes a MAXIMILIANO oriundi, qui in avitis Auſtriæ provinciis ſedem fixerant, Burgundica quoque ac dein Hiſpanica inſignia ſuſceperunt, modo plura pro lubitu, modo pauciora. Scuta vero provincias Germanicas referentia, de quibus jam in præcedenti Diſſertatione egimus, ea fere ſemper retinebant. Contra, Archi-Duces, qui Belgii gubernatores facti, & ſumma rerum Hiſpanicarum potiebantur, aliquam partem inſignium Germanicorum ſatis habentes, reliquas areolas ſymbolis regionum Belgii & regnorum Hiſpaniæ complebant. Quin etiam, maxime autem rectores Belgii, pro varietate regionum, inſignia variabant: ut, ſi quid in Flandria promulgandum, alia; ſi quis in Brabantia aut Hollandia auctoritatis uſus, iterum alia atque alia adhiberent ſigilla. Quid, quod in eadem ſæpe provincia, aut etiam eodem oppido, a curiis majoribus ac ſanctioribus, dein a minoribus, diverſorum titulorum & inſignium uſus ferebatur. Generales hæ notiones, ad intelligendum diverſum titulorum atque inſignium, ab Archi-Ducibus Auſtriæ cum in Belgio tum in Hiſpania ſuſceptorum, uſum nunc ſufficiant; ex dicendis enim conſtabit amplius, quo tempore & modo novi tituli nomen Archi-Ducum ampliarint, novaque inſignia ad ſcutum Auſtriacum acceſſerint.

§. III.

Tituli & inſignia, ab Auſtriacis ex Belgii provinciis adſumpta.

AD ſingularia ut deſcendamus, lubet viam ſequi, quam præivit *Olivarius* VREDIUS, qui de ſigillis Flandriæ ſtudioſe admodum ac perdocte expoſuit. Prius tamen audiamus titulum MAXIMILIANI I. ex perſona Archi-Ducis, qualem celebratis cum MARIA *Burgundica* nuptiis adſumpſit: illum patrio ſermone conſcriptum refert UNREST (b) per hæc verba: *Wir Maximilian von Gots Gnaden Herzog zw Oeſterreich, zw Burgundi, zw Steyr, ze Kernndten, ze Krayn, ze Geldern, ze Lutzelburg, ze Lotricke, ze Leonburg und zw Brabant, Marchgraff des heyligen Romiſchen Reichs, und zw Burgaw, und des heyligen Romiſchen Reichs* ERTZ-JAGERMEYSTER, *Pfalz-Graff zw Henige, ze Holland und ze Seeland, Lanndgraff in Elſas, im* BRISGAW, *und ze Nellenburg, Herr auf der Windiſchen Marck, zw Portennaw, ze Salms, ze Mechln, und in Frießlannd, Graff zw Hohenburg, ze Habſpurg, ze Flanndern, ze Tyrol, ze Phirt, ze Kyburg, ze Zutphanien, ze Burgundi, ze Dortheen und zw Namuntzn.* Nomina hæc in linguam latinam non vertimus; quia paullo poſt daturi ſumus titulum latinum ejusdem MAXIMILIANI I. jam Regis Romanorum conſtituti. Sed animadvertimus tantum hoc loco: inter nomina provinciarum etiam venire titulum *S. R. I. Archi-Magiſtri venatorum*, quo RUDOLPHUS IV. Dux Auſtriæ uſus eſt, per formulam *ſupremi magiſtri venatorum*; item occurrere hic titulum *Landgraviatus Brisgoviæ*, qui raro admodum in diplomatibus Auſtriacis legitur. Verum adnotationes iſtæ

b

(b) Chron. Auſt. ap. HAHN. T. I. p. 617.

iſtæ potius ad titulos Germaniæ ſuperioris, de quibus antea egimus, pertinent, quam ad res Belgicas. Redeundum itaque eſt ad laudatum VREDIUM. Hic enim, quia inſigni labore jam omnia ſigilla Archi-Ducum Auſtriæ (qui, ut Comites, in Flandria regimen tenuerunt) eorumque titulos, ac nomina provinciarum, quarum ſe dominos ferebant, adeoque ipſa inſignia, ut ea promiſcue in ſcuto Auſtriaco adhibita, attulit, nobis tantum reliquit, ea ſeligere, & interpretari, quorum nulla a nobis hactenus jacta eſt mentio. In transcurſu autem hoc loco repetendum, quod alias monebam: in ſigillis nempe ab Archi-Ducibus noſtris in Belgio, ac dein in Hiſpania editis, non omnia earum regionum, quarum titulis utebantur, expreſſa inſignia fuiſſe. Unde haud ſecus quam in Germania conſuetudo obtinuit, in accommodandis ad titulos inſignibus, nullam haberi curam, ſed ſæpe horum valde pauca in ſigillis ſignari, illorum in diplomatibus longam produci ſeriem. (c) Exemplum eſto ſigillum MAXIMILIANI I. quo diploma ſuum munivit, *datum Aquisgrani ipſo die coronationis* an. MCCCCLXXXVI. In eo quinque tantum ſcuta comparent: medium in parte ſuperiore ſimplicem aquilam Imperii continet: dexterum hinc eſt ſymbolum Auſtriæ, ac illinc ſiniſtrum Burgundiæ: inferius ſubjunguntur inſignia Styriæ & Tyrolis. Inſcriptio autem diplomatis hujusmodi habet contextum titulorum: *Maximilianus Divina favente clementia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Luxemburgi, & Geldriæ: Comes Flandriæ, Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, Arteſiæ, & Burgundiæ, Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci & Zutphaniæ: Marcgravius Sacri Romani Imperii, & Burgoviæ: Lantgravius Alſatiæ, Dominus Friſiæ, Slavoniæ, Portus Naonis, Salinarum, & Mechliniæ &c.*

Contra, in variis Belgii curiis nomine & auctoritate Archi-Ducum, expeditæ ſunt chartæ, in quibus tituli breves ſimplicesque; cum tamen in ſigillis multa & diverſa provinciarum inſignia cumularentur. Exempli loco huc adduco titulum germanicum, quem CUNIGUNDA ſoror MAXIMILIANO fratri ſuo in litteris renuntiationis anno MCCCCXCII. tribuit: *Der allerdurchleichtigiſt, grosmaechtigiſt Fürſt, und Herr* MAXIMILIAN *Romiſcher Kunig, zu allen Zeiten mehrer des Reichs, zu Hungern, Dalmacien, Croacien &c. Kunig, Erz-Herzog zu Oeſterreich, Herzog zu Burgundi, zu Britani, zu Brabant, zu Geldren &c. Grafe zu Flandren, zu Tyrol &c. unſer gnadiger Herr und lieber Bruder.* i. e. „ Omnium ſereniſſimus, potentiſſimus Prin-
„ ceps & Dominus MAXIMILIANUS Romanorum Rex, ſemper
„ Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archi-Dux
„ Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Britanniæ, Brabantiæ, Geldriæ &c.
„ Comes Flandriæ & Tyrolis &c. gratioſus Dominus & dilectus
„ frater.

(c) Vid. dicta Differt. IV. §. VII. pag. 91.

§. IV.

Secretio eorundem.

PRimum, quod nobis eas res nunc propius inſpicientibus occurrit, prolixus ille titulus eſt, jam ſupra recitatus, quo uſi ſunt MAXIMILIANUS I. ejusque filius PHILIPPUS, ut rectores Belgii, antea, quam hic regni Hiſpanici potiretur; qui titulus prodigioſum prope provinciarum Germanicarum & Belgicarum numerum complectitur. Atque is quidem ex ordine dignitatis procedit; quod præmiſſo nomine Regio, primum Archi-Ducatus, dein Ducatus, Comitatus, Marggraviatus, Landgraviatus, & Dominia ſequantur. Verum cum regiones illæ, non pro ſingularum præ cæteris dignitate, cum Auſtriaca Domo coaluerint, aliis primigenia hæreditate, aliis matrimonio, aliisque jure Imperii adquiſitis, in noſtra recenſione recitatus ordo pro norma eſſe non poteſt. Quare opus eſt ſingula ſeparare, ac diſcernere. Neque enim omnes iſti tituli huc pertinent: ſcilicet nomen *Regis Romanorum* eo ordine excedit; quippe quod hæreditarium cenſeri non poteſt. Alii titulorum non MAXIMILIANO, ſed majoribus gentis Auſtriacæ, eorumque poſſeſſionibus in Germania originem debent. Hujus generis ſunt: *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Habsburgi*, *Tyrolis*, *Ferretis*, *Kyburgi*, *Burgoviæ*, *Alſatiæ*, *Marchiæ Slavonicæ*, ſeu *Vinidorum*, & *Portus Naonis*. Tituli autem novi, atque a MAXIMILIANO impetrati, qui reliquis intertexuntur, hi ſunt: *Ducatus Burgundiæ*, *Lotharingiæ*, *Brabantiæ*, *Limburgi*, *Luxemburgi*, *Geldriæ*, *Flandriæ*, *Arteſiæ*, *Comitatus Burgundiæ*, *Palatini*, *Hannoniæ*, *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Namurci*, *Zutphaniæ*, *Friſiæ*, *Salinarum*, & *Mechliniæ*. In his quoque ſunt, quorum inſignia jam antea expoſuimus: nimirum Ducatus *Burgundiæ*, *Brabantiæ*, *Luxemburgi*, *Flandriæ*, & *Salinarum*. Reliquum itaque eſt, cæterarum regionum inſignia figuris ac verbis illuſtrare. Superſunt enim *Lotharingia*, *Limburgum*, *Geldria*, *Arteſia*, Comitatus *Burgundiæ*, titulus *Palatini*, *Hannonia*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Namurcum*, *Zutphania*, *Friſia*, & *Mechlinia*. Horum item nonnulla paullo ante in monumentis Oenipontanis, ſed perbreviter attigimus. Scire autem cum primis juvat, Archi-Ducibus, Belgii Rectoribus, aliquot regionum titulos in uſu fuiſſe, quarum inſignia in ſcutis ac ſigillis non adhibuerunt. Ad quam claſſem pertinent *Lotharingia*, & titulus *Palatini*. Quamobrem de his omnium primo loco exponemus.

§. V.

Tituli Ducis LOTHARINGIÆ, & Comitis PALATINI d

LOTHARINGIÆ Ducis titulus non ſolum in diplomatibus, ſed etiam ſigillis, ut erudite demonſtrat Clar. VREDIUS, (d) olim Brabantiæ Ducibus frequens erat. Poſtquam vero Lotharingiæ pars inferior, eaque *Ripuaria* dicta, ad diſcrimen ſuperioris ſive *Moſellanæ*, quæ nomen retinuit, adpellari *Brabantia* cœpit, ſatis fuit ejus provinciæ Ducibus, prætermiſſis inſignibus, *Lotharingiæ* modo titulum reſervare. Qua de re videri poſſunt, quæ uberius diximus Diſſertatione paullo præcedenti §. VI. p. 89.

In

(d) Cit. loc. pag. 81. ſeq.

INSIGNIA AB AVSTRIACIS EX BVRGVNDIÆ ET BELGII PROVINCIIS ASSVMPTA.

Inſignia CAROLI Archi. ejus nominis poſtea Ducis Hiſpan: Infantis, Imperatoris Quinti.

A

A

Scutum CAROLI VI. Cæſaris Hiſpaniarum Regis.

B



B

R

In qua Dissertatione circa finem etiam insignia Lotharingiæ descripta dedimus. (e)

e

PALATINI quoque *Comitatus* unus olim habebatur titulus *Burgundiæ*; (f) ante annum enim MCLXXXIII. formula sueta erat: *Comes Palatinus Burgundiæ*; quia Comes Burgundiæ ad Palatium Imperatoris censebatur.

f

Præterea & LIMBURGUM, urbs regioque, jam circa annum MCVI. nomine Ducatus, adhærebat Brabantiæ. (g) Insignia Limburgensia PHILIPPUS, *Joannis Intrepidi* filius, ac Brabantiæ Dux, anno demum MCCCCXXX. in sigillis suscepit. Morem hunc secutus MAXIMILIANUS I. primo regiminis sui, Christi vero anno MCCCCLXXVII. Limburgi titulum una cum ejus symbolo adsumpsit; quod in adjecto schemate, utpote nondum hactenus a nobis expositum, Lectoris oculis subjicimus. Est autem *scutum argenteum, cum Leone coccineo, corona & falculis aureis, lingua cærulea, cauda bifida, in decussim trajecta.*

Insignia Limburgensia.

g

Tab. XVII.

Num. 1.

§. VI.

GELDRIA ad annum usque MCCCXXXIX. quo RAINALDUS II. a LUDOVICO IV. Imp. primus *Dux* adpellari cœpit, *Comitatus* erat. In diplomatibus CAROLI *Audacis* anno MCCCCLXXIII. occurrit titulus ejus, quem MAXIMILIANUS I. Archi-Dux conservavit. Tum CAROLUS V. Cæsar Ducatus Geldriæ insignia suis sigillis impressit: quæ insignia præbent *Leonem aureum in area cærulea, lingua & falculis coccineis.* Alibi comparet Geldriæ scutum a summo bipertitum: *dextera* pars *cærulea, Leone aureo* in lævam obverso, *lingua* & *falculis coccineis* impressa, quæ ipsius Geldriæ symbolum; *sinistra* vero *aurea, atro Leone, dentibus & falculis argenteis, lingua coccinea*, exarata; quæ est tessera *Juliacensis.* Cæterum Geldriæ scutum, simplici leone impresso, sed perperam pictum, & exeso nomine, etiam comparet in turri Oenipontana. Vide Dissert. præcedentem *Tab. XV. num.* 47.

Scutum Geldriæ.

Num. 2.

§. VII.

ARTESIA, a PHILIPPO *Elsatio*, ELISABETHÆ nepti suæ, PHILIPPO Regis Francorum filio nubenti, in dotem data, & a Flandriæ juribus tum avulsa, per ROBERTUM II. Artesiæ Comitem iterum rediit. MARGARITÆ Austriacæ, dein Franciæ Delphino desponsæ doti dicitur; hinc a Gallis occupata, ac postmodum MAXIMILIANO Archi-Duci, pace Senliacensi anno MCCCCXCIII. restituta fuit. Titulus & insignia in Comitum Flandriæ instrumentis, atque Archi-Ducum nostrorum diplomatibus frequenter recurrunt. Symboli loco est *area cærulea, liliis gallicis conspersa, limbo tripede coccineo, in capite diminuta.* Idem scutum reperire est *Tab. XV. num.* 49. inscripto nomine *Artbois.*

Artesiæ.

Num. 3.

(e) Vid. dicta Dissert. IV. §. XXIV.
(f) Laud. Clar. VRED. pag. 62
(g) Idem pag. 83.

Burgundiæ Comitatus.

Uti porro Ducatus *Burgundiæ*, de quo præcedenti Dissertatione §. XVI. egimus, titulus, ac symbolum, cum vetus, tum novum, ita quoque Comitatus *Burgundiæ*, & nomine, & tessera, a tempore Maximiliani I. Archi-Ducibus Austriæ frequens fuit. Etenim Comitatus iste jam tum sæculo Christi XII. Ludovico Maleano obvenerat; [h] atque inde ad Austriacos devolutus est. *Scutum* fert *cæruleum, plintbidibus aureis, incerto numero sparsis, & Leone ejusdem metalli, lingua & falculis coccineis; impressum.* Eundem clypeum refert monumentum Oenipontanum supra *Tab. XV. num.* 53. sed rursus male exaratum.

h Num. 4.

§. VIII.

Hannoniæ.

Hannoniæ, quæ nuptiis Balduini Montensis cum Richilde Raginerii II. Hannoniæ Comitis filia & hærede, Flandriæ accessit, pro insignibus quondam erat *canterius, atri coloris tergeminus, areæ aureæ impressus.* His exeunte sæculo XII. usus est prædictus Balduinus: sed mutata sunt per Joannem *Aveniensem*, qui sola usurpavit insignia Flandriæ. Postmodum Leo Flandricus Hannoniæ Leonem scutarium induxit; fuitque tum *Leo niger lingua & falculis miniatis, scuto aureo exaratus.* Altera dein mutatione orta sunt insignia hodierna, quæ multiplicatos Leones exhibent: nimirum *leunculos quatuor, scuto aureo impressos; primus & quartus, qui Flandriæ symbolum referunt atri; secundus & tertius, qui Hollandicum, coccinei.* Binas has posteriores insignium species suis in sigillis adhibuerunt nostri Archi-Duces. Philippus *Pulcher* anno MDV. Leonem Hollandicum, cum Hannonico velut intermixtum præbuit. [i] Simplicem vero Leonem atrum Carolus V. inter provinciarum insignia constituit [k] anno MDXV. Qua forma prostat quoque in citata *Tab. XV. n.* 48.

Num. 5.

i

k

Hollandiæ.

Prædicti quoque Archi-Duces iisdem in sigillis adhibuerunt scutum Hollandiæ, quo jam tum anno MCCCCXXXIV. Philippus *Bonus* Flandriæ Comes usus erat. Refert illud *Leonem coccineum in solo aureo*, qui in turri Oenipontana *num.* 51. coronatus comparet.

Num. 6.

§. IX.

Zelandiæ.

Num. 7.

Caroli V. sigillum de anno MDXV. pariter præfert Comitatus Zelandiæ insignia: *fascias* nimirum *quatuor, ex argento & cyano, undulatim fusas; caput scuti aureum, Leone coccineo* (qui symbolum Hollandicum est) *emergente impressum.* Idem scutum expressum habes in sæpius citata *Tab. XV. n.* 52.

Namurci.

Num. 8.

Ejusdem Caroli V. Cæsaris sigillum continet Marchionatus Namurcensis scutum, cui *Leo ater, corona, lingua, & falculis coccineis solo aureo inscriptus;* qui & in prædicta tabula *num.* 57. expressus est. Sed placuit Alberto Archi-Duci, Maximiliani II. Imp. filio, suis in sigillis Leoni Namurcensi jam descripto, *tæniolam*

(*h*) Idem pag. 61. a.
(*i*) Ibid. pag. 139.
(*k*) Pag. 153.

lam diagonalem auream adjungere. Hinc Marchionatus iſtius ſymbolum duplex habetur.

ZUTPHANIAM etiam CAROLUS V. ejusque filius PHILIPPUS II. in ſigillis expreſſerant : *Leone coccineo in area ſcuti argentea.* Num. 9. Prædictus vero ALBERTUS Archi-Dux, hujusmodi ſymbolum exhibuit: *ſcutum inferne cruce anchorata impreſſum; caput ſcuti Leone, pardorum more gradiente exaratum.* Hac quoque forma ſignatur in citata tabula *num.* 59. ZUTPHANIÆ.

§. X.

JAm quoque tum anno MDXVI. CAROLUS V. ſalutabatur Comes & Dominus FRISIÆ. Inde in curia Mechlinienſi circa annos ejusdem XVI. ſæculi XVII. & XVIII. adhibitum fuit ſigillum, cui impreſſum erat *Friſiæ* ſymbolum : hujus ſcutariæ teſſeræ *color cæruleus, binis Leonibus aureis, in modum pardorum gradientibus, adpictis.* Schema hujus clypei expreſſum pariter in turri Oenipontana *Tab. XV. n.* 55. ſed aliquanto diverſum. FRISIÆ. Num. 10.

Titulo denique cum inſignibus MECHLINIÆ uſi ſunt Archi-Duces noſtri jam pridem a temporibus MAXIMILIANI I. Symbolum autem CAROLUS V. anno MDXV. hocce referebat (quod in dicta tabula occurrit *num.* 60.) *Scutum aureum, triplici palo coccineo exaratum; parmula regni Germanici, medio eorum adpicta.* MECHLINIÆ. Num. 11.

Quanquam porro in his titulis Archi-Ducum, Belgio imperantium, ULTRAJECTI nulla facta ſit mentio ; tamen cum ea civitas in CAROLI V. ſe fidem commiſiſſet, filius ejus PHILIPPUS II. inſignia *Ultrajectina* in ſigilla ſuſcepit. ALBERTUS, hujusque uxor ELISABETHA, *Ultrajecti* pariter nomen & inſignia adhibuerunt. Verum in his animadvertendum eſt quoddam diſcrimen. Etenim PHILIPPUS II. veterem tantum teſſeram, ſcilicet figuram *Leonis* exhibuit. ALBERTO autem in uſu fuerunt hujusmodi inſignia : *Scutum argento & coccino in obliquum bipertitum ; argentea pars* (contra leges fecialium, ut civitatibus alias moris eſt) *aurea Divi Martini, partem chlamydis egeno impertientis imagine, exarata.* Addita hæc ſunt ob ædem, illi Divo in ea urbe ſacram. ULTRAJECTI. Num. 12.

§. XI.

PHILIPPUS MAXIMILIANI I. Imp. & MARIÆ filius, ducta in matrimonium JOANNA, Hiſpaniæ regnorum hærede, ſumma rerum potitur. Hinc nomen Auſtriacum & inſignia egregium in modum aucta, eaque ad poſteros, Germanicæ pariter ac Hiſpanicæ ſtirpis, transmiſſa. Quod vero quum diverſis in locis, diverſisque temporibus factum; proderit (ut clariorem in his exitum reperiamus) primum proferre titulum, quali Archi-Duces in Hiſpania uſi ſunt; deinde alium recentiorem, qualem CAROLUS VI. Imp. etiam in Germania adhibuit. Prior ille titulus occurrit in diplomate latino, nomine JOANNÆ Reginæ, & CAROLI ejus filii Regis edito Bruxellis anno MDXVI. (1) *Nos* JOANNA & CAROLUS *ejus* TITULI HISPANO-AUSTRIACI.

(1) Ap. Aub. MIRÆUM in notit. eccl. Belg. c. 237. p. 704.

ejus filius primogenitus Dei gratia Regina & Rex Caſtellæ, Arragonum, Legionis, utriusque Siciliæ, Jeruſalem, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galitiæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris & Inſularum Cannariæ, & etiam Inſularum Indiarum, Terræ firmæ, Maris Oceani; Archi-Duces Auſtriæ; Duces Burgundiæ & Brabantiæ; Comites Barchinonæ, Flandriæ & Tyrolis &c. Domini Biſcayæ & Molinæ &c. Duces Athenarum & Neopatriæ; Comites Roſſilionis & Ceritaniæ: Marchiones Oriſtani & Gociani &c.

Alterum titulum nobis præbet tractatus pacis Cæſarem & Imperium inter & Regem Chriſtianiſſimum concluſus Vindobonæ die XVIII. Novembris MDCCXXXVIII. *Nos* CAROLUS VI. *Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Caſtellæ, Arragonis, Legionis, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ & Indiarum, ac terræ firmæ, maris Oceani, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Würtembergæ, ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Calabriæ, Athenarum & Neopatriæ, Princeps Sueviæ, Cataloniæ & Aſturiæ, Marchio S. R. Imperii Burgoviæ, Moraviæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ & Artheſiæ, Marchio Oriſtani, Comes Goziani, Namurci, Roſſilionis, & Cerretaniæ, Dominus Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis, Biſcayæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis & Mechliniæ.* Prolixus hic titulus Auguſtiſſimo Imperatori CAROLO VI. a Cancellaria Rom. Imperii datus. Nam in reliquis curiis, ut Hungarica, Bohemica, Auſtriaca & Tranſylvaniæ brevior erat in uſu formula. Neque in ipſa Cancellaria Imperii niſi ad ſolemniores actus recitatum titulum adhibebant: in cæteris utebantur compendio. Ubi tamen, quod vidimus, tituli provinciarum Hiſpanicarum mixti ſunt cum Burgundicis & Belgicis, iisque, qui ad Hungariam & regiones Auſtriacas in Germania ſuperiore pertinent. Jam autem vetuſtiſſimos Marchionum & Ducum Auſtriæ titulos & inſignia antea expoſuimus, eorumque incrementa per acceſſiones *Burgundiæ* & *Belgii* memoravimus. Quare hujus rei nobis nunc otium relinquitur: atque de novis modo acceſſionibus titulorum & inſignium Hiſpanicorum hic locus erit diſſerendi.

§. XII.

Separatio illorum.

ANte omnia quidem rurſus notandum diſcrimen, quod factæ in titulis & uſu inſignium mutationes expoſcunt; ſæpe enim omnes, ut a nobis dictum eſt, interdum etiam pars modo titulorum in diplomatibus locum invenerunt: nonnunquam vero inſignia in ſigillis copioſa, titulo brevi; quemadmodum PHILIPPUS II. univerſam illam regionem, a montibus Pyrenæis, ad Herculis columnas usque, & a mari Mediterraneo, usque Oceanum occi-

occidentalem, cum vicinis insulis, uno *Hispaniarum* nomine possedit. Unde in sigillorum circuitu, nulla *Castellæ*, *Legionis*, *Arragoniæ*, nec quidem *Lusitaniæ* mentio facta; sed solummodo *Regis Hispaniarum*, & *utriusque Siciliæ*, quæ sunt extra Hispanias. In scuti tamen medio, reliquarum Hispaniæ provinciarum symbolis imposita fuit parmula, *Lusitaniæ* insignibus impressa. (m) E contrario sigilla dantur insignibus rara; titulis vero numerosis. At in his varietatibus, diversisque insignium in scuto Austriaco collocationibus morari haud opus est; quandoquidem istæ res pro lubitu Principum, sæpe etiam ingenio sculptoris, varias induebant facies. Id solum nobis in præsentiarum agendum: ut ex instituti nostri ratione, mera nomina, & tituli regionum, jam supra recitati, ab illis discernantur, quarum insignibus simul ac titulis Archi-Duces nostri, in Hispania regnantes, usi sunt. m

§. XIII.

AD primam classem, juxta præmissam formulam JOANNÆ & CAROLI ejus filii (postea hujus nominis V. Romanorum Imperatoris) spectantes tituli enumerantur quatuor & viginti, quorum hujusmodi est ordo: Tituli sine insignibus adhibiti.

Toleti,	*Canariæ Insulæ*,
Valentiæ,	*Terræ firmæ*,
Majoricarum,	*Maris Oceani*,
Hispalis,	*Barchinonæ*,
Sardiniæ,	*Biscayæ*,
Cordubæ,	*Molinæ*,
Corsicæ,	*Athenarum*,
Murciæ,	*Neopatriæ*,
Giennis,	*Rossilionis*,
Algarbii,	*Ceritaniæ*,
Algeziræ,	*Oristani*,
Gibraltaris,	*Gociani*.

His adjunge reliqua regionum nomina, ex formula titulorum CAROLI VI. Cæsaris: *Seviliæ*, *Calabriæ*; in titulis a CAROLO V. jam expressa: *Asturiæ*, & *Tripolis*. Nec tamen adsertum volo: has formulas adeo constantes fuisse, quin Reges Hispaniæ modo a pluribus, modo paucioribus regionibus & insulis nomen tulerint. Multo minus inficias ibo, eos pro rerum ac temporum rationibus aliquot harum regionum insignia adhibuisse. Verum eo nostra tendit sententia: quod Reges Hispaniarum, ex gente Austriaca oriundi, sola plerumque nomina prædictarum regionum ac insularum in diplomatibus, nihil autem insignium in sigillis adhibuerint. Apud VREDIUM saltem, scriptorem alias earum rerum adcuratissimum, in Austriacis sigillis nullæ horum insignium notæ reperiuntur. Quibus cæteroquin conditionibus prædicti tituli Regibus Hispaniæ acciderint, laudatus auctor plurimis demonstrat. (n) Proinde nobis supervacaneum est, res istas longius prosequi. n

§. XIV.

(m) Ita VREDIUS de sigillis Comitum Flandriæ. p. 236. (n) Ibid. p. 156. seqq.

§. XIV.

Tituli cum Insignibus.

REgna autem & provinciæ, quarum non tantum nomina adſumpſerunt; ſed inſignia etiam plerumque, in ſigillis præbuere Reges Hiſpaniæ, hoc ordine ſequuntur:

Caſtella,
Arragonia,
Portugallia,
Jeruſalem,
Granata,
Catalonia,
Legio,
Sicilia utraque,
Neapolis,
Navarra,
Indiæ.

Quoniam vero earum regionum inſignia, in ſigillis, nummis, aliisque monumentis Principum Auſtriacorum promiſcue occurrentia, jam ſupra figuris ac verbis illuſtravimus; in præſenti alio opus non eſt, niſi ut ſcuta Auguſtorum Cæſarum CAROLI V. & cognominis VI., quorum titulos ſupra recenſuimus, majoris claritatis cauſſa, nunc typis quoque excuſa præbeamus, iisque impreſſa inſignia ſecialium verbis enuntiemus.

§. XV.

Caroli V. Hiſpaniarum Infantis ſcutum.

INſignia pleraque CAROLI V. (per id tempus Hiſpaniarum Principis) quæ tum ab Auſtriacis provinciis, tum ex Belgicis ſcuto Hiſpanico adjunxit, eleganter præbet *Olivarius* VREDIUS. (o) In ſigillo, quod ſchemati noſtro ſub littera A. adpoſuimus, ab eo mutuato, ſcutum majus coronatum, ſuperne medium occupat locum, inſignibus patris PHILIPPI I. Auſtriaci conſpicuum, quod poſtea ordine ſuo explicabimus. In circuitu vero ſigilli, alternis ultro citroque ſedibus, Auſtriacarum Belgicarumque provinciarum inſignia hoc ordine collocantur: *Auſtriæ*, quam dicunt *Veteris & Recentioris*, *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Limburgi*, *Luxemburgi*, *Geldriæ* cum *Zutphania*, *Flandriæ*, *Arteſiæ*, *Burgundiæ* Comitatus, *Hannoniæ*, *Hollandiæ*, *Selandiæ*, *Namurci*, *Alſatiæ*, *Marchionatus S. R. Imperii*, *Salinarum:* in fundo *Mechliniæ*, cui aquila Imperii primum adjecta eſt a MAXIMILIANO anno MCCCCXCIV. De ſingulis porro Regum Hiſpaniarum ſcutis prolixe agit SPENERUS; (p) ut in præſenti opus non ſit his amplius inhærere.

o Lit. A.

p

§. XVI.

Caroli VI. Imp. & Regis Hiſp. inſignia. Lit. B.

ACcedimus itaque ad ſcutum CAROLI VI. Imperatoris, & ultimi ex gente Auſtriaca Hiſpaniarum Regis, in ſchemate noſtro ſub littera B. expreſſum. Religioſiſſimus is erat, uti cæteris in rebus, quæ ad Majeſtatem Auguſtæ Domus faciebant, ita in conſervandis titulis atque inſignibus. Titulos jam ſupra recitavimus. Quod vero Imperatoris concernit inſignia: illa circumdato torque aurei velleris & impoſita corona Imperatoria, a duobus grypibus ſupportantur. In umbone aureo aquilam nigram bici-

(o) De ſigillis Comitum Fland. p. 153. (p) Opus Herald. P. ſpec. cap. 38. p. 159.

bicipitem, capitibus nimbo ornatis, & exſertis linguis, ſiſtunt, cujus pectori impreſſum ſcutum, ſuper impoſito diademate. In ſcuto quadripertito primus laterculus in ſex areolas ab ſummo diviſus eſt: prima & ſecunda regni *Hungariæ* faſcias & crucem Patriarchalem ex corona prominentem repræſentant; tertia Leonem *Bohemicum*, quarta *Dalmatiæ*, quinta *Croatiæ*, & ſexta *Boſniæ* ſymbola præbent. His impoſita parmula media cum *Faſcia Auſtriaca*. Secundi ordinis laterculus quadripertitus, areas continet *Caſtiliæ*, *Legionis*, *Arragoniæ*, & utriusque *Siciliæ*; ſuper impoſita parmula honoraria, Leone *Habsburgico* inſignita. Tertia ſeries, quatuor itidem complectitur areolas: *Brabantiæ*, *Sueviæ*, Marchionatus S. R. I. *Antverpienſis*, & Leonem *Flandriæ*, impoſita in medio parmula *Burgundica*. In quarto laterculo ſimiliter quatuor comparent areæ: *Neapolis*, *Hieroſolymarum*, *Navarræ* & *Indiarum*, impoſita parmula *Cataloniæ*. In pede ſcuti viſuntur aquila *Tyrolenſis*, & boa *Mediolanenſis*. His ita ſtrictim expoſitis, ut fidem noſtram liberemus, reliqua inſignia Archi-Ducum, qui Belgis Hiſpanisve præfuerunt, fecialium quoque verbis proſequamur. Initium duco a MAXIMILIANO I. ad JOANNEM *ab Auſtria* dictum, PHILIPPI IV. Regis Hiſpan. filium, usque progreſſurus: qua in re in exordio hujus Diſſertationis laudata tabula de inſignibus gentilitiis Brabantiæ Ducum agente, utar.

§. XVII.

Inſignia MAXIMILIANI I.

MAXIMILIANI I. ſcutum deſcribitur quadripertitum. I. quadrans teſſera *Auſtriæ* novæ & veteris, ab ſummo bipertitus. II. eodem modo diviſus, novæ & veteris *Burgundiæ* ſymbolo; hoc rurſus cum *Brabantica* teſſera bipertito. III. in longum tripertitus: primus laterculus *Styriacus*; ſecundus *Carinthiacus*; tertius *Carniolenſis*; quartus *Burgundia* veteri, *Limburgo*, & *Nova Burgundia* eodem modo ſectus. Symbolis omnibus, in medio impoſitum ſcutulum, *Flandria* & *Tyroli* eadem ratione diſpertitum.

Archi-Ducis titulo decoratus, anno MCCCCLXXXII. eodem uſus eſt ſcuto. Dein Romanorum Rex creatus, ſcutum geſſit aureum cum aquila nigra, circulo in capite, roſtro, lingua & cruribus coccineis, impreſſo pectori aquilæ *Auſtriæ novæ* ſcutulo. Denique Imperator conſtitutus, prætulit in aureo ſcuto aquilam bicipitem nigram, circulis, roſtris, linguis & cruribus miniatis, cum ſcutulo jam dicto in pectore, impreſſam. Epigraphe: HALT MASZ; ſeu, ut in nummis quoque latino ſermone recurrit: TENE MENSVRAM. Symbolum: terræ globus, cruce inſignis, premens fortunæ rotam, cuſpidibus horridam, ſub qua malum punicum ſeipſo coronatum; addito lemmate ſymbolico: PER TOT DISCRIMINA RERVM.

§. XVIII.

Ejusque uxoris MARIÆ *Burgundicæ*.

MARIA BURGUNDICA, uxor MAX. I. inſigne patris habuit. Scutum quadripertitum. I. & IV. quadrans *novæ Burgundiæ* ſymbolum, II. ab ſummo bipertitus: dextera pars ſexies auro & cyano oblique dextrorſum faſciata, margine coccineo; ſiniſtra

niſtra furva, aureo Leone, lingua & falculis miniatis impreſſa. III. etiam bipertitus: pars dextera *Burgundiæ veteris;* ſiniſtra *Limburgenſi* ſymbolo exarata. In medio ſcuti Leo niger, lingua & falculis rubris, in aurea parmula. Lemma epigraph. DIEU LE DISPOSE; vel latine: DISPONIT DEVS. Symbolum: Aquila e nido, arbori inſerto, quinque pullos ad ſolis radios explorans, cum epigraphe:

JVDICE FVLVA JOVIS PHÆBO HINC NIHIL EJICIT ALES.

§. XIX.

PHILIPPI I. Regis Caſtellæ, cognomento *Pulchri.*

SCutum PHILIPPI I. Auſtriaci pariter quadripertitum. I. quadrans Auſtriæ recentioris. II. Burgundiæ recentioris. III. Burgundiæ veteris. IV. Brabantiæ. Parmula Flandrica reliquis impoſita. Rex autem Caſtellæ, Legionis & Granatæ, nec non Princeps Arragoniæ & Siciliæ conſtitutus, prætulit ſcutum quadrifariam ſectum. I. & IV. quadrans quadripertitus. I. & IV. laterculus rurſum quadripertitus, Caſtellæ & Legionis ſymbolis. II. & III. bipertitus, Arragonica & Sicula teſſera; horum quadrantum imo, inſertum triangulare ſcutulum argenteum cum punico praſino, ramo & foliolis viridibus, ſuſtentato; hiante cortice granulis coccineis. II. & III. quadrans quadripertitus. I. laterculus Auſtriæ recentioris. II. Burgundiæ novæ. III. Burgundiæ antiquæ. IV. Brabantiæ ſcutulum, Flandrico & Tyrolenſi ſymbolo bipertitum, medio quadrantis impoſitum. Symbolum: cataphractus eques haſta manu prætenta, in paleſtra paratus, ut præcurrat ad ſignum. Epigraphe: QUI VEULT; alibi quoque ſermone latino: QVI VOLET.

§. XX.

CAROLI V.

CAROLUS V. ſcutum paternum ſervavit. Imperator ſubin creatus, ſcutum geſſit Imperiale, ſcutulo ſuorum inſignium aquilæ pectori impreſſo. Symbolum: columnæ Herculeæ, utrique corona Cæſarea ſuperpoſita, & ingens lacinia argentea circumvoluta, cui inſcriptum: PLUS OULTRE; ſeu, ut in alio monumento, de quo mox infra, latine: PLVS VLTRA.

Omnium omnis ævi maximorum Regum, Ducumque terminos, quos quam latiſſime arma ſua circumtuliſſe prodidit antiquitas, Auſtriaci Imperii felicitas ac potentia longe ſupergreſſa eſt. CLEARCHUS SOLENSIS ait: Herculem, cum terram omnem habitabilem triumphis & victoriis ſuis peragraſſet, & ad finem continentis, verſus *Inſulas Fortunatas*, penetraſſet, binas ibi columnas æreas portentoſæ altitudinis erexiſſe, in quibus ſcriptum erat: *Nihil ulterius;* ut denotaret, neminem progredi ulterius potuiſſe. At vero Imp. Cæſar CAROLUS V. Aug. in Auſtrali novi orbis plaga, hoc eſt, ad polum Antarcticum, & fretum Magellanicum, aras & columnas ſuas feliciter conſtituit. Ideoque illis merito VLTERIVS; ſive, ut vulgo effertur, PLVS VLTRA adſcriptum fuit. Atque ita

Her-

Herculis & Bromii metas, Macetumque Sariſſas,
AUSTRIADUM HEROUM *potuit tranſcendere virtus.*

Alibi: columnæ Herculis, quibus utroque inſiſtit pede, aquila biceps, diademate Imperiali coronata. Epigraphe ex utraque pendens: PLUS ULTRA. Lemma circumſcriptum: TVLIT AVRIFERO ROMVLA SCEPTRA TAGO. Ejusdem ſymbolum: Columnæ Herculeæ mediis in fluctibus. Epigraphe: QVOD IN COELIS SOL, HOC IN TERRIS CÆSAR EST. Aliud ſymbolum ad obſidionem Metenſem ſpectans: Sphæra, inter duas Herculis columnas, ejusdem exuviis Leonis & clava ſpectabiles. Epigraphe:

NOMINE CÆSAREO PLENVS VTERQVE POLVS.

§. XXI.

SCutum PHILIPPI II. Hiſp. Regis etiam quadripertitum. I. quadrans *Celtiberico* & *Legionenſi* ſymbolo quadripertitus. II. *Arragonica* & *Sicula* teſſera ad perpendiculum diviſus; horum quadrantum, imo inſertum *Granatenſe* ſcutulum. III. transverſe bipertitus *Auſtria recentiori* & *Burgundia antiqua*. IV. ſimiliter ſectus *Burgundia recentiori* & *Brabantia*. In ſcuti umbilico, ſeu in III. & IV. quadrantis medio, parmula *Flandriæ* & *Tyrolis* ab ſummo bipertita. Poſt adeptam regni *Luſitaniæ* poſſeſſionem, adjecit parmulam *Luſitanicam* in ſcuti ſui ſede honoraria. Symbolum: Ad truncos duos ex lauro ignaria, fundentes mutuo attritu vaporem & flammam, ſcripſit PHILIPPUS II. lemmatis loco: DOMINVS MIHI ADJVTOR; etenim exſtincta gloria Domus Burgundicæ, viſa eſt rurſus clareſcere in familia Auſtriaca. Alibi: Hercules ſuccollans oneri Atlantis, fuit PHILIPPO II. ſymbolum, poſtquam anno MDLV. ei CAROLUS V. Cæſar & parens ceſſit regnorum ſuorum adminiſtrationem, cum epigraphe: VT QVIESCAT ATLAS. PHILIPPI II. Regis Hiſpan.

PHILIPPUS III. quoque inſignia patris geſſit. In nuptiis cum MARGARETA *Auſtriaca* anno MDXCVIII. ſymb. Anchora, corolla futuri nuptiarum ſacri, coronata. Epig. SPES FVTVRA. Ejusdem ſymb. Sphæra cœleſtis & Sphæra terreſtris. Epigraphe: ET PATRI, ET PATRIÆ. & PHILIPPI III. ejus filii.

§. XXII.

SCutum ALBERTI Archi-Ducis ſimiliter quadripertitum. I. quadrans *Hungaricus*, *Boemico* rurſum quadripertitus. II. ad perpendiculum diviſus: pars dextera *Celtiberico* & *Legionenſi* ſymbolis quadripertita: ſiniſtra *Arragonico* & *Siculo* bipertita; imo quadrantis inſertum *Granatenſe* ſcutulum. In medio quadrantis parmula *Luſitanica*. III. *Auſtriæ recentioris*, cum *Burgundia* veteri. IV. *Burgundiæ recentioris*, *Brabantia* ſuſtentatæ. In ſcuti umbilico, parmula *Flandriæ* & *Tyrolis* in longum bipertita. Symbolum: brachium e nube protenſum, gladium oliva redimitum, gerens. Epigraphe: PVLCHRVM CLARESCERE VTROQVE. ALBERTI Archi-Ducis Auſtriæ.

Aliud ſymbolum pinxit Archi-Dux, anno MDXCVIII. Jaſonem, in ejus manu vellus aureum; aderant ſub altero ejus pede, cuſtos velleris ſerpens draco, ac pone etiam ſpirantes ignem tauri, cum hac epigraphe: ASSIDVITATE; ac ſpes eo ſymbolo fiebat conatus alicujus heroici, ex æmulatione Jaſonis, qui cum Argonautis in Colchidem navigavit. Tertium ſymbolum: Archi-Dux ALBERTUS *Cardinalis*, gubernator Belgii, *Caleto*, *Ardea* & *Hulſto* a ſe interceptis anno MDXCVI. tres has pinxit urbes, quas coronabat, hac epigraphe: VENI, VIDI, VICIT DEVS. Quartum denique: Ara cilindrica cum foco, ad cujus umbilicum aquila biceps, ad pedem dextrorſum minervæ clypeus, ad levam Alcydis clava; hanc ſuperne ſol, illum luna condecorant. Epigraphe: ALTERIVS VTERQVE TESTIS.

item ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, ALBERTI Archi-Ducis Viduæ.

Scutum paternum Regis PHILIPPI II. adhibuit ISABELLA facta vidua, junctis mariti defuncti inſignibus. Lemma epigraph. ITER PARA TVTVM. Scutum illud ab ſummo bipertitum. Dexter laterculus inſigne Archi-Ducis ALBERTI conjugis. II. Scutum regis PHILIPPI II. patris.

§. XXIII.

PHILIPPI IV. Reg. Hiſp.

PHILIPPUS IV. Rex Hiſp. prætulit inſigne parentis PHILIPPI III. Symbolum: terrarum orbis diademate regio cinctus, ſuperne præferens arma gentilitia Domus Auſtriacæ, inter ſolem & lunam. Epigraphe: CVM SOLE ET ASTRIS.

& CAROLI II. Reg. Hiſpan. ejusdem filii.

CAROLUS II. rurſus inſigne PHILIPPI IV. patris retinuit. Symbolum: Phœnix e paternis cineribus reſurgens, oculis ad ſolem intentis, cum epigraphe: RENASCITVR. Nummus hic cuſus fuit Bruxellis, & in populum ſparſus, ipſo inaugurationis die. Aliud ſymbolum: Fama volans, quatuor expoſita ventis, in hæc verba tubam inflans: CLARA VBIQVE. Aliud: ISABELLA viduitatis amictu, in nubibus, quas pedibus premit, orbi, Zodiaci ſignis ornato, inſidens, oculos in eam intendente aquila, hoc lemmate: ÆTERNITATI AVGVSTÆ.

§. XXIV.

Scutum MARGARETÆ Auſtriacæ, Ducis *Sabaudiæ*.

PRoſequimur hic ordinem, quem ſuperius adducta tabula de inſignibus & ſymbolis Ducum Belgarum, ac Burgundionum nobis ſubminiſtrat; quamquam in ea ſeries gubernatorum exacta aut continua, eorundem ducatuum ac ditionum, haud obſervetur: ſed illam apud ſcriptores Belgas paſſim reperies. Deſcriptio itaque inſignium Auſtriacorum ibidem ſparſim inſerta ſic continuat: MARGARETÆ Auſtriacæ Ducis *Sabaudiæ* ſcutum ab ſummo bipertitum eſt. Dexter laterculus *Sabaudicus*. Sinister, inſigne Archi-Ducis MAXIMILIANI patris, antequam crearetur Imperator. Symbolum: Floſculus Belidis, Gallice *Marguerite*. Epigraphe: FORTUNE INFORTUNE, FORTUNE. *Fortuna infortunata, fortunat.*

item MARIÆ Auſtriacæ, Regis Hungar. & Bohem. Viduæ.

Scutum MARIÆ Auſtriacæ Regis Hungariæ & Bohemiæ Viduæ ab ſummo bipertitum. Dexter laterculus, quadratim diſpertitus. I. & IV. quadrans *Hungaricus*. II. & III. *Bohemicus*; in me-

medio, ſcutulum *Auſtria recentiori & antiqua Burgundia*, recta linea diviſum. Siniſter, inſigne Regis PHILIPPI I. patris.

MARGARETÆ, filiæ CAROLI V. ac Ducis Parmæ uxoris ſcutum pariter ab ſummo bipertitum. Dexter laterculus, parma trifariam ad perpendiculum diviſa, impreſſus. Palus medius coccineus, Pontificio vexillo aureo ac duabus clavibus decuſſatis, dextera aurea, ſiniſtra argentea, argento colligatis, exaratus. Alii duo pali aurei, tribus liliis cæruleis, recta linea diſpoſitis impreſſis; ambo ſimul ſymbolum Farneſianum conſtituentes. II. Laterculus, ſcuto paterno regio CAROLI V., ante Imperatoriam Majeſtatem impreſſus. Symb. Pugil trabeatus, cujus caput lauro redimitum. Dextera prætentans gladium, ſiniſtra, junctum olivæ ramum palmæ. Ad latus, mare ventis undique conſpirantibus, undisque tumeſcentibus ferociens. Epigraphe: A DOMINO FACTVM EST ISTVD. Aliud ſymbolum: Chelis fidibus ac plectro inſtructa. Epigraphe: VERSA EST IN LACRYMAS. &Margaretæ fil. Caroli V. ux. Ducis *Parmenſis.*

§. XXV.

JOANNES ab Auſtria CAROLI V. filius ſcutum ferebat, recta linea bipertitum: pars dextera transverſe ſecta, ſummum *Celtibericum*, imum *Legionenſe*; pars ſiniſtra *Arragonica*, ſymbolo *Siculo* ad perpendiculum diviſa. Medio ſcuti impreſſum ſcutulum, *Auſtria nova & antiqua Burgundia* ab ſummo bipertitum. Symb. Fortuna velum utraque manu ventis obtendens, altero pede premens globum, altero in aërem elevato, hoc addito lemmate: AVDACES JVVAT. Aliud ſymbolum: Neptunus furente Oceano, Delphino inſiſtens, tridente JOANNIS *Auſtriaci* inſignibus munito, Turcam, inter fluctuantes undas hoſtilia volventes corpora, configens, diſſipatis fractisque undique triremibus; Tunis, nomine ſimul & clade conſpicua, longinquum mare terminat. Epigraphe: VENI, ET VICI. Inſignia JOANNIS Auſtriaci, CAROLI V. filii.

Poſt Turcas ad Naupactum navali prælio victos. Symb. Victoria coronans Imperatorem, columnæ inſiſtentem, ad cujus pedem jacent arma Turcica; cui oppoſitum mare, navibus ordinate inſtructis, opertum. Epigraphe: CLASSE TVRCARVM AD NAVPACTVM DELETA.

§. XXVI.

SCutum ERNESTI Archi-Ducis transverſe tertiatum. Summum *Hungaria* & *Bohemia* ad perpendiculum diviſum. Medium in partes quatuor ab ſummo diſpertitum. I. *Celtiberica.* II. *Legionenſis.* III. Praſina cum grypho, absque alis argenteo, ſcintillas ex ore, naribus, & auribus vibrante, *Styriaca.* IV. Rurſum bipertita, dexter laterculus *Auſtriacus hodiernus*, ſiniſter aureus, tribus pardis furvis impreſſus: ambo ſimul juncti pro ſymbolo *Carinthiaco.* Pes ſcuti diviſus ad perpendiculum. Pars dextera in ſcutula duo bipertita. I. *Arragonicum*, II. *Siculum*, cum inſita *Granatenſi* parmula. Pars ſiniſtra rurſus in bina ſcutula diviſa. I. Argenteum cum aquila cærulea, corona, roſtro & cruribus coccineis, impreſſa pectori luna cornuta, teſſellarum argenti & minii ductu ERNESTI Archid. Auſtriæ ſcutum.

gemino alveolata. II. Argenteum cum aquila coccinea, corona roſtro & cruribus aureis, impreſſa pectori lunula foliata aurea. Ambo ſcutula, inſita parmulæ aureæ, cum leone coccineo, corona, lingua & falculis cyaneis. Imo ſcuti majoris, inſertum triangulare ſcutulum cæruleum, avibus quinque aureis impreſſum. In ejusdem ſcuti majoris ſede honoraria impreſſum ſcutulum, *Auſtria nova*, & *Burgundia antiqua*, ab ſummo diſpertitum. Symbolum: Pileus Archi-Ducalis laurum inter & olivam, ſibi invicem decuſſim junctas. Epigraphe: SOLI DEO GLORIA.

§. XXVII.

item ANDREÆ ab Auſtria,

ANDREAS Cardinalis adſumpſit ſcutum jam expoſitum Archi-Ducis ERNESTI. Symbolum vero, monaſterium vallis & propugnaculis munitum. Epigraphe: MVNIMENTVM S. ANDREÆ.

& FERDINANDI Inf. Hiſp. Cardinalium,

Tenuit FERDINANDUS Infans Hiſpan. Cardinalis ſcutum paternum regium, PHILIPPI IV. Symbolum: Sol terras & maria colluſtrans. Epigraphe: IN COMMVNE BONVS.

nec non LEOPOLDI GUILIELMI Arch. Auſtr. Epiſc.

Caput ſcutarium LEOPOLDI GUILIELMI Archi-Ducis Auſtriæ erat *Hungaria* & *Bohemia* ab ſummo bipertitum. Reliquum ſcuti quadratim diſciſſum. I. quadrans rurſum quadripertitus. I. laterculus *Celtibericus*. II. *Legionenſis*. III. *Nellenburgicus*. IV. *Sueviclus*. II. etiam quadripertitus. I. *Arragonicus*. II. *Siculus*. III. *Burgavienſis*. IV. *Habsburgicus*. III. in bina ſcuta partitus: I. *Tyrolenſe*. II. *Pherretanum*; ambo inſerta alio ſcutulo, *Alſatiæ*. IV. in ſcuta duo diviſus. I. *Kyburgenſe*. II. *Goriciæ*; ambo inſerta alio ſcutulo ab ſummo diviſo, *Auſtriæ ſuperioris*. Scuti majoris imum, ab ſummo tripertitum. I. palus aureus, pileo cardinalitio nigro, ora minio prætexta, loris concoloribus, impreſſus. II. quadripertitus. I. & III. quadrans cæruleus, tribus ſtellis aureis ſex radiorum impreſſus; II. & IV. argenteus duplici faſcia transverſa miniata exaratus, *Cileiæ* III. coccineus, argento transverſe faſciatus, *Portenaviæ*. Omnibus ſymbolis, in ſede honoraria, impoſitum ſcutulum aureum, cum aquila erumpente nigra, *Imperiale*; pectori impreſſo ſcutulo coccineo, argentea Zona exarato, *Auſtriæ novæ*.

Symbolum LEOPOLDI GUILIELMI Archid. Auſtr. Crux Ordinis Teutonici, e cujus brachio dextero dependet frenum; providens oculus, exornat lævum; leoni ad pedem currenti, agnus adſtat, decuſſata lauro cingente medium. Epigraphe: TIMORE DOMINI.

§. XXVIII.

JOANNIS ab Auſtria, PHILIPPI IV. filii.

TAndem & JOANNES, PHILIPPI IV. filius inſigne paternum tenuit. Symbolum: Remonſtrantia Venerabilis Euchariſtiæ, tribus Hoſtiis, judæorum ſacrilegio, vulneribus ac ſanguine conſpicuis, Bruxellis adſervatæ in æde D. Michaëlis & Gudulæ, vulgo: SACRAMENTUM MIRACULOSUM. Epigraphe: MIRACVLOSO FESTO ADORA. Cuſum eſt hoc ſymbolo ſignatum numiſma triumphale, cæſis ad Valencenas hoſtibus. Gubernacula Belgii ac Burgundiæ adiit JOANNES, IV. Non. Maji 1657. & menſe Martio anni 1659. in Hiſpaniam rediit.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

INSIGNIA PRINCIPUM AUSTRIÆ, ORDINIS ECCLESIASTICI.

ACCEDUNT

INSIGNIA ORDINUM EQUESTRIUM,

QUOS

AUSTRIACI PRINCIPES

VEL INSTITUERUNT,

VEL

ADSUMPTIS ILLORUM SIGNIS DECORARUNT,

VEL

AB ALIIS INSTITUTOS EJUSMODI ORDINES SUA AUCTORITATE COMPROBARUNT.

§. I.

De titulis & insignibus Principum Austriæ, Ordinis Ecclesiastici, generatim.

Austriacæ Domus claritas & amplitudo tanta fere in historia sacra, quanta est in profana. Quot enim Episcoporum sedes, quot templa, quot monasteria condiderunt Archi - Duces nostri? Quot Marchionum, Ducum, & Archi-Ducum ex utroque sexu, rebus mortalibus valere jussis, DEO se in sacra familia devoventes, virtutis ac pietatis studio eam sibi gloriam compararunt, ut æternum illis maneat in monumentis sacris nomen & gloria? Alii in Senatum Pontificium adlecti; alii Præsules in sedibus sacris conspicui; alii monasteriis & præfecturis sacris præfuerunt; nonnulli ordinis Teutonici Magistratum gesserunt; quidam inter sacri ordinis homines nomen professi, missis rebus humanis in monasteria sese abdiderunt. (a) In his pars tantum titulos dignitatis Ecclesiasticæ, alii præterea etiam insignia Ecclesiarum & ordinis susceperunt. Reliqui satis habebant, pro more temporum, sigilla & titulos adhibere, partim cum, partim sine stirpis & originis Austriacæ commemoratione. Itaque in tractando hoc argumento ordinem dignitatum Ecclesiasticarum observare non licet: ac longius a proposito abiret eorum omnium recitatio insignium & titulorum, quibus usi sunt singuli ex gente Austriaca Principes, qui religiosæ familiæ se addixerunt. Mihi quidem satis est, seriem chronologicam eousque sequi, quo me monumentorum copia duxerit. Cæterum in censum hunc quoque veniunt Insignia Ecclesiastica, quæ Archi-Duces ex stirpe virili, avito nominum splendori adjunxerunt. Atque horum duo sunt genera: alia enim originem ducunt ab Ecclesiis, aut sedibus Episcoporum: alia referuntur ad ordines Equestres,

(a) Vid. CZERWENCKA de pietate Habsb. Aust. & SCHOENLEB. Ann. sanct.

ſtres, quos Auſtriæ Principes aut conſtituerunt, aut geſtatis inſignibus celebrarunt, vel ab aliis inſtitutos ejusmodi ordines ſua auctoritate comprobarunt. De prioribus illis nunc dicam; poſtea ad ordines illos Equeſtres transgrediar.

§. II.

Principes Ordinis Eccleſiaſtici ex gente Babenbergica oriundi.

MArchionum & Ducum Auſtriæ ex ſtirpe Babenbergica præcipue tres ſunt in ordine Eccleſiaſtico conſpicui: nimirum Poppo, Leopoldi *Illuſtris*, Marchionis Auſtriæ, filius, Archi-Epiſcopus Trevirenſis; Conradus Juvavienſis, ſeu Salisburgenſis Archi-Epiſc. & Otto Epiſc. Friſingenſis, ambo S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filii. His quidem adnumerari poſſet Christina, prædicti Popponis Archi-Epiſc. ſoror, quæ inter ſacras Virgines vixit Treviris; itemque Leopoldus Dux Auſtriæ, cognomento *Virtuoſus*; quippe qui in Styria equo delapſus, in monaſterium S. Crucis ſe abdere in votis habuit; quod & re ipſa
b factum nonnulli apud Clar. Hanthalerum (b) adfirmant; denique & Margaretha Leopoldi *Glorioſi* filia, quæ vidua poſt obitum primi mariti, Treviris parthenonem ſacrum Prædicatorii Ordinis ingreſſa perhibetur: verum hi tres nos jam non morantur. Christina enim Leopoldi *Illuſtris* filia & Popponis ſoror, niſi a temporum uſu diſceſſerit, titulos profecto non adhibuit, neque inſignia. De ſigillis Leopoldi *Virtuoſi*, & Margarithæ
c jam antea diximus. (c)

§. III.

Poppo Archi-Epiſc. Trevir.

QUod ad Archi-Epiſc. Popponem attinet; hujus Browerus in Annalibus Trevirenſibus ſigilla nulla attulit; nec mihi usquam accidit, eorum quidquam in tabulariis invenire. Reperi quidem ejus nummum, cujus delineationem Tomo ſequenti, ubi de nummis Auſtriacorum ex inſtituto agemus, in lucem proferam. Cæterum ſi maxime Popponi ſigillum aliquod in uſu fuerit, idque demonſtrari poſſet; certum tamen eſt, nulla in eo inſignia gentilitia viſum iri: uti nec prædictus nummus quidquam eorum continet. Quod porro Mabillonius noſter de ſigillis Ec-
d e cleſiaſticorum docuit, (d) non tantum ab Heineccio, (e) ſed etiam a pluribus viris eruditis ſtabilitum fuit: „ Quod non ſolum „ Romanorum Pontifices, ſed etiam Epiſcopi ab antiquis retro „ temporibus, ſigillis uſi ſint, non tamen omnes, neque ſemper. „ Primum quidem ſigillis quidvis ex arbitrio imprimebant: deinde „ vero nomen proprium, propriæque civitatis; tum ſanctæ Ec„ cleſiæ ſuæ Patroni; poſtea ſuam ipſorum imaginem; ad extre„ mum gentilitia ſuæ ſtirpis inſignia. Unde id quod modo adſeruimus, confirmatur: Archi-Epiſcopis ineunte ſæculo XII. eodemque florente, aut nullum prorſus fuiſſe ſigillum, aut ſaltem in eo nulla adhibita eſſe inſignia gentilitia. Titulorum quoque ratio in illa ætate ab hodierno *ſtylo*, ut vocant, *curiæ* longe diſtabat.

Viri

(b) In faſt. Campilil. T. I. p. 483.
(c) Diſſert. I. de ſigill. §. V. & VIII.
(d) De re Diplom. l. 2. c. 5. n. 19.
(e) De ſigillis P. I. c. 13. p. 151.

Viri enim in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, a ſtirpe nomen non ferebant, multo minus ab Eccleſiarum ſuarum prædiis. Tituli, quem POPPO in epiſtola ad BENEDICTUM Pontificem adhibuit, ſimpliciſſima & humillima hæc erat formula: (f) POPPO LICET INDIGNUS, DIVINA TAMEN LARGIENTE CLEMENTIA S. TREVIRENSIS ECCLESIÆ MINISTER. f

§. IV.

AMbo illi fratres CONRADUS & OTTO, filii S. LEOPOLDI Marchionis Auſtriæ, quorum prior Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, alter Epiſcopus Friſingenſis fuit, nominum titulos, pariter ac ſigilla ad ætatis ſuæ modum accommodarunt. Et enim ſub medium ſæculum Chriſti XIII. non prius, Præſules Eccleſiarum, more nobilium, inſignia ſua gentilitia contra poſitis ſigillis imprimere cœperunt; ut bene advertit Clar. MABILLONIUS. (g) Unde nec prædicto Archi-Epiſcopo, nec Epiſcopo tituli regionum & ſymbola Auſtriaca in uſu fuerunt. OTTONIS quidem nullum ad meas manus ſigillum pervenit. Tamen dubium non eſt, quin exemplum CONRADI fratris ſui ſecutus ſit. Nec difficilis eſt tituli ab eo uſurpati conjectura; ſiquidem in libris chronicis & epiſtolis ſuis hujusmodi fert nomen: OTTO DEI GRATIA FRISINGENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS. CONRADUS Archi-Epiſcopus Salisburgenſis & OTTO Epiſc. Friſingenſis. g

Sigillum autem CONRADI Archi-Epiſcopi, cujus mihi ex celeberrima Abbatia Admontenſi facta eſt copia, delineandum curabo, cum de diademate Principum Auſtriæ tractationem habebimus. (h) Cereum id eſt, formæ rotundæ, effigiem exhibens Archi-Epiſcopi, cathedræ inſidentis, dextera pedum paſtorale, ſiniſtra librum apertum tenentis, cum hac perigraphe: CHUNRADUS DEI GRATIA ARCHI-EPISCOPUS SALIZBURGENSIS. Nullius autem adparet ſignum ſymboli gentilitii. Quare illi, qui ſcuto CONRADI quinque aves adjungunt, nihil niſi nugas agunt. Atque hæc conſuetudo, ſine ulla titulorum & inſignium pompa, litteras publicas expediundi, ut apud cæteros per Germaniam Præſules, ita Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus quam diutiſſime remanſit. Defuncto enim CONRADO anno MCLXVIII. IV. Cal. Octob. (i) ſuccedentes Archi-Epiſcopi in veteri ſtylo atque modo perſeverarunt. Nam etiam CONRADUS hujus nominis IV. *de Praitenfurt & Fonſtorff* Archi-Epiſc. Salisburgenſis, anno etiam tum MCCXCI. ſine inſignibus gentilitiis ſigillum adhibuit, cujus formam *Raymundus* DUELLIUS depictam præbet. (k) h i k

§. V.

JAm quod Viros Principes ex ſtirpe Habsburgica oriundos concernit: ea cura ſupremum numen omnem gentis hujus ſobolem rebus humanis accommodavit, ut a primis in Auſtria regnandi auſpiciis, vix ullus ex ſtirpe virili maturius, quam poſt duo Viri, ſacrum ordinem profeſſi, ex familia Habsburgo-Auſtriaca.

(f) BROWERI Annal. Trev. ad an. 1042. T. I. p. 519.
(g) Loco cit. Lib. 2. c. 15. n. 2. p. 133.
(h) Diſſert. VII. §. IX. Tab. XX. n. 33.
(i) MEZGERI hiſtor. Salisb. L. 4. c. 17.
(k) Excerpt. genealog. L. 2. P. 2. p. 177.

duo demum ſæcula, in religioſam ſe familiam dicaverit. Enimvero usque a RUDOLPHO I. ad MAXIMILIANUM I. nullus memoratur, ordinem ſacrum cum ſtabilitate profeſſus: unum ſi JOANNEM *parricidam* (qui ob commiſſam in patruum ſuum cædem, in monaſterium, ut ferunt, redactus) exceperis; cui paucæ e ſexu ſequiore adnumerari poſſunt. Quam latiſſime enim ſtirpem propagare, ac florem gentis ſpargere viſum erat. Qua profecto re & ſacris, & orbi Chriſtiano univerſo melius conſultum, quam ſi per id temporis quisquam e florente familia ſterilem in monaſterio vitam egiſſet. Hinc quippe & cætibus familiisque ſacris auctores, advocati, protectoresque nati fuerunt, & orbi Chriſtiano tot Reges, Imperatores, ac fidei defenſores creverunt.

§. VI.

GEORGIUS *ab Auſtria* S. R. E. Cardinalis.

AT vero ut procedam in Annalibus Auſtriacis: primus (ſi illos demas ex Equeſtri ordine, de quibus infra §. XVII. & ſeq. dicemus) ordinem ſacrum ingreſſus reperitur GEORGIUS *ab Auſtria*, MAXIMILIANI I. Imp. filius nothus, qui factus Epiſcopus Brixienſis & Leodienſis, tum S. R. E. Cardinalis, demum die IV. Maji MDLV. mortuus fertur. Hunc GEORGIUM quidam ſcriptores promiſcue habent cum alio ejusdem nominis,
1 eoque, ut accepimus, MAXIMILIANI I. nepote, (l) qui anno MDXCVIII. ad Præfecturam ſacram S. Petri vocatus fuit, atque inde factus Præpoſitus ad S. Salvatoris Harlebeckii. Verum cum ex ejus epitaphio pateat, obitum accidiſſe anno demum MDCXIX. die XX. Aprilis; hunc potius nepotem MAXIMILIANI II. ac nothum RUDOLPHI II. exiſtimo. Alii auctores etiam MAXIMILIANO I. Cardinalem LANGIUM pro filio notho adſcribunt; id quod
m *Marcus* HANSIZIUS inter fabulas reponit. (m) Sed nihil juvat de nothis ſermonem conſumere; quippe qui ne quidem titulo DUCIS *Auſtriæ* gaudebant: pauci ſe *ab Auſtria* nominabant. Idem obtinebat in ſtirpe Hiſpanica, ex qua celebris fuit JOANNES *ab Auſtria*, PHILIPPI IV. filius nothus, qui magnus Prior Ordinis Melitenſis per Caſtiliam fuit. Itaque apud illegitimos ejusmodi filios inſignium Auſtriacorum incrementa labore quæruntur fruſtraneo; cum iidem ipſis etiam Auſtriæ ſymbolis ut plurimum deſtituantur.

§. VII.

ANDREAS *ab Auſtria* Cardinalis.

ANDREAS *ab Auſtria*, Archi-Ducis FERDINANDI Tyrolenſis filius, legitimo, ſed impari matrimonio PHILIPPINÆ *Welſeriæ* natus, ab anno MDLXXXIX. Conſtantienſis Epiſcopus ad annum usque MDC. Cum in Collegium Purpuratorum adlectus eſſet, galerum in ſcuto ferebat. Præter parmulam vero bipertitam, ex ſymbolo Auſtriaco & leone Habsburgico, non alias in inſignibus adhibuit Auſtriaci nominis, teſſeras, quam *Burgoviæ*, *Hohenbergiæ*, *Nellenburgi*, & *Veldkirchii*; uti jam Diſſ. IV. §. XXVI. id obſervavimus.

Nec

(l) Theatre ſacre de Brabant L. 2. p. 93. (m) Germ. Sac. T. II. p. 584.

Scuta Archiducum Auſt. Ordinis Eccleſiaſtici. Tab. XVIII.

Maximi[illegible]liani III.

a.

Alberti Card.



b.

Leopoldi Epis.



c.

Caroli Poſthumi.



d.



e.

Ferdinandi V. Card.

f.

Symbola Eccleſiarum, quæ ab Archiducibus Auſtriæ recepta ſunt.

Argentinenſis. Auguſtanæ. Brixienſis. Conſtantienſis. Curcenſis. Halberſtadienſis.

I II III IV V VI

Leodienſis. Luderenſis. Magdeburgenſis. Murbacēſis Abb. Olomucenſis. Paſſavienſis.

VII VIII IX X XI XII

Tridentinæ.

XIII

Wratiſlavienſis.

XIV

Inſignia Ordinum Equeſt. quatenus res Auſtriæ attingunt.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Maximiliani I. teſſeræ in ſtragulis et reliquo ornatu.

11. 12. 13.

S.

 Sal. Kleiner fecit

Nec alium morem ſecutus eſt frater ejus CAROLUS *ab Auſtria* Marchio Burgoviæ. Utriusque inſignia conſpectui præbent monumenta ſepulcralia. ANDREÆ mauſoleum Romæ viſitur; ſepulcrum autem CAROLI, Gynzburgi in Suevia. Utrumque ſuo loco delineabimus. Et quoniam de inſignibus dicti CAROLI exponere nobis quoque propoſitum eſt; eaque, ut diximus, cum ſint iis, quæ adhibuit ANDREAS frater ejus, ſimillima; eas res nunc mittimus, ne operam ludamus.

§. VIII.

AST MAXIMILIANI III. Archi-Ducis, qui filius erat MAXIMILIANI II. Imp. & Magiſter Ordinis Teutonici, diverſi ſuperant nummi & inſignia. (n) Hoc loco atque in adjecta Tabula ſub littera A. eorum dumtaxat exhibemus inſignium exemplar, quæ ſigno argenteo S. LEOPOLDI, quod in cuſtodiam Clauſtri-Neoburgi dono dedit, adponi curavit. Inſignia hæc in quatuor quadrantes diſtributa: tænias *Hungaricas*, leonem *Bohemicum*, ſymbola *Auſtriaco-Burgundica*, & aquilam *Tyrolenſem* junctam leoni *Habsburgico* complectuntur; ſuperimpoſita teſſera *Ordinis Teutonici*, ac *Supremi* ejus *Magiſtri* ſymbolo: crux nimirum aurea, quatuor liliis ejusdem metalli ornata, cujus ſcutulum medium aquilam nigram in area aurea expanſam refert. Una hæc ſunt Ordinis Teutonici ſigna, in inſignibus Archi-Ducis noſtri notanda. Cæterum ex uſu conſueto, modo plura, modo pauciora hæreditariarum provinciarum nomina & ſymbola pro lubitu uſurpavit. Plerumque tamen titulo Archi-Ducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ, eum adjungebat, quem anno MDXCV. ſuſceperat: ſcilicet, MAGISTERII BORUSSIÆ ADMINISTRATOR: aut, ut in nummis: ORDINIS TEUTONICI PER GERMANIAM ET ITALIAM MAGISTER. Reliqua inſignia hujus ordinis, gladium, chlamydem crucis ſigno ornatam, cætera cum aliis Archi-Ducibus hujus monumentis conjuncta alibi conſiderabimus; maxime cum de imaginibus, & ſepulcro ejus dicetur.

MAXIMILIANUS Ord. Teutonici Magiſter.

(n) Lit. A. TAB. XVIII.

§. IX.

ALBERTUS Archi-Dux prædicti MAXIMILIANI III. frater, ac CAROLI V. nepos, Eccleſiaſticam primo vitam amplexus, & anno MDLXXVII. a Pontifice GREGORIO XIII. Cardinalis creatus, titulo S. Crucis in Hieruſalem. Chriſti anno MDXCIII. Archi-Epiſcopus Toletanus & Hiſpaniæ Primas evaſit. Succeſſit poſtea fratri ERNESTO in adminiſtratione Belgii. Tandem vero ad conjugium animum adjiciens, ISABELLAM, PHILIPPI II. Hiſpaniæ Regis filiam duxit. Jam dudum demonſtravit Clar. VREDIUS, (o) quibus Archi-Dux ille inſignibus in Belgio uſus ſit, & quibus deinde cum purpuratus eſſet, iterumque cum duxiſſet ISABELLAM. ALBERTI hujus inſignia eadem fuerunt,

ALBERTUS Archi-Dux, Cardinalis.

(o)

(n) Vid. SPENERI Op. Herald. P. ſpec. p. 58. Adde *Jacobi a* MELLEN. ſyll. num. unciarium pag. 164.

(o) De ſigill. com. Fland. p. 273. ſeq.

quæ patris ejus MAXIMILIANI II. Imp. Ea ſic deſcribit CHIFFLETIUS: *Scutum Hungarico & Bohemico ſymbolo quatripertitum, in medio quadrantum, parma Philippi Regis, avi ſui.* Roma mihi miſſum fuit exemplar inſignium hujus Cardinalis, qualia in baſilica *S. Crucis in Hieruſalem* gypſo efficta. Atque ea ibi ſpectantur in ſacello S. Helenæ, quod ipſe *inſtaurandum elegantibusque picturis undequaque exornandum* curavit *MDXCIII.* ſimul inſcriptiones adſunt, quas deinde inter reliquas ſeparata collectione dabimus. In præſenti autem, ad litteram B. inſignium modo ſiſtimus exemplar, quod in aquila bicipiti ſcutum exhibet, a nobis paullo antea deſcriptum. Parmula media nihil inſignium Hiſpaniæ continet, diviſa modo in Auſtriæ & Burgundiæ teſſeras. Loco pilei Archi-Ducalis, ſuperpoſita eſt corona, cui imminet galerus Cardinalium.

Lit. B.

§. X.

LEOPOLDUS Archid. Epiſcopus.

LEOPOLDUS, FERDINANDI II. Imp. frater parentem habuit CAROLUM, Imp. FERDINANDI I. filium. Vitæ Eccleſiaſticæ primo ſe mancipavit, honoribusque ſacris cumulatus, Epiſcopatus Paſſavienſem & Argentinenſem, nec non Abbatias Murbacenſem atque Luderenſem obtinuit: ſed anno MDCXXVI. Epiſcopatibus ſuis nuntium remiſit; qui tum fratrueli ipſius LEOPOLDO WILHELMO collati ſunt. Is vero profanum induit habitum, & CLAUDIAM *Mediceam* ſibi uxorem elegit. Ex nummis uncialibus *Jacobus a* MELLEN inſignia ejus profert, (p) quæ cum in ſacro, tum in profano ſtatu adhibuit. Addo ego, quod tempore, quo Eccleſiaſticis etiamnum adſcriptus erat, in nummis ſuis habitu ſacro & nudo capite adparuerit, atque inſignia ſuarum Eccleſiarum, in ſejunctis parmulis, ad ſymbola Auſtriaca adjunxerit; nullos tamen in nummis, ex ordine ſacro, titulos gerens. Anno MDCXX. hujusmodi ferebat inſignia, in Tabula ad litteram C. reperiunda: in clypeo majore quadripartito continebantur nota Archi-Ducibus ſymbola *Hungariæ, Bohemiæ, Auſtriæ, Burgundiæ, Tyrolis, Habsburgi, Pherretis,* & *Alſatiæ Landgraviatus.* Ille quatuor parmulis minoribus ſtipatus eſt, quæ mitris lituisque ſeu pedis Epiſcopalibus ornantur. Harum prima, ut MELLENIUS advertit, quæ dextero clypei majoris lateri adhæret, transverſim ſecta, parte ſuperiore baltheum diagonalem planum *Epiſcopatus Argentinenſis*, inferiore prætextatum ſive reticulatum *Landgraviatus Alſatiæ inferioris* oſtendit. Secunda parmula ſiniſtrum ſcuti gentilitii latus occupans, lupum excoriatum continet, qui *Epiſcopatum Paſſavienſem* deſignat. Parmula tertia, quæ una cum quarta ſub majore ſcuto viſitur, habet canem venaticum *Abbatiæ Murbacenſis:* & huic vicina ultima parmula, manum porrectis digitis jurantem, *Abbatiæ Luderenſis* ſymbolum complectitur.

p

Lit. C.

§. XI.

(p) Loco cit. pag. 176. ſeq.

§. XI.

CAROLUS, FERDINANDI II. Imp. frater, qui poſt CAROLI parentis mortem natus, & inde vulgo *Poſthumus* adpellari conſuevit, cælibem vitam agens, dignitatibus Eccleſiaſticis gaviſus eſt. Hinc Epiſcopum *Brixienſem* & *Wratislavienſem* in ſuis ſe nummis ſcripſit: (q) MAXIMILIANO III. conſobrino ſuo dein in ſupremi Ordinis Teutonici magiſterio ſucceſſit anno MDCXVIII. Tandem in Hiſpanorum regia die XXVII. anno MDCXXIV. vitam cum morte commutavit. Cum factus eſſet Ordinis Teutonici Magiſter, eadem ferebat, ac MAXIMILIANUS III. inſignia, quæ jam ſupra §. VIII. addito exemplari expoſuimus. Antea vero dum adhuc in ſede Epiſcopi eſſet, ſcuto ſuo ſymbola regionum Auſtriacarum indidit, & ad utrumque clypei majoris latus duo ſcutula minora adjecit, mitra & pedo Epiſcopali ornata; quorum alterum ad dexteram conſpicuum, Epiſcopatum *Brixienſem* deſignat; alterum vero ad ſiniſtram comparens, Epiſcopatum *Wratislavienſem* indicat. Utrumque nos in ſchemate ſub littera D. conſpectui ſiſtimus. Reliqua inſignia Auſtriaca, quibus ſimul uſus eſt, repetere ſupervacaneum exiſtimo. Satis eſt commemorare, quot & quas teſſeras provinciarum hæreditariarum Auſtriæ exhibuerit in nummo ſuo cuſo anno MDCXIV. ſcilicet tænias *Hungaricas*, leonem *Bohemicum*, ſymbolum *Caſtellanum*, *Legionenſe*, *Arragonicum*, & *Siculum*; teſſeras *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Goritiæ*; inſignia *Burgoviæ*, *Wirtbembergiæ*, *Alſatiæ* & *Kyburgi*, *Pherreti*, *Auſtriæ ſuperioris*, *Auſtriæ* ſic dictæ *veteris*, *Marchiæ Vindorum*, & *Cilejæ*; icones denique *Auſtriæ novæ*, *Burgundiæ*, *Tyrolis*, & *Habsburgi*. Præterea apud Doctiſſ. VREDIUM (r) hujus Archi-Ducis ſigillum reperi, quo uſus eſt ex perſona Epiſcopi Wratislavienſis, idque in clypeo majore inſignia ejus Epiſcopatus, impoſitis mitra & pedo, continens: medio loco adparet ſcutum, Auſtriacis & Hiſpanicis inſignibus ornatum, cui ſuperpoſitus galerus Archi-Ducalis; veluti ex adjecta figura ſub littera E. patet. Cæterum propriam imaginem reliquis, communi etiam uſui deſtinatis, nummis imprimi curavit, nomenque ARCHI-DUCIS AUSTRIÆ reliquis Eccleſiarum titulis antepoſuit: (s) CAROLUS *Dei gratia* ARCHI-DUX AUSTRIÆ, *Dux Burgundiæ*, *Comes Tyrolis*, *Epiſcopus Brixienſis*, & *Wratislavienſis*. In uncialibus anno MDCXXIII. cuſis, ſe ſcripſit: *Archi-Ducem Auſtriæ*, *Ducem Burgund. Stir. Carinth. ac Carniolæ*, *Magiſterii Pruſici Adminiſtratorem*, *Comitem Habsb. & Tyrol.* Omiſſis plane Epiſcopatuum titulis.

CAROLUS *Poſthumus* Archid. Epiſcopus, & Ord. Teut. Magiſter.

q

Lit. D.

r

Lit. E.

s

§. XII.

FERDINANDUS Princeps Hiſpaniarum PHILIPPI III. ex MARGARETHA Auſtriaca filius, ſacro quoque ordini nomen dedit: inde factus Toleti Archi-Epiſcopus, S. R. E. Cardinalis, & Vicarius Belgii. Inſignibus uſus eſt Hiſpano-Auſtriacis, qui-

FERDINANDUS V. PHILIPPI III. Reg. Hiſp. fil. Archi-Epiſcopus, & Cardinalis.

(q) Ejus nummos in Sileſia cuſos habes apud DEWERDECKIUM in Sileſia Numismatica p. 217. ſeq.

(r) Genealog. Fland. p. 141.

(s) Vid. DEWERDECK. l. c. p. 223.

quibus corona, exſurgente cruce Archi-Epiſcopali, & inſuper galerus Cardinalis imminent. Laudatus VREDIUS quatuor illius ſigilla profert, (t) in quibus inſignia gentilitia & imagines avorum diverſo modo deſignata videntur; unum adeoque hic adjicimus, exempli loco, littera F. ſignatum.

t

Lit. F.

§. XIII.

LEOPOLDUS WILHELMUS Archid. Ord. TeutonicilMagiſter.

LEOPOLDUS GUILIELMUS Archi-Dux Auſt. FERDINANDI II. Imp. filius, jam a pueris prope, vitæ ſacræ devotus, adeoque anno MDCXXV. Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem, Halberſtadienſemque Epiſcopatum occupavit. Priorem vero ſedem anno MDCXXXV. per pacem Pragenſem Duci Saxoniæ, poſterioremque ex Oſnabrugenſi pacto, Electoribus Brandenburgi ceſſit. In compenſationem vero alias nactus eſt ſacras ſedes. Præterquam enim quod patruo ſuo LEOPOLDO in dignitatibus Eccleſiaſticis ſucceſſit, Epiſcopatus Argentinenſem & Paſſavienſem, cum Abbatiis Benedictinorum in Alſatia, Murbacenſi & Luderenſi, conſecutus, etiam anno MDCXXXVII. Epiſcopus Olomucenſis, & anno MDCXLI. Ordinis Teutonici Magiſter, denique anno MDCLV. Epiſcopus Wratislavienſis renuntiatus eſt. Hujus quidem Archi-Ducis inſignia BIRCKENIUS delineata dedit; (u) quæ vero tantum Auſtriaca ſunt, eaque in ſcuto, ſub quo crux, ſignum Ordinis Teutonici, emicat, ſupraque quod erecta eſt corona. Inſignium, ad reliqua munera ſacra pertinentium, pars nulla adeſt.

u

Non equidem nego, ab hoc Archi-Duce, quemadmodum a LEOPOLDO V. aliisque antecedentibus, ſymbola Auſtriaco-Hiſpanica mutata interdum atque aucta fuiſſe; quamvis ſigillum ejus archetypum mihi videre nullum licuit. Fortaſſe etiam, ad exemplum CAROLI *Poſthumi*, in edendis edictis ac diplomatibus illius modo Eccleſiæ (additis ſemper ſymbolis Auſtriæ, Ordinisque Teutonici) inſignia adhibuerit, ad quam Eccleſiam ejus rei negotium pertinuiſſet. Ut adeo tot ejus eſſent diverſa ſigilla & inſignia, quot Eccleſiarum munera. Quod ut ſic eſſe exiſtimem, anſam mihi præbet ſtanneus, quo conditus eſt Archi-Dux, loculus, quem Vindobonæ apud PP. Capucinos in Imperatorum crypta ſepulcrali ſpectare licet. In eo enim inſignia ejus ſic deſignantur, ut operimentum inſignia majora Hiſpano-Auſtriaca præferat, quibus ſuperadditum crucis ſignum, ſeu ſymbolum Magiſterii Ordinis Teutonici, ſuperpoſito galero Archi-Ducali, medio inter duas mitras Epiſcopales. Ad latera loculi ſeptem inſignia munerum Eccleſiaſticorum in ſcutis minoribus ſejuncte exhibentur. A pedibus adparet crux Ordinis Teutonici, cum ſuperpoſito pileo Archi-Ducali. In ſerie ſuperiore laterum inſignia omnino ſex ſigillatim diſtribuuntur hoc ordine: ſcilicet Epiſcopatus *Argentinenſis*, *Paſſavienſis*, *Olomucenſis*, poſtque Abbatiam *Murbacenſem*, *Wratislavienſis* & *Halberſtadienſis*. Quæ ſymbola ſcutaria Eccleſiarum, ut ſupra dicebam, cum in buſto ſeu loculo funereo Archi-Ducis ſcuto majo-

(t) Ibid. pag. 146.

(u) Spec. honor. pag. 1399.

majori Auſtriaco adjuncta ſint, nobisque eorum delineatio, ubi de cryptis ſepulcralibus ſermo erit, deſtinata, in præſenti licere puto, huic curæ ſuperſedere.

§. XIV.

SIGISMUNDUS FRANCISCUS Archi-Dux Auſtriæ, LEOPOLDI Tyrolenſis filius natu minimus, inita primo vita Eccleſiaſtica, variis quidem dignitatibus ſacris ornatus, præter *Gurcenſem* in Carinthia Epiſcopatum, anno MDCXLVI. *Auguſtanum*, nec non anno MDCLVIII. *Tridentinum* obtinuit. Poſtea vero fratre ipſius FERDINANDO CAROLO anno MDCLXII. ſine maſcula prole e vivis ſublato, prædictis omnibus officiis Eccleſiaſticis anno MDCLXV. ſe abdicavit, Comitatusque Tyrolenſis ac provinciarum eo pertinentium, ſuſcepit regimen. Inter alias imagines Epiſcoporum in templo Cathedrali Auguſtæ Vindelicorum etiam ejus comparet effigies; cui vero non alia inſignia, quam hodierna faſcia Auſtriaca adſunt. Et quamvis adſerere non poſſum, eum a ſacris muneribus, dum præeſſet, inſignia tuliſſe; certo tamen ſcio, illi poſtmodum, cum rerum ſæcularium reſumpſiſſet curam, inſignia, ut majoribus ſuis, poſſeſſionum Auſtriacarum in uſu fuiſſe: atque ea ratione quidem, ut in parmula media Tyrolenſis aquila ſola ſiſtatur; uti ex nummo unciali (w) ab anno MDCLXV. palam conſpicitur. SIGISMUNDUS FRANCISCUS Archid. Epiſc. w

§. XV.

CAROLUS JOSEPHUS Archi-Dux Auſtriæ, FERDINANDI III. Cæſaris & LEOPOLDINÆ Auguſtæ filius, rerum ſacrarum apud Paſſavienſes Præſul, & Ordinis Teutonici Magiſter, itemque Olomucenſis & Wratislavienſis Epiſcopus an. MDCLXIV. die XXVII. Jan. mortuus. In monumento ſepulcrali Imperatorum, quod Vindobonæ eſt apud PP. Capucinos, ejus habetur loculus ſtanneus, cum expreſſis inſignibus; hæc vero ſimillima ſunt iis, quæ ex loculo Archi-Ducis LEOPOLDI GUILIELMI jam ſupra expoſuimus. CAROLUS JOSEPHUS Archid. Epiſc. & Ord. Teutonici Magiſter.

§. XVI.

HIs modo memoratis Archi-Ducibus, vitæ ſacræ addictis, addi poſſet ex eadem ſtirpe oriundus ALBERTUS II. cognomento *Sapiens*; qui priusquam matrimonium contraxiſſet, variis defunctus erat muneribus ſacris. Verum de hujus inſignibus & ſigillis jam ſupra a nobis dictum eſt. (x) ALBERTUS IV. anno MCCCXCVIII. Eques ſacri ſepulcri Hieroſolymitani creatus fuit; nullum tamen peculiare ſymbolum in clypeum accepit. Atque alias nobis conſtitutum eſt, de ordinibus Equeſtribus, quatenus res Auſtriacas contingunt, eorumque ſignis mox infra ſeparatim exponere. Eandem rationem habemus, WENCESLAUM, MAXI- Reliqua Auſtriacorum ordinis ſacri utriusque ſexus inſignia. x

(w) Apud *Jacob. a* MELLEN l. c. p. 189.

(x) Differt. I. §. XII. Tab. VI. n. I.

MAXIMILIANI II. Imp. filium prætereundi, qui Equitem Melitenſem egit. Nihil etiam dico de MAXIMILIANO, FERDINANDI II. Imp. fratre, CAROLI *Græcenſis* filio; qui anno MDCXV. Ordini Teutonico nomen dedit. Nihil denique de inſignibus CAROLI V. præcedenti Diſſertatione deſcriptis addo; nam etſi anno demum MDLVI. abdicato Imperio, & reclinatis in PHILIPPUM filium regnis, ad Divi JUSTI monaſterium ſe contulit, vitam ſolitariam acturus; nulla tamen exinde ſcuta eſt ſecuti Auſtriaci mutatio.

E muliebri quoque ſexu magna occurrit earum multitudo Archi-Ducum, quæ vitæ ſacræ inſtituta amplexæ ſunt. Verum quotquot ego harum ſeu imagines, ſeu alia monumenta vidi, nullas ad inſignia Auſtriaca ſymbolorum acceſſiones hac via inductas deprehendi. Monaſteria, quæ in Auſtria, Styria, Tyroli, alibive locorum condiderunt, atque etiam loculi funerei, in Auſtriacis paſſim cryptis reperiundi, vix aliud quidquam præter ſimplicem faſciam Auſtriacam oſtendunt. Quare iis prætermiſſis, recenſita hactenus inſignia, quæ ab Eccleſiis, quibus præfuerunt, Archi-Ducis adſumpſerunt, ordine alphabeti hic delineata jam ſiſtimus. In hoc ordine omiſſa ſunt Eccleſiarum nomina, *Trevirenſis*, *Juvavienſis* & *Friſingenſis*; etſi earum ſingulæ ex gente Babenbergica oriundos habuerint Præſules; nulla enim ab his, ut ſupra docuimus, acceperunt ſymbola.

Eadem TAB. XVIII. a n. I. usque ad num. XIV.

§. XVII.

Inſignia Ordinum Equeſtrium, quatenus res Auſtriacas attingunt.

CONvertit ſe jam tractatio noſtra ad inſignia ordinum Equeſtrium, quatenus res Auſtriacas attingunt. De iis ſumma quædam capita præmittere placet. Dubium non eſt a Principibus Auſtriæ utriusque ſexus inſtitutos eſſe ordines, certis ſignis ac inſignibus diſtinctos, quorum hæc ſunt nomina: *Societas Aquilina*, *Ordo S. Georgii*, *Crucis de Tuneto*, *Societas Balliſtariorum* (quæ erat Bruxellis) *Mancipia virtutis*, *ſociata crucis veneratio*, & *ordo pro amore proximi*. Nihil hic addo de duplici religioſæ vitæ inſtituto, quod in Tyroli Archi-Duces feminæ introduxerunt. Sed viri etiam aliorum ordinum teſſeras adſumpſere: FRIDERICUS *Pacificus* Inſignia *Temperantiæ* & ordinis *Cyprii*; MAXIMILIANUS I. Temperantiæ, ordinis a patre adſumpti, *Aurei* quoque *Velleris* & *Periſcelidis*. CAROLUS V. dignitate magiſterii Ordinum *S. Jacobi*, *de Alcantara* & *de Calatrava* fulſit. JOANNES *ab Auſtria* Ordini JESU CHRISTI, ſeu *S. Dominici* nomen dedit. Quater denique ſuprema cura *Ordinis Teutonici* Archi-Ducibus Auſtriæ commiſſa fuit.

Sunt porro alii Ordines in dubio poſiti, an Auſtriacis adnumerandi. Ad hoc genus pertinent: *Ordo clypei S. Georgii*, *Societas plectica*, *Ordo Equitum Tuſmi* & *militiæ Chriſtianæ*. Poſtremo quam plurimi numerantur Equeſtres Ordines, qui præclaram tutelam inſigniaque privilegia Domui Auſtriacæ grato æternum animo in acceptis referunt. Si quis vero ſingulos hos ordines aperta narratione exponere vellet, is profecto poſt tot ejusmodi rerum commentatores, qui in publica luce verſantur, actum ageret. Pauca tamen de illis Ordinibus Equeſtribus, quæ ad inſtituti noſtri rationem pertinent, dicturi ſumus.

§. XVIII.

AN RUDOLPHUS I. Rex Rom. auctor aut protector fuerit ordinis *de Stella alba* dicti, quem Basileæ floruisse volunt, quæstio est ad res Habsburgicas spectans. Neque hujus loci est ad examen revocare, an nobiles, qui a Ducibus Austriæ certis ritibus cingula militiæ acceperunt, albo *Equestris* cujusdam ordinis, vel potius *militum* numero adscribendi sint? Primum inter Principes nostros, qui statis legibus ceremoniis & tesseris societatem instituit, reperi apud LAMBECIUM. (y) Is erat ALBERTUS II. Imperator, qui anno MCCCCXXXIII. statuta & regulas SOCIETATI AQUILINÆ, vulgo *der Gesellschafft mit dem Adler* dedit. Insigne, quod quilibet ejus particeps gestavit, *aquila aurea*, vel *argentea* fuit, expansis alis, unguibus tenens schedulam, cum inscriptione: THUE RECHT, hoc est: *Age juste.* Supra aquilam comparebat *manus virgam oblongam ex nubibus protendens, tamquam minitans.* Nullum hujus symboli schema edidit laudatus auctor; nec illud alibi hactenus vidi.

SOCIETAS AQUILINA ab ALBERTO II. Imp. instituta.

y

§. XIX.

FRIDERICUS cognomento *Pacificus* Imp. alium ordinem Equestrem sub invocatione S. GEORGII pro defensione patriæ contra Turcarum invasiones in Austria & Carinthia Romæ decrevit, primumque illi dedit magistrum *Joannem* SIEBENHIRTER anno MCCCCLXVIII. (z) Pro insigni eidem tribuitur *crux purpurei vel rubri coloris plana & simplex*, vesti adsuta albæ; (aa) cujus delineationem habes eadem *Tab. XVIII.* divisione tertia, *n.* 1. Hinc corrigenda designatio in FUGGERI MS. Codice in Bibliotheca Aug. Vindobonensi; (bb) in quo insigne hujus ordinis cruce *aurea* cum *corona*, in *circulo aureo* inclusa, expressum est. Ibidem pariter exhibetur vexillum ordinis, quod quidem in medio sistit orbem rubeum, impressam habentem ejusdem coloris crucem planam: accedunt in quatuor angulis cruces minoris formæ totidem; sed hastile albo rubroque pictum discretumque est.

ORDO S. GEORGII a FRIDERICO *Pacifico* Imp. decretus.

z

aa

Num. 1.

bb

§. XX.

CAROLUS V. Imp. parta de Barbaris victoria, die XXII. Julii MDXXXV. urbem Tunetem triumphans ingressus, præcipuos belli Duces suos Burgundica cruce donavit; unde novus ordo DE TUNETO, metropoli Barbariæ nomen habens, origines suas accepit. Insigne: *ex catena, quadratis aureis bracteatis fibulis, flammis gemmisque interstincta, crux pendet Burgundica, encausto viridi inusta, cum ignitabulo & filice, ex quibus scintillæ profiliunt*, inscripta voce BARBARIA. (cc) Ejusmodi ectypum in nummis me

A CAROLO V. Ordo CRUCIS *Burgundicæ* DE TUNETO.

Num. 2.

cc

(y) *Pet.* LAMBECIUS comment. de Biblioth. Cæs. Vind. l. 2. c. 8.

(z) Vid. BONANNI de Ord. Equest. p. 48. Et GRYPHIUM p. 120. Item LAZIUM l. 6. de mig. gen.

(aa) Vid. *Jacob.* UNREST in Chron. Austr. apud HAHN. pag. 559.

(bb) Inter Hist. Profan. n. IX. T. II. f. 294. & 306. aversa pag.

(cc) Vid. GRYPH. pag. 230. Et BONANNI n. 26. Item SCHOONBECK p. 288.

reperiſſe memini. Cæterum *Crux Burgundica*, quæ in monumentis Burgundo-Auſtriacis frequentiſſime recurrit, crucem utique S. ANDREÆ Apoſtoli & Burgundiæ Patroni exhibet: binas nimirum trabes nodoſas decuſſatim poſitas.

§. XXI.

Ab Isabella Societas Ballistariorum Bruxellis aucta fuit muneribus.

BALLISTARIORUM SOCIETAS celebris quondam Bruxellis erat, quæ tandem anno MDCXV. cum Belgium induciæ pacaſſent, neceſſaria paravit, ad pſittacum coriaceum in cœmeterio B. V. MARIÆ ab *Arena* dictæ, veteri more trajiciendum. Ad hoc ſpectaculum invitati Archi-Duces ALBERTUS & ISABELLA comparuerunt, ſuaque adfabilitate cives mirum in modum recrearunt: ISABELLAM præcipue mirabantur omnes; illa enim balliſtam arripiens emiſſo jaculo, ſeu fortuna, ſeu dexteritate pſittacum dejecit. Factum ſubſecutus ingens plauſus, ipſaque acceptavit Regiam ſocietatis, ſeu confraternitatis dignitatem, haud dedignata inter cives pro cive haberi. Quo vero magis teſtaretur indulgentiſſima Princeps, quanti Balliſtariorum Societatem faciat, ſingulos, qui eidem nomina dederant, togis ex ſerico, tæniis aureis deſcriptis, ejus coloris, quo ipſa tunc utebatur, donavit. Illis porro curavit domum magnificam prope palatium ſuum exſtrui; ut commodius ipſorum conventibus tamquam Regina intereſſe, feſtaque cum iis & convivia celebrare poſſet. Sodales vero, nulla ſe alia re, gloriam illam, quod tantam Principem pro Regina nacti ſint, manifeſtare magis poſſe exiſtimarunt, quam ſi ſuperſtite Regina in avem haud amplius ſagittæ emitterentur. Donum, quod occaſione hujus rei Magiſtratus ex ærario publico ISABELLÆ obtulit, benigne quidem acceptum, ſed ipſa jubente ad uſuras elocatum fuit; ut ex his ſeptem puellis, quæ vel matrimonium contrahere, vel ſacrum ordinem amplecti vellent, quot annis dos conſtitueretur. Memoria hujus ſpectaculi, & eventus ſingularis numiſmate conſervatur. (dd) Sed nihil ſupereſt, quod de inſignibus hujus ſocietatis addam.

dd

§. XXII.

Mancipia Virtutis inſtituit Eleonora Mantuana Imperatrix.

ELEONORA Gonzaga FERDINANDI III. Imp. vidua, novo ordini, pro devoto femineo ſexu, fundamenta poſuit, anno MDCLXII. cui inditum nomen MANCIPIORUM, ſeu *famularum* VIRTUTIS, hujusque ſibimet reſervavit præſidium. Inſigne ordinis eſt: *Sol aureus laureo ſerto circumdatus*, cum hoc lemmate: *Sola ubique triumphat.* Numiſma, quod hoc ſymbolum refert, ex aurea catena pendens, matronæ ad pectus ſiniſtrorſum adplicant; quo ſignificatur: virtutem in corde hominis perfici, ut ſol aurum in terra excoquit; laureum vero ſertum virtutis præmium denotare, quo matronæ excitentur ad honeſtatem & virtutis ſtudium. Duplicis porro formæ feminis, nonniſi illuſtri genere natis, tribui ſolet: alterum majus, quod, ut jam monui, ex catena aurea

Num. 3.

(*dd*) Apud VAN LOON Hiſt. Metall. P. II. L. I. p. 93.

rea pendet, alterum minus : hoc nigræ ex ſerico tæniæ adpenſum ad hæredes matronarum transmittitur; illud vero poſt obitum Præſidi reſtituendum. Illuſtres feminæ hoc ſigno donatæ, dum Vindobonæ in aula verſantur, illud continuo, alibi vero locorum degentes, nonniſi ſtatis temporibus geſtare tenentur. Cæterum ſuſcipiendæ in hunc ordinem Præſidi, ſeu magnæ Magiſtræ fidelitatem ſpondent; ſeque jugi virtutum exercitio, præſertim temperantiæ adfectuum mancipiant. (ee) ee

§. XXIII.

EAdem ELEONORA Auguſta pientiſſima Imperatrix, cum anno MDCLXVIII. Vindobonæ poſt incendium palatii Imperialis inter rudera crux aurea, cui immiſſa erat ſanctæ crucis particula, integra atque illæſa ex cineribus protracta fuiſſet, in perennem tanti miraculi memoriam, non modo prædictam ſanctam crucem ſolemni ritu in templum Reverendorum Patrum Societatis JESU transferri curavit; ſed novum quoque ordinem pro Illuſtribus feminis, cui a CRUCE STELLATA nomen, inſtituit. Inſigne hujus ordinis, nummus aureus figuræ ovalis (aliis orbis aureus) majoris formæ, qui encauſto nigro crucem impreſſam exhibet, in cujus medio alia cærulea crux inuſta eſt. LUNIGIUS in ſuo Theatro ceremoniali tradit: crucem in medio poſitam colorem ligni referre, lymbo albo circumdatam. Crux ſane eſt duplici colore inuſta, hoc pacto, ut pullam minorem altera cianei coloris amplior complectatur. Quatuor porro angulos implet aquila Imperialis biceps expanſis alis, atque ad quatuor crucis angulos totidem fulgent ſydera, quibus conſtellationem cruciatam ad polum antarcticum detectam notari volunt, cum hac perigraphe: SALVS ET GLORIA: quibus verbis declaratur quidem: viam ſalutiferæ crucis ad æternam gloriam perducere; ſed dubito, an ſtellæ totidem, in quatuor crucis angulis coeuntes, conſtellationem cruciatam ad polum antarcticum ſignificent; videtur enim mihi adluſio in re ſacra, nimis profana. Matronæ vero in hunc ordinem adſumptæ nummum illum a tænia nigra (LUNIGIUS *album* ſcribit) ſuſpenſum in ſiniſtra pectoris parte gerunt. (ff) Magiſtratum ordinis ſummum ipſa primum ELEONORA Gonzaga Auguſta geſſit; hanc ELEONORA Neoburgica excepit; quam viduam LEOPOLDI Cæſaris, duorum adeo Imperatorum matrem in muneris adminiſtratione ejusdem conſecuta eſt WILHELMINA AMALIA, JOSEPHI Imp. conjux; hodieque Magiſtratum tenet CAROLI VI. vidua ELISABETHA CHRISTINA Auguſta.

SOCIATA CRUCIS VENERATIO, ab eadem Aug. Imperatrice conſtituta.

Num. 4.

ff

§. XXIV.

ORdo AMORIS PROXIMI anno MDCCVIII. ELISABETHAM CHRISTINAM Auguſtam Sponſam CAROLI III. Hiſpaniarum Regis, poſtea Romanorum Imperatoris ejus nominis VI. hodie viduam, fundatricem habuit. Hæc dum Vindobonæ ſol-

Ab ELISABETHA CHRISTINA Aug. CAROLI III. Hiſp. Regis Sponſa ordo PRO AMORE PROXIMI inſtitutus.

(ee) Vid. GRYPH. p. 263. BONANNUS p. 143. (ff) Iidem, prior p. 164. & alter num. 114.

ſolveret in Hiſpaniam, inſigne crucis in perennem ſui memoriam elargita eſt primis aulæ proceribus, ac utriusque ſexus nobilitati, liberumque fecit cuivis hoc ſigno donato, illud in alterum transferre, ſi id ſemel dumtaxat fieret : quo ſignificare voluit Sponſa Auguſta : Amorem proximi communem eſſe atque benevolum erga
Num. 5. omnes. Inſigne itaque eſt *crux parva aurea*, cui litteris nigri coloris inſcriptum lemma : AMORE PROXIMI : a tænia rubra pen-
gg dens, pectori adplicata. (gg)

§. XXV.

ERNESTUS *Ferreus*, Eques S. SEPULCRI *Hieroſoly.* creatus.

DIcendum jam de Inſignibus Ordinum Equeſtrium ab aliis inſtitutorum, quos Auſtriæ Principes adſumpſerunt. In hunc cenſum venit ERNESTUS cognomento *Ferreus*, qui Paleſtinam adiens, EQUES S. SEPULCRI HIEROSOLYMITANI, una cum ſociis ſacri hujus itineris creatus fuit. Factum iſtud nominaque ſociorum Equitum tabulis conſignavit ipſe FRIDERICUS filius
hh ſuus, poſtea Rom. Imperator. (hh) *Godefrido* autem BOUILLONIO & BALDUINO fratribus titulum conditoris Equitum S. Sepulcri adjiciunt. Quæ Equeſtrem hunc ordinem ſecernerent a cohorte quavis alia, per eas terras, non diverſa ſtipendia faciente, *eæ*
Num. 6. *cruces* erant *rubri coloris quinque*, ad eam ſpeciem compoſitæ, ut majorem primam quatuor reliquæ breviores, velut ſatellites ſtipa-
ii rent. (ii)

§. XXVI.

Ordo TEMPERANTIÆ a FRIDERICO *Pacifico* Cæſare adſumptus.

SOCIETAS TEMPERANTIÆ ab ALPHONSO Arragoniæ Rege in honorem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ inſtituta fuit; cui FRIDERICUS Cæſar *Pacificus*, ipſiusque filius MAXIMILIANUS I. non ſolum nomina dederunt; ſed etiam ejus inſignia geſtarunt, quod ſuo loco ex nummis demonſtrabimus. Hujus autem ſocietatis inſigne erat *ſtola candida* cum tribus liliis; vel minimum *faſcia*
Num. 7. ejusdem coloris ; item *torques ex cantharis floralibus* cum adnexa imagine *B. V.* MARIÆ *& grypbe*, tenente ſchedulam, in qua hæc inſcriptio : HALT MAS, id eſt : *Serva mediocritatem ;* ſeu, *tene*
kk *menſuram.* (kk) Quin prædictus Cæſar FRIDERICUS ejusdem *Societatis Regiæ* alios quoque conſortes & participes fecit ; ut videre
ll eſt ex diplomate, dato Brunnæ in Moravia MCCCCLIX. (ll) in quo Nobiliſſimum Dominum *Nicolaum de* LOBKOWITZ cum uxore ſua *Sophia de* ZEROTIN inſigni hujus ordinis decoravit; quo ipſe Cæſar uſus eſt, ut contextus diplomatis loquitur : *Ad honorem & gloriam glorioſiſſimæ ac intemeratæ Virginis* MARIÆ *in vigiliis ac diebus ſuis ſolennibus, nec non Sabbatinis noctibus, deferre ſolebamus, & hodie deferimus; authoritate noſtra &c.* Cæterum & alii *Equites Temperantiæ* in Styria, Carinthia & Carniolia initio ſæculi XVI. ſub invoca-

(gg) LUNIG. Theat. Ceremonial. pag. 1163. Conſpectus Equeſt. Ord. p. 135.

(hh) Ap. LAMBECIUM in diario S. itin. Cellenſ. pag. 34.

(ii) Vid. Conſpectum Equeſt. Ord. Tyrnaviæ ed. pag. 88.

(kk) Vid. LAMBECII Lib. II. Comment. Bib. Cæſ. pag. 960.

(ll) Ap. eundem Lib. 3. in appendice p. 345.

vocatione *Divi Chriſtophori* floruerunt; (mm) ſed hi non a Principibus Auſtriæ, verum a quodam e *Dietrichſteiniis* Baronibus ortum habuere. m m

§. XXVII.

CYPRIUM *Ordinem* Equeſtrem jam circa annum MCXCV. origines ſuas nomenque ab inſula *Cypro* traxiſſe ferunt. Eum in finem inſtitutus erat, ut infidelium irruptiones retunderet, fidemque Catholicam a vi barbarorum tueretur; celeberrima quippe Luſinianorum familia Cypro late dominabatur, inſulæ videlicet crudelitati, vexationique Turcarum, jam undique mediterraneo mari imperantium, expoſitæ; unde & Equites *Luſigniani* quin & *Silentii* dicti. Fuit ordini huic pro inſigni: *Collare ſeu baltheus equeſtris, aurea ſed multiplici littera S. in modum catenæ, exornatus, intercurrentibus luciniis aureis, quibus inferne adpendebat gladius, lamina argentea, capuloque aureo inſignitus; eidem gladio, littera majori S. circumvoluta;* inſcriptum alias lemma Gallico ſermone: POUR LOYAUTE MAINTENIR. (nn) Quod FRIDERICUS Imp. *Pacificus*, ejusdem ordinis & ipſe particeps, in deſcriptione itineris ſui Hieroſolymitani germanice ita vertit: *Die Gerechtigkeit zu beſchirmen:* hoc eſt: *Juſtitiæ tuendæ cauſſa:* MÆNENIUS autem latine ſic interpretatur: *Pro fide ſervanda.* (oo)

item *Ordo* CYPRIUS.

Num. 8.

nn

oo

§. XXVIII.

INſignia *Ordinis Temperantiæ* a FRIDERICO Imp. *Pacifico*, uti jam audivimus, quondam adſumpta, filio ejus MAXIMILIANO I. ſolemnia quoque erant; donec Brugis anno MCCCCLXXVIII. indicto Aurei Velleris Equitum (quos PHILIPPUS *Bonus* anno MCCCCXXIX. vel, uti MONTEFALCONIUS Tom. 3. monum. Monarch. Fran. pag. 185. adſerit, anno MCCCCXXX. inſtituerat) conventu, acceptoque a RAVENSTEINIO gladio, a LANOIO aureo vellere collum circumdatus, maxima pompa in Equitem, ac inclyti Ordinis hujus ſupremum Magiſtrum promotus eſt; indeque MAXIMILIANUS eandem dignitatem Auguſtæ Domui ſuæ intulit, ordinisque inſignia conſtanter geſſit. Hanc Magiſtri dignitatem, erepto e vivis CAROLO VI. Auguſto, FRANCISCUS ejus gener Cæſar Auguſtus adſecutus fuit. Celeberrimum & toto orbe notiſſimum hujus inclyti Ordinis inſigne, *torques* eſt *aurea ex igniariis*, ſeu ignitabulis, & *flammis*, vel igniculis encauſto pictis *nexa*, a qua *vellus aureum* pendet. Alii ita deſcribunt: Torques ſilices, cum machinulis ad eliciendum ignem aptis, implexos inter ſe habet, prorumpentibus undique flamulis. Legi præterea poſſunt inſcriptiones geminæ torqui inſertæ; quarum illa, quæ ferro, ſilicibusque imminet, hæc eſt: ANTE FERIT QUAM FLAMMA MICET; quæ vero Velleri, in hæc ſcripta eſt verba: PRETIUM NON VILE LABORIS. Plura de hoc Ordine habes apud *Sebaſtianum* INSPRUGGER, & alios ſcriptores paſſim.

A MAXIMILIANO I. Inſignia AUREI VELLERIS recepta.

Num. 9.

(mm) Conſpectus Equeſt. Ordin. p. 134.
(nn) LAMBECIUS in Diario ſacri itineris Celenſ. p. 33. ubi pluribus de hoc ordine agit.
(oo) BONANNI p. 118. & alii paſſim.

§. XXIX.

Eidem insignia Ordinis Periscelidis tribuuntur.

MAXIMILIANUM I. Imp. ab HENRICO VIII. Angliæ Rege anno MDXIV. in obsidione Teroanæ, Morinorum urbis, in signum fœderis & amicitiæ regium munus, tesseram videlicet nobilissimi apud Anglos *Ordinis* PERISCELIDIS accepisse tradunt; (pp) illamque die S. Georgii sacra gestasse. Quin ab ELISABETHA Angliæ Regina MAXIMILIANUM II. Imp. pariter in Ordinis hujus Equestris numerum fuisse receptum, ferunt alii. (qq) De habitu solemni hujus Ordinis nobilissimi nihil hic memoro; notasse sufficiat: nomen trahere a cœrulei coloris fibulata fascia, gemmis auroque distincta, qua illius Ordinis Equites crus sinistrum substringunt, cum sequenti Gallica inscriptione: HONNI SOIT, QUI MAL Y PENSE, phrygio opere litteris majusculis inserta. Torquem *periscelides ex encausto cæruleo, interstinctis candidis rubrisque rosis ornant, & effigies S. Georgii* lancea Draconem enecantis ab eo pendet.

pp

qq

Num. 10.

§. XXX.

In Carolum V. Imp. magisteria Ordinum Eq. collata.

VArios Equitum Ordines Hispania Mauris opposuit, quorum supremam administrationem seu magisterium, Romani Pontifices in Reges Hispaniarum contulerunt. CAROLUS V. fulsit dignitate supremi Magistri Ordinum S. JACOBI, de ALCANTARA, & de CALATRAVA. Longum esset & supervacaneum de his narrationem instituere; quandoquidem plures sunt scriptores, qui data opera id egerunt. (rr) Nobis sufficiat illorum insignia strictim hic adferre. Ordo S. Jacobi in Hispania pro Insigni habet *Crucem ex lana rubra, instar ensis efformatam*, quam in veste exteriori alba gerunt equites. Ordini S. Juliani, cui a sede *de Alcantara* nomen inditum fuit, *crux aurea encausto viridi floribusque ornata* insigne tribuitur. Ordo denique *de Calatrava* pro insigni habet *crucem rubeam, in lilia definentem*, cui duos murices seu cippos, Hispanis *Trava* addiderunt, quibus præcipua civitas ac ordinis sedes adsignificatur.

rr

§. XXXI.

Joannes ab Austria Ordini Eq. Jesu Christi nomen dedit.

CUm Ordo *Equitum* JESU CHRISTI, a S. Dominico contra Albigenses hæreticos quondam institutus, in Hispania reflorescere cœpisset, huic quoque JOANNEM ab Austria nomen suum dedisse adserunt nonnulli scriptorum. (ss) Insigne huic erat: *Crux nigra & alba liliis ornata, in toga alba, & pallio nigro;* qua forma Constantiniani Equites usi sunt, & qua hodiedum officiales sacræ Inquisitionis incedere solent. Sed celebris & alius Equestris Ordo a nomine JESU CHRISTI apud Lusitanos erat, Ordini *Templariorum* substitutus. Priori illi normam vivendi, legesque e sacra S. Be-

ss

(pp) In MS. FUGGERI fol. 311. cum aliis.

(qq) Vid. Disput. WINZINGERODÆ de Ordine Equitum S. Georgii p. 21.

(rr) Citati apud BONAN. GRYPH. quibus adde conspectum Equestrium Ordinum edit. Tyrnaviæ 1742. p. 18. seq.

(ss) Vid. script. apud GRYPH. p. 105. seq.

S. BENEDICTI familia præſcripſit JOANNES hujus nominis XXII. Pontifex Maximus. (tt) tt

§. XXXII.

INter Magiſtros, qui inclyto Equeſtri *Ordini* TEUTONICO præfuerunt, quatuor enumerantur Auſtriæ Archi-Duces. Primus horum, ſed in numero Magiſtrorum quadrageſimus, celebratur MAXIMILIANUS III. Archi-Dux, creatus Magiſter MDXCV. cui in officio ſucceſſit CAROLUS Archi-Dux, anno MDCXIX. Hunc inſecutus LEOPOLDUS GUILIELMUS, quem an. MDCLXII. excepit CAROLUS JOSEPHUS, ambo pariter Archi-Duces. Inſigne Ordinis: in *area alba crux nigra, cui inſerta crux argentea, cum aquila Imperiali, adjectis quatuor liliis Gallicis* ad quatuor angulos.

Aquatuor Archi-Ducibus Auſtriæ, Magiſterium Ord. TEUTONICI ſuſceptum.

§. XXXIII.

SUb MAXIMILIANO I. & CAROLO V. floruit quidem in Germania Societas a *Clypeo S. Georgii* nuncupata, quæ pro inſigni habuit clypeum cum imagine ejusdem Sancti Patroni. (uu) Sed an illa origines ſuos Cæſaribus Auſtriacis in acceptis referre debeat, in dubio relinquimus. Ex receſſibus quoque Imperii conſtat, diu multumque deliberatum eſſe, ab Ordinibus Imperii, imperantibus MAXIMILIANO II. & RUDOLPHO II. Imp. de certo Equitum ordine contra Turcas inſtituendo. (ww) Verum tamen nos latet, an res iſta umquam ad effectum ſit perducta. *Societas* etiam *plectica*, a plegmate nomen trahens, cujus inſtitutum ALBERTO III. *cum Trica* dicto, tribuunt, in dubium venit. Comparet quidem ALBERTUS in ſuo ſigillo anni MCCCLXXII. equo inſidens cum plegmate; (xx) quod majoribus ſuis inſuetum erat; quin bina plegmata eidem in imaginibus tribui ſolent. (yy) Porro præter fidem monumentorum adſerunt: Ducem iſtum abſciſſos capillorum cirros uxoris ſuæ geſtaſſe, hocque plegma Laxenburgi adſervatum eſſe; in qua narratione nihil eſt niſi vanum. Addunt præterea a ſecunda ALBERTI uxore, nec non a Duce LEOPOLDO IV., ALBERTI ex fratre nepote, hujusque conjuge plegmata in uſum recepta fuiſſe; ſed quis ex his evincet, ſocietatem aut *Ordinem Equeſtrem?* Tenendum potius ALBERTO ex inſueta alias plegmatis uſurpatione cognomen *cum Trica* obveniſſe. In ancipiti quoque poſitum eſt: quando & a quo inſtitutus ſit *Ordo Equitum Tuſini*, & unde nomen traxerit? (zz) In Auſtria & Bohemia quondam floruiſſe volunt, ac Equitibus crucem viridem in habitu rubro tribuunt. Aliis denique diſcutiendum pariter relinquo, quinam Equites nomine *Militiæ Chriſtianæ* inſignes veniant. Cruce ſignati qui ſacris olim contra Saracenos expeditionibus operam navarunt, crucem planam & plerumque rubeam ad latus dexterum

Alii Ordines Equeſtres in dubio poſiti, an ad res Auſtriacas ſpectent. uu ww xx yy zz

(tt) CRUS. Par. III. Annal. Suev. p. 482. De Roo Hiſt. Auſt. l. 10.
(uu) Vid. Conſpect. Equeſt. Ord. p. 2. & 95.
(ww) Vid. Reichtags-Abſchied de anno 1576. 1582. 1598. & 1603.
(xx) Diſſert. I. Tab. VIII. n. II.
(yy) Conf. BIRCHEN p. 389. 391.
(zz) BONAN. p. 129. GRYPH. l. c. 204.

aaa terum gerebant. (aaa) Verum iſti non *Equites*, ſed *milites* ſunt dicti; planum itaque mihi haud eſt, qualis Ordo nomen *Equitum militiæ Chriſtianæ* ſibi vendicet. Poſtremo ſacræ Equitum familiæ *a rubea ſtella* nuncupatæ in Bohemia, Polonia, Sileſia, quin & in Hungaria atque Auſtria florent, quæ relicto armorum ſtudio, ægrotorum hominum morbis levandæque pauperum inopiæ totos ſeſe tradiderunt. Primum iſtorum Equitum contubernium prope locum natalem Chriſti fuiſſe, nomenque inde *Ordinis Bethlehemitici* traxiſſe adſerunt; ſed id conjectura fortaſſe aliqua, non item argumentis certis evincere poſſunt. (bbb)
bbb

§. XXXIV.

Ordines Equeſtres a Domo Auſtriaca protecti & privilegiis aucti.
ccc

PLures porro Equeſtres Ordines Auguſta Domus Auſtriaca beneficiis complexa eſt ampliſſimis. De MAXIMILIANO I. & CAROLO V. duodecim omnino ejusmodi Ordines enumerat FUGGERUS, (ccc) quos commemoranda largitate ſibi devinxerunt. Majorem horum numerum de poſteris CAROLI V. ad ætatem noſtram quivis facile inire poterit, cui otium eſt, commentatores Ordinum Equeſtrium & pietatis Auſtriacæ monumenta pervolvere; ſed hæc modo nihil ad inſtituti noſtri rationem.

§. XXXV.

Symbola MAXIMILIANI I. Imp. ſingularia.

UNum tamen ſupereſt, monente ſupra laudato ſcriptore, de MAXIMILIANO I. Cæſare, ſilentio haud prætereundum. Uſus erat Cæſar certis quibusdam ſymbolis & effatis, quæ phrygio opere in ſtragulis & ornatu famulorum exprimi curavit. Quin reperiuntur nummi, quibus id genus oſtentaminis in ſtragula equi, cui ipſe Imperator inſidet, impreſſum eſt. Solebat nempe areæ orbiculari rubræ, limbo aureo cinctæ, quaſi monogramma,
Num. 11. id eſt, certos litterarum ductus indere, quæ *Cleobuli* lemma referrent: MEDIOCRITAS OPTIMUM. Hoc ipſum alia forma, ſed
Num. 12. vulgari ſermone ſcriptum, in ſagis & ſtragulis acu pingi juſſit: Crucem ſcilicet Burgundicam S. Andreæ cum igniario & flammis, addito lemmate: HALT MAS: quod ex inſigni Ordinis temperan-
ddd tiæ, de quo ſupra (ddd) egimus, deſumptum eſt: ſingula hæc ex auro, incluſa orbi cœruleo, & flavo circulo ornata. Denique obtento a FERDINANDO Arragoniæ & Siciliæ rege regno
Num. 13. Granatenſi, hujus quoque inſignia, orbi incluſa in honorem dicti Regis, in ſtragulas adſumpſit.

DISSER-

(*aaa*) Idem BONAN. in Tab. num. 27. Adde Conſpectum Eq. Ord. p. 131.
(*bbb*) Ita auctor conſp. Equeſ. Ord. p. 129.
(*ccc*) In MS. Biblioth. Cæſ. Vindob. T. 2. fol. 311.
(*ddd*) Hac Differt. §. XXVI.

DISSERTATIO VII.

DE DIADEMATE PRINCIPUM AUSTRIÆ.

§. I.

T Principum insignia ornamentis diadematum cum primis illustrantur; ita explicata jam a nobis, suisque primordiis veris atque auctoribus adserta, Austriæ insignia, laborem nostrum ad investiganda Principum diademata revocant. Nemo hactenus, opinor, eam rem satis digne persecutus est; quantulumcunque enim id est, quod BIRCKENIUS (a) non quidem ex antiquitatis monumentis; sed suo potius ex arbitrio in medium attulit; adeo id studiosis antiquitatum non sitim cupiditatis explet, ut magis excitet. Id igitur operis suscipio: nonnullas, quæ hactenus latuerunt, ejusmodi res in lucem proferre; spe fretus, quod sigilla, aliaque id genus selectiora monumenta haud levia mihi ad hoc datura sint adminicula. Hinc quasi speciminis loco, diademata quædam ex imaginibus & nummis Principum Austriæ hic quoque edere constitui; pleniorem earum rerum notitiam in Nummothecis & Pinacotheca Austriæ, quas typis paro, daturus. In ipso autem dictionis exordio animadverto: & hujus generis insignia, diademata scilicet Ducum Austriæ, sua subinde, quemadmodum de cæteris dictum, specie & figura fuisse mutata; nam & Marchiones, & Duces, & Archi-Duces, varia prorsus imagine, utpote modo galeati, nunc obtecti pileo, jam coronati, mox laureati, tum capite aperto, in sigillis nummisque passim comparent. De his igitur varietatibus differendo (ad quod genus dicendi, incorrupta antiquitatis monumenta ubertatem suppeditant) operæ pretium facturum me, simulque rem Lectori haud ingratam, spero. Inde etiam caussam nactus commemorandi de pileo Archi-Ducum Austriæ, quo, ceu diademate sibi proprio, hodieque utuntur, ejus dabo & delineationem adcuratam, & descriptionem, ad exemplum illius archetypi, qui in insigni Præpositura Clausstro-Neoburgensi adservatur; addamque postremo MAXIMILIANI III. Archi-Ducis ejusdem pilei auctoris, sanctionem, quæ Bulla PAULI V. P. M. & diplomate MATTHIÆ Imperatoris firmata fuit.

Ratio dicendorum.

a

§. II.

ANtequam is, qui nunc viget, pilei Archi-Ducalis modus institutus esset, & ad posteritatem perpetuus; jam olim Ducibus ex gente Babenbergica oriundis singulari Regum Romanorum Imperatorumque contigit beneficio, diademate uti, ter no-

Diadematis Austriaci mutationes præcipuæ numerantur IV.

(a) Spiegel der Ehren Lib. 2. cap. 3. p. 183.

novis aucto honoribus & ornamentis. Quamobrem quatuor occurrunt præcipuæ diadematum mutationes a nobis exponendæ; quarum quidem tres superiores in tabulis Claustro-Neoburgensibus; (b) deinde ab ARENPECKIO enarrate exsignatas accepimus. (c) Prima FRIDERICO I. Imperatori attribuitur; is enim ob cessum Bavariæ Ducatum HEINRICO Juniori Duci Saxoniæ, dato diplomate anno MCLVI. XV. Kal. Octob. Marchionem HEINRICUM *Jachsamirgott* dignitate & nomine Ducis Austriæ ornatum, præter alia præmia, hoc quoque nominatim adfecit privilegio: ut Dux Austriæ beneficiario ritu inauguraretur, operto capite, equo insidens. Ibi adparatus ille, & capitis ornamentum sic proponitur: *Suppositio Ducatus pileo, circumdato serto pinneato.* Altera mutatio HEINRICUM Regem Romanorum FRIDERICI II. filium auctorem habet, qui an. MCCXXVIII. XII. Kal. Septemb. socero suo LEOPOLDO VII. *Glorioso*, Duci Austriæ dignitatem concessit, in pileo Ducali Regalis coronæ diadema, id est, duos Imperatorios *arcus* super pileum Ducalem gestandi. Verba diplomatis ita sonant: *Præterea eidem Principi illustrissimo* LEOPOLDO *Duci Austriæ & Styriæ, cunctisque suis sequacibus hanc largiter concedimus dignitatem, ut in sui Principatus pileo nostræ Regalis coronæ diadema solemnius ferre possit.* Tertium novis ornamentis insignior redditus est Ducalis pileus, ab Imperatore FRIDERICO II. an. MCCXLV. mense Junio; cum ille FRIDERICO *Bellicoso*, Duci Austriæ facultatem largitus est, crucem Imperatoriam ex pileo Ducali erectam ferendi: *Concedimus nostro illustri Principi Duci Austriæ crucem nostri diadematis suo Principali pileo sufferendam.* Quarto tandem, cum FRIDERICUS Cæsar, MAXIMILIANI Imp. pater anno MCCCCLIII. die VI. Jan. Neostadii privilegia Serenissimæ Domui Austriacæ concessa confirmaret, hoc quoque diplomati inseruit: ut Austriaci posthac solemni & perpetuo curiæ stylo ARCHI-DUCES adpellarentur; factum deinde anno MDCXVI. die XXVII. Nov. ut MAXIMILIANUS Archi-Dux Austriæ & supremus Ordinis Equestris Teutonici Magister, ad commendandam S. LEOPOLDI gloriam memoriamque *pileum Archi-Ducalem* suis sumptibus fieri curaret, quem perpetuo adservandum concredidit Præposito & Insigni Collegio Canon. Regularium Claustro-Neoburgensi; unde ad hodiernum usque diem in ritibus inaugurationum repetitur. Atque hæc sunt diadematum Austriæ Principum mutationes præcipuæ & augmenta. Nunc antiquiora respiciamus tempora, videamusque quibus quondam decoraverint Marchiones primique Duces capita ornamentis.

b
c

§. III.

CASSIDA, vetustum Marchionum, & Ducum Austriæ tegmen capitis;

USque dum Comites Babenbergenses provinciam Austriæ moderabantur tamquam *Marchiones terræ Orientalis*, illaque ætate integra, qua stata familiarum insignia stabilita sunt, satis habuerunt (cæterorum Principum, Ducum, Marchionum & Comitum more) *sigillo Equestri* sive *auctoritatis*, quod solis proprium erat

(b) Ap. *Hier.* PEZ. Tom. I. script. rer. Aust. col. 1028. (c) Ibid. col. 1196. 1208. & 1216.

Galeæ cristatæ et coronatæ.



Pilei Archiducum usus quotidiani.



erat optimatibus ac Regni primoribus, tum etiam vexillo & ſcuto gentilitio auguſtiores eſſe, & principatus dignitatem ſignificare. Qua de re quæ alii paſſim ſcriptores prolixe perſecuti ſunt, & ego in rebus Habsburgicis non præterii, nemini ſcilicet priſcis illis temporibus licuiſſe *Equeſtri ſigillo* uti, præterquam, qui cum imperio eſſent, Duces quippe vel Comites, nunc nolo pluribus repetere. Ita Marchiones noſtri, ſigillorum Equeſtrium participes, de diadematibus parum erant ſolliciti. His tum caſſida ſeu galea ſufficiebat; ſignaque gentilitia ſcuto, perigraphe vero declarabantur nomina. Attamen in illis Marchionum ſuperiorum galeis jam tum non nihil diſcriminis adverto. Quas quidem caſſidum varietates, aliorumque diadematum, poſteris Ducibus frequentium, delineationes, ære excuſas, in adjecta Tabula hic exhibeo; ut rectius pateant, & in oculos incurrant. Tab. XIX.

Antiquiſſima, quam usque ab Ernesto Marchione, ex archivo Mellicenſi deſumptam reperimus in charta, data inter an. MLVI. & MLXXV. (d) galea, prorſus ſingulari figura eſt; incumbit enim capiti, ad modum pilei galerive, depreſſa. Illa porro caſſis laxata, qua uſus eſt Liupoldus *Pius*, Marchio Orientalis, conſpicitur in ſigillo ad diploma ſanctionis Clauſtro-Neoburgi, eaque acutis monachorum cucullis haud abſimilis; ſed (quod mirum videbitur) diverſa plane forma ab illa galea, quæ in ſigillo adparet, quo litteræ ſanctionis monaſterii S. Crucis munitæ ſunt; quamvis eodem anno, ſc. MCXXXVI. eodemque auctore Liupoldo editæ; (e) quod quidem documento eſt, jam tum illis temporibus accidiſſe, ut ornamenta capitis ab eodem Principe, atque eodem interdum anni curriculo mutarentur. Ac quamquam illo ſtatim tempore, cum præfuit Heinricus dictus *Jachſamirgott*, Marchionatus Auſtriæ Ducatus factus ſit; haud tamen ulla exſtant ſingularia, in galeis Ducum de ſtirpe Babenbergica, illius dignitatis indicia. Verum (ut id tunc moris erat) auctoritatem ſignificabant, hocce tantum *titulo in ſigillis* adſcripto: Dei gratia Dux. Interim non diffiteor, iſtas quoque galeas curſu temporum varias ſubiiſſe mutationes, quod harum nonnullæ ad pilei ſubinde formam magis acceſſerunt; prout excuſæ in tabula figuræ demonſtrant. d Num. 1. Num. 2. e Num. 3. & 4.

Atque ut eorum, qui in ejus rei ſunt curioſitate, exſpectationi reſpondeam; galearum, quæ apud Duces de gente Babenbergica in uſu fuere, varietates notabiliores ordine temporum ſpectandas dabo. Unde conſtabit, Duces Auſtriæ, donec erat genus Babenbergenſium, impertito ab Imperatoribus Rom. diademate Regio, in ſigillis ſaltem, haud umquam fuiſſe uſos: ſaltem in ſigillis, inquam, & in galeis, ubi ſcilicet adparebant tamquam equites loricati ſeu cataphracti. Negandum enim non eſt, adhibuiſſe etiam pileum Ducalem, cum inaugurabantur accipiendæ provinciæ ritu beneficiario; aut ſi quando aliis ſolemnibus intereſſent. Immo vero poterit ex iis, quæ nobis reliquit ſcripta, de rebus Auſtriacis, ſæculo XIII. circa Fridericum *Bellicoſum*, opti-

(d) Vid. Diſſert. I. Tab. I. n. I. (e) Eadem Diſſert. I. Tab. I. n. II.

f me meritus ENNENCKELIUS, (f) oſtendi, jam illis quoque temporibus Principes proceresque ad prælia caſſides pennis, ſeu faſciculis plumeis, criſtatas, cinctasque coronis geſſiſſe; qua de re dicetur infra. Nunc vero galeas, earumque ornamenta ex ſigillis & nummis proſequamur.

§. IV.

Quam *criſtis & coronis* exornarunt:

ET vero recentiori deinde ætate indultis ab Imperatoribus Regibusque Romanorum privilegiis ad ornatum capitis frui, atque ad exemplum exterorum Principum fungi viſum eſt; nam & id in ſigillis ac nummis Auſtriacorum ad uſum pervenit. Jam enim usque ab OTTOKARO caſſides illæ ſimplices, nullisque eminentiis aliisve ornamentis conſpicuæ, adeo Ducibus noſtris factæ ſunt infrequentes, ut vix usquam reperias. Verum ſumpto in monumentis adparatu equeſtri, caput etiam plerumque obtegebatur galea; quæ vero erat pennis criſtata, aliisve modis decorata, & modo cum coronis exornatisque tegumentis, modo ſine his reperiunda.

Criſtæ plumeæ loco in ſua OTTOKARUS caſſide integram
Num. 5. quaſi alam geſſit, eamque in transverſum extentam; quæ quidem non ex pennis volucrum videtur confecta, ſed verius ex argento, vel ære inaurato in ſpeciem pennarum: ad eum forte modum, quo Optimates Hungariæ criſtas olim geſſere, quarum nondum plane exolevit uſus; in his quippe inauratæ pennarum figuræ ex virga, caſſidi adnexa, laxo quamvis & adeo volubili nexu hodieque exſtant, ut eundo, equitandove agitatæ, non tantum tenui ſtridore ſuſurrationem edant ſatis blandam, verum etiam ad ſolem vibrantes, multa venuſtate & elegantia excellant. Ejus autem or-
Num. 6. namentum galeæ, qua uſus eſt ALBERTUS I. corona erat, cum ſubrecta criſta pavonina. Sed omiſſa interdum corona, nonniſi
Num. 7. criſtam impoſuit. Ita nempe conſtat ex ſigillo anni MCCLXXXVI.
g (g) FRIDERICUS e contrario pro corona duplicem in galea adhi-
Num. 8. buit criſtam, aliam alii ſuperimpoſitam. (h) Fuere etiam, qui tri-
h plici gaviſi ſunt ſerie ac nexu faſciculorum. In iis ſigillis, quæ mihi conſpicere contigit, hoc quoque vidi, ubi ALBERTUS &
Num. 9. OTTO an. MCCCXXXV. adparent, cum tegumento galeæ, ex quo criſta & corona eminent. Hocce tegumentum variis poſtea
Num. 10. 11. modis adhibitum a RUDOLPHO IV. & faſciculo quodam exornatum eſt.

Coronarum quoque, quas in galeis geſſit, non eadem eſt ratio. LEOPOLDO Duci viſum eſt an. MCCCLXXXIV. pro faſcicu-
Num. 12. lo plumeo, alam in corona galeæ ſubrectam habere, in ſigillo quodam, quod alteri ſigillo ex adverſo adpoſitum eſt. WILHELMUS
Num. 13. contra pennas pavoninas itidem adhibuit, in corona quatuor eminentiis ad ſpeciem angulorum conſpicua an. MCCCCIV. SIGISMUN-
i DUS Archi-Dux in numo unciali, cuſo anno MCCCCLXXXVI. (i) ga-

(f) Fürſtenbuch a Megiſero edit. 1618. p. 149. & alibi paſſim.
(g) HUEBER Tab. VI. n. 13.
(h) Ibid. Tab. VIII. n. 2.
(i) Iconem hujus nummi, uti & ſequentium exhibet *Jacobus a* MELIEN in ſylloge nummorum Lubecæ 1698. in 4.

galeam pavoninis pennis faſtigiatam, ſeu potius integram pavonis caudam, in tres ordines diſtinctam præfert; tum etiam præter coronam, pretioſum quoddam ornamentum colli. MAXIMILIANUS jam factus Roman. Imperator in averſa parte nummi, anno MDXVI. cuſi, ex equo ſpectari voluit, pennis quatuor galea explicatis. Adparatu minus frequente comparet FERDINANDUS I. an. MDXXII. in nummo unciali, in quo inſcribitur: PRINCEPS HISPANIARVM ET ARCHI-DVX AVSTRIÆ, ibi namque caput equi criſta pennarum, at ipſius galea pileo Ducali ornata conſpicitur. Sed etiam magis inſolitus eſt iſte capitis ornatus, quo FERDINANDUS Rom. Rex & Archi-Dux Auſtriæ an. MDXLI. in galea laxata coronam radiatam habuit, poſt eamque, ad caudæ extenſæ ſpeciem exſtantes, pennas duas, ut vocant, *Struthionicas*. Hanc ego delineationem debeo humanitati Illuſtr. D. Baronis a STAIN, qui eum nummum, unde ſumpta eſt, ex inſtructiſſimo muſeo ſuo mecum communicavit. Tandem, ne nimius ſim, & in his Benevolo Lectori moleſtus, unicum illud ſubjungam diadema CAROLI V. ex nummo iconico, Imperatoris effigiem referente, ſolerti depictam manu in caſtris ad Mülbergam ſitis, cuſo anno MDXLVII. (k) Plura de his ex nummis Tomo ſequenti.

Num. 14.
Num. 15.
Num. 16.
Num. 17.
Num. 18.
k

§. V.

EX allatis hactenus imaginibus ſatis adparet, quam fuerit varius capitis ornatus Ducum Auſtriæ. Inter Hiſtoricos quidem conſtat: majores noſtros jam antiquiſſimis temporibus, Romanorum ad exemplum, in uſu galeas habuiſſe criſtatas, (l) at non ſimplici modo inſtructas. De Ducum autem noſtrorum galeis hoc in primis notandum: quod hi coronam adjungebant; ad eam vero exornandam non quodvis pennarum genus adhibitum, ſed plerumque pavoninum; hoc enim ſæculo jam tum XIII. tanti habebatur, ut ſoli videretur in patria procerum ac Ducum ornatui addictum. Antiquus Poëta ENNENCKELIUS noſtras (m) ULRICI Carinthiæ Ducis diadema ſingulare deſcribens ita canit:

Illæ ex *pennis pavoninis*, plerumque Ducibus Auſtriæ in deliciis erant;
l
m

Daz warn zwei horn hermein
Von Pauzvederen alſô dicke,
Daz alda der Sunnen plicke
Auf dem helm nicht bet ſchein,
So dick warn die vederen ſein.

Deinde ex iisdem ſchematibus quoque liquet: Ducibus Auſtriæ univerſis ab ALBERTO I. ad ſæculum XVI. usque raro alias fuiſſe pennas, quam pavoninas. Ita ſane his erant acceptæ, tamque frequentes & domeſticæ, ut haberentur quædam quaſi illorum Inſignia. *Georgius* HORNIUS (n) ſcriptum reliquit: antiquum hoc galearum Auſtriacarum ornamentum *Helvetis* olim adeo inviſum fuiſſe, ut *pavones* omnibus ſuis ditionibus exterminaverint.

n

(k) Apud LUCHIUM ſylloge numm. p. 121.
(l) Vid. CLUVER. Germ. antiq. L. I. p. 289.
(m) L. c. pag. 149.
(n) Orb. Polit. c. 4. n. 2. §. 3.

Qui hæc enarrat, Clar. *Jacobus a* MELLEN, ex laudato auctore addit exemplum satis ludicrum de Helveto quodam pennis pavonis infenso. (o) „ Hic, inquit, alio commonstrante solares in vi- „ tro, vino repleto, radios, variegatis coloribus ludentes; ac di- „ cente: en pulchram pavonis caudam! furentis instar, *inter mul-* „ *tas Domus Austriacæ execrationes*, stricto gladio vitrum illud, tam- „ quam hostem libertatis Helveticæ, confregerit. Addit HORNIUS: *quod si quis pennam pavonis in pileo gestasset; is a proximo Helvetio obviante absque ulteriore interrogatione fuisset occisus.* At vero a MAXIMILIANO I. usu venit, pro pavoninis, galeas, in nummis, pileosve pennis exornare struthionum. Atque hoc capitis ornamentum Augusta Domus ad hunc usque diem in omni splendoris ac magnificentiæ solemni spectaculo celebrat. In eo nummo, qui in memoriam habitorum Ratisbonæ comitiorum, celebratique hic introitus Imperatoris MATTHIÆ, an. MDCXIII. cusus est, pennato sistitur Imperator pileo, equo insidens. Glorioſissimus quoque hac nostra ætate imperans Cæsar Aug. majorum secutus consuetudinem, in publicis solemnibusque pompis ac ritibus, pileum etiamnum gerit, gemmis & ejusmodi pennis decoratum, tamquam illustre Majestatis ornamentum.

§. VI.

Istæ variæ generis & diversæ figuræ fuerunt.

PRæterea & *coronarum*, galeis Ducum impositarum, quas hac opera explicavimus, varia & multiformis species ac figura est. Maxima pars tamen in quodam orbe aureo consistit, qui variis ornatur floribus, radiis, aliisve eminentiis, ac lapillis pretiosis. Itaque aureus hic orbis sive circulus eam reapse exhibuit
p coronam, quæ inter insignia Principum reponenda. (p) FRIDERICUS I. Imp. etiam Duces Bohemiæ, antequam regia dignitate essent, eo nominatim beneficio adfecit: ut aureo circulo a Pra-
q genſibus Episcopis redimiti prodirent; (q) ea tamen conditione, ne in annos singulos nisi quinquies eo ornari circulo fas esset. Id intelligitur ex diplomate CAROLI IV. *Ut eodem insigni circulo ad instar Imperatorum & Regum Romanorum in Nativitate Christi & Salvatoris nostri, Paschæ & Pentecostes, nec non beatorum Wenceslai &*
r *Adalberti, Patronorum Bohemiæ festivitatibus uteretur.* (r) Sed Austriæ deinde Duci LEUPOLDO *Glorioso*, posterisque plena, & nullis conditionibus circumscripta, ab HEINRICO Rege Romanorum, FRIDERICI II. filio, facta potestas est: *Ut in sui Principatus pileo nostræ Regalis coronæ diadema solemnius deferre possit.* Hujus generis pileum coronatum conspicere licet in nummo FERDINANDI I. de
s anno MDXXII. (s) Plura quoque infra subnectam, dicturus de pileo illo coronato, quem vocant *Archi-Ducalem.* Verum de coronis jam satis a me allatum opinor. Qui plura de harum origine & varietate scire desiderant, eos ad GELLIUM, LIPSIUM, alios-
t que apud HOEPPINGIUM, (t) qui ea de re enarratius perscripse-

re,

(o) Loco cit. pag. 156.
(p) HEINECCIUS de sigill. P. I. c. X. p. 123.
(q) BALBIN. Epit. rer. Bohem. L. 3. p. 261.
(r) Apud HEINEC. l. c.
(s) MELLEN. l. c. p. 41. & in Tab. nostra n. 16.
(t) De jure insignium pag. 135. Add. THYLESIUM, PASCHALEM, SCHMEIZEL, & alios apud LYMNÆUM.

re, delegamus. Noſtri fert ratio inſtituti, cætera capitis ornamenta Ducum, ex ipſis rerum monumentis porro eruere atque exponere.

§. VII.

ALterum capitis ornamentum Ducum Auſtriæ *Pileum* conſtituo; non quo pileos criſtis & coronis, tamquam recentiores, poſtponam; ſed quia in ſuis monumentis Duces noſtri ſerius comparent pileati; ſuperioribus enim, ut dixi, temporibus capita fere adornaverant galeis. Nolim tamen inde exiſtimes, pileorum tunc uſum fuiſſe nullum; quin potius in ſigillis tantum, ac nonnumquam etiam in nummis, galeatos præbuiſſe ſe cenſendum erit. Enimvero cui in opinionem veniret, Principes noſtros aut ſingulis diebus induiſſe galeam, eaque numquam non caput oneraſſe, aut vero inceſſiſſe capite aperto? Itaque pileos non ſecus ac galeas, pariterque cum his illos uſurpatos fuiſſe neceſſe eſt. Ut vero galeis quondam, earumque ornatu præ cæteris fulgebant Duces; ita extremis temporibus, ſine galeis, etiam in ſigillis & nummis ſplendorem auctoritatis celebravere pileo, avitæ ſymbolo libertatis. At non minor eſt in ornatu pileorum, quam galearum, varietas. Quamobrem, ut diſtinctius agam, cunctas pileorum ſpecies ad duas tantum conſtitui claſſes referre. Alteros adpellabo *pileos domeſticos*, alteros deinde *coronatos*. Sic quoque diſcrimen poni ſolet inter coronas *domeſticas*, & *Imperatorias*. Me quidem non latet, ſicut forma pileorum varia fuit, modo rotunda, modo quadrata, modo in apicem ſurgens, tum depreſſa; ita horum genera & nomina fuiſſe diverſa. (u) Talia ſunt, *cappa*, *birretum*, *cofia*, & id genus alia. Verum iſta omnia ad præſtitutum duplicem ordinem commode reducuntur. Priore igitur jam loco de pileis domeſticis ſeu non coronatis, deinde etiam dicetur de cæteris.

Alterum capitis operimentum *Pilei*,

u

§. VIII.

DE quam plurimis, quos quidem mihi videre licuit, nummis, quatuordecim tantum (ut brevis ſim) easque rariores pileorum formas, in jam adducta Tabula XIX. delineandas curavi, partim Archi-Ducum, partim etiam Imperatorum hac ſtirpe oriundorum. Primum autem id obſervari oportet: quod, etſi corona iſti pilei carerent; fuerunt tamen, ex conſuetudine aliorum ea ætate Principum, ſplendidum in modum exornati. Quæ quidem ornamenta maxima ex parte pretioſis pellibus conſtabant, quas moris erat, fimbriis aureis, barbare *aurifrigiis* adpellatis, parare. Conficiebantur etiam hi pilei ex panno præſertim rubro (w) & holoſerico: replicatum operimentum haud dubie erat pellibus murinis ponticis. Formæ quidem pileorum varietas maxima eſt; ſunt tamen, qui multum ad eam ſpeciem accedunt, quam habet pileus Archi-Ducum hodiernus, in inſignibus ab Auguſta hac Gente etiam

Domeſtici;

w

(u) Vid. HACHENBERG. German. media Diſſert. XI. p. 287.

(w) Idem ibid. pag. 386.

etiam nunc habitus. Operæ igitur est, de his adcuratius dicere; quo notior inde fiat priscus Archi-Ducum & Imperatorum ornatus capitis.

Anno MCCCCLXIX. cum FRIDERICUS Cæsar MAXIMILIANI I. Imp. pater Romæ altera inauguratione Equites crearet, in ejus rei memoriam cusus est nummus, quem mihi vir solidæ eruditionis, bonisque omnibus disciplinis ornatissimus, R. P. FRÖELICH Soc. JESU, pro singulari humanitate sua impertivit. In eo nummo Imperator conspicitur, non coronam gerens, sed pileum, ab imo nonnihil replicatum, & erectum, uti in dicta Tabula sub
Num. 19. num. 19. videre est. Dissimili plane forma est iste ejusdem FRIDERICI ornatus capitis, quo nummo ad annum MDXXXI. flato
Num. 20. refertur, (x) in MAXIMILIANI I. filii sui comitatu; cujus pari-
x
Num. 21. ter capitis ornamentum in eadem Tabula ad num. 21. adponimus. Nam ille pileus FRIDERICI depressior est, & replicato operimento caret, sed a fronte gemmis ornatus. A MAXIMILIANO I.
Num. 22. porro alios sex pileos proferam, quorum unum sumpsi ex nummo triumphali MAXIMIL. Imp. cuso post pugnam ad Reginoburgum cum Boëmis commissam, & expugnatam arcem Geroltzeckianam
Num. 23. an. MDIV. (y) Alter ad eam formam accedit, qua solet vel hodie
y
depingi pileus iste Ducalis; atque hic de nummo an. MDXVIII. signato sumptus est. Eodem anno alius nummus memoriæ dicatus MAXIMILIANI I. Imp. & cusus durantibus Comitiis Augustæ
Num. 24. Vindelicorum, alia forma pileum habet; eumque, uti satis cernitur, pellitum. Differunt quoque a cæteris postremæ tres, ejus-
Num. 25. dem Cæsaris, pileorum species. Unum horum accepi ex Musæo
Num. 26. Buoliano. Alterum ex gazis Aulæ Vindobonensis. Tertius vero
Num. 27. ductus est de statua quadam, quæ in arce Ambrasiana, in qua gaza Archi-Ducum custoditur, prope ab Oeniponte, adservatur. Pileorum item quinque species dabo ex variis nummis reliquorum.
Num. 28. Archi-Ducum & Imperatorum. Iste pileus, qui in circumdatam oram sive marginem replicatus cernitur, FERDINANDO tribuendus est; extatque in nummo eleganti, cuso, urbe Wienna a Solymanno Turcarum Imp. obsidione soluta an. MDXXIX. Se-
Num. 29. 30. quentes ambo depressiores, sursum replicati pilei ab Imp. CAROLO V. perveniunt. In nummo honorario FERDINANDI, fratris CAROLI, cuso in Comitiis Augustæ Vindelicorum habitis an.
Num. 31. MDLV. pileus multo nitidior est, & replicatus specie quadam rarissima. Postremo & ille commemorandus, qui in nitido extat nummo FERDINANDI Archi-Ducis Austriæ, filii FERDINANDI Imperatoris, expeditionem in Hungariam contra Turcas suscipientis: is nummus signatus est an. MDLVI. In replicato operimen-
Num. 32. to istius pilei ornamentum breve quoddam est, quod præfixæ similitudinem pennæ gerit. Sed de his modo satis; nam plura ejusmodi, non tantum ornamenta capitum; sed totius corporis habitus, & integram de re vestiaria formam, quæ ad Principes Austriæ spectant, in Nummothecis & Pinacotheca, quas publico dare promisimus, earum rerum curiosus Lector reperiet, ubi oculos mentemque pascere poterit.

§. IX.

(x) Apud MELLEN syllogen numm. p. 1. (y) Apud LUCKIUM syllog. numm. p. 8.

Mitræ. Pilei.

33. 34. 35. 36. 37.

coronati.

38. 39. 40. 41.

et cruce instructi. Laurea.

42. 43. 44. 45. 46.

Vera Delineatio Insigne hodiernum Clauſtro-Neoburgi

n. 47.

Pilei Archiducalis Auſtriæ, quod adſervatur.



V.

§. IX.

NUnc autem veniamus ad pileos Eccleſiaſticos. Sed ut brevitate utar in re ab inſtituto noſtro nonnihil aliena, mitram tantum ſive pileum CONRADI Archi-Epiſcopi Salisburgenſis ex ſigillo, hic delineato, quod mihi ex celeberrimo vetuſtiſſimoque monaſterio Admontenſi miſſum eſt, ſtrictim explicabo, binaque ſimul alia ſchemata exempli cauſſa proferam. Inſtrumentum, cui infixum eſt hoc ſigillum, *datum an. MCLXVIII. Indict. I. XIII. Kal. Martii, anno Pontificatus noſtri IV. in loco Admuntenſi feliciter.* Certior quoque factus ſum, adſervari præterea, in ejusdem monaſterii tabulario, alios CONRADI codicillos duos, in quibus ſigilla cum hoc noſtro prorſus conveniant; unam chartarum datam eſſe Friſaci an. MCLXVII. alteram ibidem an. MCLXVIII. Res autem nota eſt, atque apud omnes pervulgata, illum Archi-Epiſcopum filium fuiſſe LIUPOLDI *Pii*, Marchionis, fratremque HEINRICI *Jachſamirgott*, primi Ducis Auſtriæ. Cum vero ornatus capitis in ſigillo non mitram cuneatam referat, ſed Ducum potius pileum, bifido quaſi vertice dilatatum, in quo quidam globulus continetur; quæſtio moveri poterit, an Eccleſiaſtici etiam, præſertim qui a Babenbergica ſtirpe ortum traxerunt, jam illis temporibus pileum Ducalem, ut inſigne geſſerint? tum quid ea in re voluerit uſus ætatis recentioris? Ad hæc reſpondeo: diadema CONRADI Archi-Epiſcopi nequaquam pro pileo Ducali, verum pro mitra habendum. Meæ autem ſententiæ ratio poſita eſt in ſequentibus. *Primo:* quia CONRADUS, antiquam conſuetudinem ſecutus, in ſigillo effingitur ſolio ſedens, adparatu Archi-Epiſcoporum, dextera manu lituum, læva librum explicatum tenens; haud utique decuiſſet, habitum ſacrum cum diademate Ducum conjungere. *Secundo:* quod Præſules Eccleſiaſtici, vel ſummo loco nati, a faſtu & oſtentatione profana ita abhorruerunt, ut in ſigillis ne quidem arma gentilitia majorum, immo nec nomina familiarum, niſi recentiore demum ætate, adhibuerint. Sed pleraque huc ſpectantia jam alio loco explicavimus. (z) Itaque *tertium* hoc eſt: quod, quamquam HEINRICUS Primus Auſtriæ Dux ad annum MCLVI. a FRIDERICO I. Imp. titulum *Ducatus* cum inſignibus, id eſt, pileum Ducalem, *circumdatum ſerto pinneato* accepit; non inde tamen conficitur, & fratrem hujus, Archi-Epiſcopum Salisburgenſem, *Ducem* factum eſſe, aut *pilei Ducalis* participem. *Quarto* loco adducendum ſigillum OUDALRICI Patavienſis Epiſcopi, reperiundum in archivo Mellicenſi. (aa) In hoc enim caput mitra opertum conſpicitur, quæ, quemadmodum altera illa, non in apicem ſurgit, ſed in orbem dilatata & ab imo replicata capitis tegumento pellito perſimilis eſt. Sigillum datum eſt anno MCVIII. *Quinto* tandem argumento, oſtendunt faſciæ, utrinque per tempora defluentes, ambas infulas eſſe Epiſcoporum, ut in ea ætate formatas ſcilicet, & non pileos Ducum. Omnia, quæ diximus, comprobantur etiam ex nummis Abbatum Hersfeldenſium, quos edidit Clar.

Eccleſiaſtici.

TAB. XX. Num. 33.

z

aa

Num. 34.

(z) Genealog. Diplom. Aug. gentis Habsburg. Prol. p. 9. & L. I. c. 17. p. 100.

(aa) *Philib.* HUEBER Auſtr. ex Archiv. Mellicenſ. Tab. I. n. 2.

Clar. *Chriſtianus* SCHLEGELIUS: ibi namque videre eſt, mitrarum formam multum fuiſſe variam, alias nempe parvas & demiſſas, ut vix videantur a pileis differre, partim bicornes, alias faſtigiatas.

Ad alteram vero propoſitæ quæſtionis partem paucis repono: uſu veniſſe propioribus noſtræ ætati temporibus, ut Archi-Duces Auſtriæ, qui ſacræ familiæ ſe addixiſſent, ita fere ſignari nummos facerent, ut in antica parte imago propria cum habitu Eccleſiaſtico, in poſtica vero illius inſignia Eccleſiæ, cui præeſſent, cum Auſtriacis conjuncta exſtarent. Neque ea res fidem deſiderat; quod hujusmodi nummi paſſim occurrunt. Ex veteri tamen icone OTTONIS Epiſcopi Friſingenſis, quæ in Abbatia S. Crucis juxta refectorium ad fontem plumbeum in feneſtris picta viſitur, ſchema quoque mitræ cuneatæ hic addere placet. Ea bicornis & faſtigiata eſt, ad cujus formam hodiernus uſus in multis accedit. Initio quidem in ſigillis erat Epiſcopi cujusvis, ab Auſtriaca gente oriundi effigies ſola; tum vero arma gentilitia ſimul, infra aut ad latera, poni cæpta ſunt; poſtea intermiſſa nonnumquam imagine, ſatis habitum, ad exemplum aliorum Principum, inſignia præferre, eaque tam gentilitia, quam quæ ad Eccleſias ſpectant. Hæc de Eccleſiaſticis ſatis. Jam revertamur ad Principes ſæculares.

Num. 35.

§. X.

Pilei coronati.

UT quondam placuit Auſtriæ Principibus galeas ſuas ſertis & criſtis plumeis adornare; ita creſcente uſu (quo factum, ut Duces & Archi-Duces, poſita galea, pileatos ſe præberent) cœptum eſt, eos pileos decorari coronis, arcubus, globulisque cum figura crucis; quamquam in his quoque ornamentis maxima varietas reperitur. Duo tamen hic ſtatui poſſe arbitror. Primum, quod jam initio hujus Diſſertationis monitum: ab Imperatoribus Regibusque Romanorum ſingulari beneficio conceſſum eſſe Ducibus Auſtriæ (ut contextum ſequar diplomatum) *in ſui principatus pileo noſtræ Regalis coronæ diadema ſolemnius ferre, & crucem noſtri diadematis, ſuo Principali pileo ſufferendam.* Ex quo rite conficitur: illam pilei Ducalis varietatem in ſigillis & nummis reperiundam, vel ex arbitrio Principum, aut etiam quandoque artificum dumtaxat eſſe profectam. Alterum, quod animadverto, hoc eſt: ab eo tempore, quo Principibus Auſtriæ datus eſt *in ſtylo curiæ* titulus ARCHI-DUCIS, quod accidit an. MCCCCLIII. nihil ab his diademati additum eſſe, quod non priſci Marchiones, primique ex progenie Babenbergica Duces ab Imperatoribus ac Regibus Romanorum jam olim beneficii æquitate impetraſſent. Quid, quod Archi-Duces ex gente Habsburgica ſæpiſſime unum aut alterum ornamentum in pileis omiſere, quo uti pariter cum cæteris vel maxime per dicta privilegia licuiſſet: quod illos arguit, qui eam laudem invidia obterere ſtudent, adferentes temere: iſta tanta ornamenta ab Imperatoribus Habsburgo-Auſtriacis proficiſci, ſibique tamquam Archi-Ducibus adſcita vendicari; proinde in ſuam familiam æquo plus fuiſſe liberales.

§. XI.

§. XI.

QUæ res ut lucide adpareat, brevitati ſerviens decem tantum proferam pileos Archi-Ducum. Exordiar autem a FRIDERICO *Pacifico* Imp. qui dato diplomate primus juſſit, Principes Auſtriæ, curiæ formula, ARCHI-DUCES inſcribi. Is in præclaro quodam ſigillo, cujus ectypa dedimus *Diſſert. I. Tab. X. ad n. II.* compareſ equo inſidens, tamquam Archi-Dux, pileo coronato tectus, in quo unus tantummodo conſpicitur arcus coronæ Regum Rom. ac præter alterum arcum omittitur globus cum cruce, itemque pellium murinarum ponticarum ornatus, qui tamen, apud cæteros, Ducalis pilei inſigne ſolet referre. SIGISMUNDUS Archi-Dux conſpicitur etiam in nummo (bb) cuſo an. MCCCCLXXXIV. cum unico tantum arcu; in illo autem globulus extat cum cruce; corona radiata eſt, & ſummus pileus depreſſum cavum habet, etiam in aliis poſthac conſpicuum. FERDINANDI Archi-Ducis, Comitis Tyrolis tempore in nummis flatis an. MDLXXIII. & circiter, ita exhibetur pileus Archi-Ducum, ut ad eam ſpeciem, qua nunc eſt, accedat propius. RUDOLPHUS II. Imp. in averſa parte nummorum an. MDCIII. cuſorum ſcutis adponi fecit pileos, quorum alter adornatus pellibus murinis ponticis, radiis coronæ, geminato in decuſſationes arcu, globoque cum cruce impoſita. Verum poſt triennium, ſcilicet an. MDCVI. in alio nummo Archi-Ducalem prætulit pileum, cujus radii coronæ in totidem ſigna crucis exeunt, pellibus tamen & globulo omiſſis. MATHIÆ II. Regi Hungariæ viſum eſt an. MDCIX. pileum ſupra ſcutum adponere, in quo etiam, miſſo globulo, ſed retenta cruce, alia pro pellibus ponticis ornamenta, præfixique videntur globuli. A FERDINANDO II. pileus Archi-Ducalis, inſignia Auſtriacorum tegens in nummo anni MDCXVI. ita comparatus eſt, ut ponticæ pelles in coronæ radiis adpareant. At vero pileus LEOPOLDI Archi-Ducis & Comitis Tyrolis, in nummo unciali an. MDCXXVIII. ſine pellibus, cum radiis tamen coronæ conſpicitur: atque in his globuli exiſtunt, ſuperimpoſitis crucibus inſtructi. Denique FERDINANDUS III. in nummo unciali an. MDCXXXVIII. ſuper inſignia pileum præfert, in quo radii coronæ ornati cernuntur encarpis, ſeu vario florum frondiumque implexu; tum etiam ipſe pileus virgarum ad ſe inclinatarum implicatione & ornatus varietate diſtinctus; guttatæ vero iſtæ pelles ponticæ abſunt.

Proferuntur decem illorum ſchemata.

bb

Num. 36. Num. 37. Num. 38. N. 39. & 40. Num. 41. Num. 42. Num. 43. Num. 44. Num. 45.

Atque, ni fallor, multitudo illa locorum, in regnis & provinciis ditionis Auſtriacæ, flandis nummis deſtinatorum, eam, quæ extremis his temporibus occurrit, varietatem diadematis Archi-Ducum produxit; quamquam forma & figura pilei a MAXIMILIANO, Ordinis Equeſtris Teutonici Magiſtro, monaſterii Clauſtro-Neoburgenſis cuſtodiæ religionique an. MDCXVI. commiſſi, tamquam norma hodierni diadematis, atque adeo & deſignandorum tunc ſaltem, aut inpoſterum, in nummis pileorum, ab omnibus monetam cudentibus, præſertim vero ipſis rei nummariæ Præfectis, debuiſſet omnino obſervari. Prius autem, quam ad dicti

(bb) Apud MELLEN ſyllog. numm. pag. 150.

Archi-Ducalis pilei explicationem abeamus (missis cæteris capitis tegumentis, quæ in monumentis Austriacis recurrunt, puta coronis, quarum alia *Domestica* dicitur, de qua ad calcem hujus Dissertationis BALBINI locum in medium adducemus; aliæ ad Romanum Imperium regnaque Hungariæ & Bohemiæ pertinent; *Longobardica* item alia, qua FRIDERICUS *Pacificus* a NICOLAO V. Papa redimitus fuit; omissa quoque differentia illa coronam inter veterum Hispaniæ Imperatorum, & Austriacorum Hispaniæ Regum, quam Clar. CHIFLETIUS in suis vindiciis Hispanicis exposuit) tenemur, datam ab initio, fidem hic absolvere, exponendo etiam de aliis quibusdam Archi-Ducibus, qui in suis nummis vel laureolis conspicui sunt, vel ornatu diadematum omnino carent.

§. XII.

MAXIMILIANUS I. Archi-Dux Laureatus.

SIngularem proinde notam hoc loco exposcit nummus, qui in honorem MAXIMILIANI, Archi-Ducis, nondum Regis Romanorum, anno MCCCCLXXIX. editus est. In hoc ille undeviginti annos natus, exhibetur cum conjuge, MARIA Burgundica, annorum viginti. Hæc omni diademate destituitur; ille autem pilei coronati, seu Archi-Ducalis loco, *lauream* præfert. Num. 46. Notum est omnibus: *lauream* solitum illud fuisse priscorum Cæsarum ac Regum decus, nec non antiquissimum victoriæ signum. Itaque, cum MAXIMILIANUS, ob multa virtutis bellicæ specimina præclarum etiam *Magnanimi* cognomen adeptus, dicto hoc anno, quo cusus est nummus, fuso fugatoque ad Guinegatum, Artesiæ vicum, Cordæo Duce, eximiam adversus Gallos victoriam obtinuit; factum, ut victori *laurea* pluris esset, quam pileus dignitate Archi-Ducis. Hunc nummum jam ære excusum dedit Doct. D. *Jacobus a* MELLEN. (cc) Nos vero de eo, aliisque MAXIMILIANI I. nummis plenius agemus Tomo sequenti in Nummotheca Austriaca.

cc

§. XIII.

Cæteri nudo capite nonnumquam comparent.

CÆtera non eam legem sibi dixerant Principes Austriæ, ut diadematum usum, ad effigies in capite, haberent perpetuum; quin se interdum quoque præberent capite aperto. Idem namque faciunt alii Principes multi, item Reges atque Imperatores, qui satis habent, diadema suum insignibus superimponere, aut qua ex parte effigiei adjungere; ut ea re suam significent majestatem. Tales non pauci adsunt nummi Austriaci, in quibus Principes nudo capite spectantur: neque Archi-Duces soli, ut in his MAXIMILIANUS Supremus Magister Ordinis Teutonici, LEOPOLDUS frater FERDINANDI II., CAROLUS Brixiensis Episcopus & Ordinis Teutonici Magister, FERDINANDUS CAROLUS, aliique; sed etiam Imperatores Romanorum, MATHIAS, RUDOLPHUS II. & alii passim. (dd) Utrum vero aperiendi capitis causa fuerit ipsum Principum ac Ducum, veteres Germanos imitandi, studium; nam de his narrant tam Græci quam Ro-

dd

(cc) Ibid. pag. 5. & 9.

(dd) Ibid. pag. 73. 84. 168. & seq.

Romani, eos ſine ullo capitis tegumento inceſſiſſe; an vero pictorum, eorumque, qui nummos ſignabant, diligentia, nudæ potius naturæ, quam diadematibus cæterisque tegumentis, artem obſcurantibus, oſtentanda, id non facile intelligitur; quandoquidem iſtæ variationes non minus fuerunt, & adhuc ſunt, in manu artificum, quam Principum.

§. XIV.

TAndem & ad hodiernum venimus pileum Archi-Ducum. Is a MAXIMILIANO, Archi-Duce Auſtriæ, & Supremo Teutonici Ordinis Magiſtro, in ſingularem S. LEOPOLDI honorem venerationemque inſtitutus, & iis votis in cœnobium Clauſtro-Neoburgenſe relatus eſt, ut illic in perpetuum adſervatus, uſui haud umquam inſerviat, niſi cum ætate major Archi-Dux Auſtriæ, vel hæreditariam ejus provinciæ poſſeſſionem accipit, vel a Romanorum Imperatore inaugurandus, præſens ſolemni ritu admittitur; ut in illis nempe celebritatibus, ornatus hoc diademate compareat. Iſtam pilei Archi-Ducum inſtitutionem pius auctor ſtabilivit ipſe, publica auctoritate, Wiennæ an. MDCXVI. die XXVII. menſis Novembris, promulgata; quam anno proximo die IX. menſis Aprilis MATHIAS Imp. ſuo diplomate confirmavit; tum anno MDCXXVII. die IV. Nov. PAULUS V. litteris Pontificiis reddidit ſanctiorem. Tria hæc inſtrumenta ad calcem Diſſertationis recenſebo; ritus vero, quos in homagii publica panegyri adhiberi ſolent; leges item ceremoniales, quæ advehendo portandoque hocce pileo in ſolemnibus obſervantur, alii data opera jam deſcripſerunt. (ee)

Pileus Archi-Ducalis hodiernus, auctorem habet MAXIMILIANUM III. Supremum Ordinis Teutonici Magiſtrum.

ee

§. XV.

IPſe quidem MAXIMILIANUS ſuis his litteris publicis iſtius pilei formam & modum declarat, nominatque PILEUM & coronam ARCHI-DUCALEM, item KLEINOD & HAUPT-ZIERDE, id eſt, *diadema & ornamentum capitis.* Coarctat autem ſuam deſcriptionem paucis his verbis: Se imagini S. LEOPOLDI umbilico tenus formatæ „ profunda cordis humilitate ac ſumma animi re„ verentia, biretum & coronam, ſeu diadema aureum Archi-Du„ cale, ſummo ... ſtudio pretioſis unionibus, ac rarioribus mar„ garitis orientalibus undique decentiſſime ornatum ſuperimpo„ ſuiſſe. Quoniam vero nos iſtius pilei delineationem, magnitudine, omnibusque cum ſuis ornamentis, ut ſpectatur, in ære inciſam hic edimus; quod quidem hactenus feciſſe neminem novimus; non abs re erit, ſi adcuratam quoque ejus explicationem ſubtexamus. Nimirum hoc capitis ornamentum pileus Archi-Ducalis eſt, ex holoſerico rubro confectus, cum replicato operimento pellibus murinis ponticis, in cujus laxato circuitu ad pileum circumfertur corona aurea radiata, reflexis ſuper in decuſſationes duo-

Ejus deſcriptio.

Num. 47.

(ee) Vid. Comment. de Hæredit. Provinc. Auſt. Officialibus ap. Excell. auctorem Collect. Geneal. Hiſt. ex archivis Auſtriæ, Adde Erb-Huldigungs Acta de an. 1712. & ſeq.

bus arcubus, ſuperimpoſitoque globo cum cruce ſubrecta. Imus pileus ad extremas usque oras in octo pollices per mediam lineam extenditur: intrinſecus autem diameter ſex ſemis pollicum eſt. Sublimis fertur ad ipſam extremitatem crucis octo pollices & ſextam. Altitudo holoſerici, cui incumbunt arcus, pollicum quinque cum partibus duabus tertiæ. Ad eminentias ſeu radios usque infra margaritas pollices ſunt quinque. Operimentum pellitum replicatur ſurſum pollices quatuor; ejus quoque ora ſuprema in octo orbiculatas partes diſtinguitur, atque in ſingulis una muris pontici cauda conſpicitur. Ad hæc ſeparationum intervalla, octo quoque exſtant in corona eminentiæ aureæ, habentes in medio magna ſpecie rubinos & Smaragdos alternis inſertos; cingunturque grandes hæc gemmæ adamantibus, & quatuor rubinis Smaragdisve minoribus. In ipſo apice grandis eminet adamas, & in utraque parte ſeries adamantum minorum. In ſingulis coronæ radiis eſt unio rotundus aut oblongus. Arcus iſti aurei, ſuper holoſericum rubrum ſe decuſſantes, multis unionibus & gemmis diſtinguuntur. Globus ipſe Saphirus eſt, aureo circulo incluſus, cujus diameter ſeu media linea integrum æquat pollicem. Impoſita crux aurea rubinis, Smaragdis, adamantibus & unionibus nitidiſſima. Ex adcurata hac explicatione ac delineatione eluceſcit: pileum Archi-Ducalem non *ſeptem*, ut credunt nonnulli, verum *octo* acumina, ſeu radios coeuntes circulo habere. (ff) Denique ſumma Archi-Ducalis pilei pars non eſt per mediam depreſſa aut cava, ut eam paſſim fingunt pictores, ſculptoresque, & qui nummos cudunt; verum, uti noſtro ſchemate exhibetur, liquido planiſſima.

ff

§. XVI.

Locus apud BALBINUM gg hh de *Corona Domeſtica* a RUDOLPHO II. Imp. Domui Auſtriacæ comparata, adducitur.

COronidis loco juvat hic in medium adferre, quæ BALBINUS (gg) ex ANSELMO (hh) de *Corona* Imperiali nova, ſeu *Domeſtica*, a RUDOLPHO II. Imp. gazis Aulæ Vindobonenſis illata, notitiæ cauſſa ſic memorat: *Oſtendit etiam corona illa Imperatoria, quam S. Cæſ. Majeſtas fieri juſſit ex adamantibus, unionibus, rubinis, auroque puro, aliquot centenis aureorum millibus conſtans, & præterea torques ex præcipuis gemmis concinnata, valore ac pretio coronam ſuperans . . .* Corona *illa* Rudolphina *hodieque in Cæſaris noſtri* LEOPOLDI (dicam ego Auguſtæ noſtræ MARIÆ THERESIÆ) *gazophilacio, una cum pomo & ſceptro* (de quibus nos in ſequenti Diſſertatione agemus) *ſpectatur:* Domeſtica corona *appellata.* Et ibidem pag. 87. proſequitur laudatus auctor: *In corona aurea Rudolphina quam plurimi uniones cum gemmis concertant, mirabili prorſus lucis hilaritate. Præcipuus unio eſt pyri Muſcatellini magnitudine, qui velut regnator omnibus ſeu gemmis, ſeu unionibus quodammodo ſilentium imponit: emptus eſt unus ille unio triginta millibus aureorum: ut qui operi præfuit, teſtatur.*

I. DI-

(ff) Vid. Germ. Princeps L. I. c. 4. p. 344.
(gg) Hiſt. miſcell. Boh. T. I. pag. 86.
(hh) In lib. de Hiſt. Gemmar. & lapid.

I.

DIPLOMA SANCTIONIS

Statuæ argenteæ & pilei Archi-Ducalis, quæ in honorem S. LEOPOLDI *Marchionis Auſtriæ* MAXIMILIANUS *Archi-Dux, Supremus Ordinis Teutonici Magiſter, Eccleſiæ, quæ* Clauſtro-Neoburgi *eſt, offerebat die XXVII. Novemb. an. MDCXVI.*

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis, DEI Patris Omnipotentis, Filii & Spiritus ſancti, Amen.

„ NOs MAXIMILIANUS DEI gratia Archi-Dux Auſtriæ, Dux „ Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & Wirten- „ bergæ, magni Magiſtratus Ordinis Teutonici in Bruſſia „ Adminiſtrator, ejusdemque per Germaniam & Italiam Magiſter, „ Comes Habspurgi & Tyrolis &c. Univerſis & ſingulis cujus- „ cunque dignitatis, ſtatus & conditionis præſentes hasce noſtras „ viſuris, lecturis, ſeu legi audituris ſalutem in Domino, & om- „ ne bonum a DEO optimo maximo precantes, pro perpetua & „ nunquam intermoritura rei memoria hanc piam intentionem no- „ ſtram litterarum monimentis conſignatam innoteſcere volumus. „ Cum dubio procul ſingulari Spiritus ſancti inſtinctu, & antiqua „ in fidem Catholicam ac religionem, orthodoxam zelo & devo- „ tione, nec non pio ſinceroque erga Divini Numinis cultum, to- „ tiusque cœleſtis curiæ, imprimis vero ſancti Prædeceſſoris no- „ ſtri LEOPOLDI, Auſtriæ Marchionis, venerationem, deſiderio „ & affectu pro noſtræ itidem animæ ſalute, ac perenni ſolatio, „ jam dudum apud nos conſtituerimus, ejusdem Sancti Marchio- „ nis LEOPOLDI venerandas reliquias, quæ in monaſterio cellæ „ Sanctæ Mariæ Neoburgenſi ad Danubium in Auſtria ſito, vul- „ go *Cloſter Neuburg* dicto, Diœceſis Paſſavienſis, ab eodem Di- „ vo LEOPOLDO pie quondam exſtructo, atque egregie dotato, „ religioſe conſervantur, in memoriam tantæ Sanctitatis Patroni, „ quantum fieri poteſt, de iis, quæ nobis divinitus conceſſa fue- „ re, fortunæ bonis ſimplici grata animi propenſione condecora- „ re. Quippe nullatenus dubitantes, hujus præcipue Sancti „ LEOPOLDI continuis precibus DEUM optimum maximum in- „ ductum, familiam iſthanc Auſtriacam e priſtino *Marchionum ſta-* „ *tu* ad ſublimen *Archi-Ducum dignitatem* evexiſſe; unde condi- „ gnum omnino nos officium præſtituros arbitrati fuimus, ſi tanti „ honoris ac celſitudinis authorem ac Patronum; condigno etiam „ *Archi-Ducalis diadematis* honore ornando, noſtram in ipſam gra- „ ti animi memoriam, ac obſervantiam cum pio quodam devo- „ tionis affectu toti orbi Chriſtiano, cumprimis vero chariſſimæ „ patriæ noſtræ Auſtriæ teſtatam relinqueremus. Quocirca re- „ bus ad id omnibus inſtructis Nos proxime elapſum ejusdem ſan- „ cti Patroni LEOPOLDI feſtum celebraturi hinc ad monaſterium

„ ſupra-

„ ſupradictum cellæ Sanctæ Mariæ *Neoburgum* aſcendimus, ibi-
„ demque ante inchoatum ſacrum majoris miſſæ officium, præ-
„ ſente univerſo populo, prælectoque imprimis, hujus noſtri di-
„ plomatis ſenſu, publica in ipſa Sancti LEOPOLDI feſtivitate,
„ eidem Patrono noſtro devote obtulimus ſtatuam ſeu imaginem
„ argenteam pectoretenus ſuis locis auro illuſtriorem redditam,
„ ipſamque in quantum e temporis vetuſti memoria colligi potuit,
„ ſub pectus ſæpe dicti Sancti LEOPOLDI, dum in terris quon-
„ dam ſuperſtes floreret, figuram & effigiem repræſentantem, in
„ cujus capitis vertice ejusdem ſancti Patroni ſacri capitis pretio-
„ ſæ reliquiæ per venerabiles ac devotos nobis fideles, & dile-
„ ctos *Andream* MOSMILLNER Præpoſitum ejusdem monaſterii
„ Sanctæ Mariæ Cellæ *Neoburgenſis*, & *Georgium* FALBIUM Ab-
„ batem Gottwicenſem, ea, qua decet reverentia impoſitæ fue-
„ re. Cui nos tunc profunda cordis humilitate, ac ſumma animi
„ reverentia Biretum, & coronam ſeu *diadema* aureum *Archi-Du-*
„ *cale* ſummo per nos ſtudio pretioſis unionibus, ac rarioribus
„ margaritis orientalibus undique decentiſſime ornatum ſuper im-
„ poſuimus : atque hanc ſtatuam, ſeu Divi LEOPOLDI imagi-
„ nem argenteam, una cum *Archi-Ducali* Tyara, ac corona, di-
„ cti monaſterii Præpoſito in ſuam fidem ac diligentem cuſtodiam
„ nos ipſi tunc ſtatim tradidimus ; qui etiam una cum capitulo
„ ſibi ſubjecto, ſingulari nobis chyrographo ſuper inde cavit: ac
„ nos inſuper ſolemni proteſtatione ſancimus, ac ratum volumus,
„ quod ſi ullo unquam tempore a quovis mortalium, quacunque
„ tandem in dignitate ac honoris gradu conſtituto, diadema, aut
„ ſtatua illa argentea, quocunque modo, ratione ſeu nomine, id
„ fieri aut excogitari poſſet, temerario ac ſacrilego auſu auffer-
„ retur, ſeu quovis modo ſubtraheretur, is nimirum cujusvis ſe-
„ xus, dignitatis, aut conditionis exiſtat, perpetuum anathema-
„ tis, banni, & excommunicationis vinculum incurrat, tantique
„ ſceleris pœnas maledictioni ſempiternæ immerſas luat. Quem-
„ admodum etiam præſentium tenore DEUM optimum maxi-
„ mum continue, devote & humiliter obſecramus, ac obſecra-
„ tum volumus, ut hujus ſeu eorum ſacrilegis cervicibus, ſi qui
„ forte eſſent, qui diadema illud ſacro Divi Marchionis capiti ne-
„ fariis manibus quandocunque ſubtrahere auderent, eadem co-
„ rona execrando gehennæ igni candens æternum immineat. Hoc
„ tamen expreſſe excipientes, ut ſi impoſterum major Auſtriæ
„ Archi-Ducum, quandocunque ad actum Auſtriæ Homagii per-
„ ficiendum, ſive a Rom. Imperatore perſonaliter inveſtituram
„ Auſtriacorum regalium recipiendam diademate illo condecora-
„ tus comparere vellet, id hac lege ei licitum ſit, ut ad ſummum
„ unius menſis, ſeu triginta dierum ſpatio, ſartum, tectum, in-
„ violatum, ac integrum, in ſæpe dicto monaſterio Sanctæ Mariæ
„ Cellæ *Neoburgenſi* ſub cuſtodiam Præpoſiti ac Capituli ibidem
„ per ipſum remittatur, ac fideliter reponat. Contrarium vero
„ facientes, ſupra dictas ſe ſe incurriſſe maledictiones, ibidem
„ ſciant. Quæ omnia & ſingula, ut perpetui atque in æternum
„ duraturi roboris vim obtineant, imprimis a Sanctiſſimo Domino

„ no-

„ noſtro PAULO V. ſummo Pontifice, nec non ab invictiſſimo Ro-
„ manorum Imperatore MATHIA I. Domino ac fratre noſtro, tan-
„ quam Auguſtæ noſtræ familiæ Rectore provinciarumque harum
„ Domino nobis Clementiſſimo dilectiſſimoque, eorum omnium
„ ſpeciales confirmationes impetravimus, quorum & diploma
„ cum hoc noſtro præſato Præpoſito & capitulo ſæpedicti mo-
„ naſterii Cellæ Sanctæ Mariæ *Neoburgenſis:* alterum vero ejus-
„ dem penitus tenoris diploma noſtrum, Viennæ in archivo Regi-
„ minis Inferioris Auſtriæ perpetuo ſervanda tradidimus. Ter-
„ tium denique penes nos retinuimus: Eodem quo cepimus has-
„ ce noſtras concludentes & corroborantes in Sanctiſſimæ & Indi-
„ viduæ Trinitatis ac Omnipotentis DEI Patris, Filii, & Spiritus
„ ſancti nomine Amen. Amen. Amen. Datæ Viennæ Auſtriæ
„ die Dominico menſis Novembris XXVII. anni Virginei partus
„ MDCXVI.

II.

BULLA PAULI V. PAPÆ,

Diploma Sanctionis, a MAXIMILIANO *Archi-Duce,* DIVO LEOPOLDO *Marchioni in Eccleſia Neoburgenſi factæ, confirmans, die IV. Febr. anno MDCXVII.*

PAULUS PP. V.

„ AD perpetuam rei memoriam. Piis Catholicorum Principum
„ votis, quæ ex devotionis fervore prodeunt, & Sancto-
„ rum cultum ac venerationem reſpiciunt libenter intendi-
„ mus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exponi ſiqui-
„ dem nobis nuper fecit dilectus filius nobilis vir MAXIMILIANUS
„ Archi-Dux Auſtriæ: quod ipſe peculiari erga Sanctum LEO-
„ POLDUM, dum vixit, Auſtriæ Marchionem, cujus ſacras reli-
„ quias in Eccleſia monaſterii Cellæ Sanctæ Mariæ oppidi de
„ *Cloſterneuburgh* Paſſavienſis Diœceſis, aſſervari aſſeruit, devotio-
„ nis affectu ductus, utque ſuam erga eundem Sanctum, cujus
„ apud DEUM interceſſione & meritis familia Auſtriaca felici-
„ bus creditur proceſſiſſe incrementis, venerationem cum grati
„ animi ſignificatione teſtaretur, ſtatuam argenteam, auro ſuis lo-
„ cis illuſtratam, & ſub pectus dicti Sancti effigiem præſeferen-
„ tem, in cujus vertice ſacræ reliquiæ reconditæ fuerunt, eidem
„ Sancto obtulit, ac inſuper dictæ ſtatuæ coronam ſeu *Diadema*
„ *Archi-Ducale* aureum, ſummo ſtudio, pretioſis ac rarioribus
„ margaritis, nec non unionibus ornatum, ſuper impoſuit, ipſam-
„ que ſtatuam cum corona ſeu diademate hujusmodi præfatæ Ec-
„ cleſiæ, & pro ea, illius Præpoſito & Capitulo in illorum fidem
„ & cuſtodiam, habita prius ab eis, idonea deſuper cautione,
„ tradidit & donavit, & alias, prout in patentibus dicti MAXIMI-

„ LIANI desuper confectis litteris plenius dicitur contineri. Cum „ autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus MAXIMI- „ LIANUS, pro majori præmissorum firmitate ac subsistentia, illa a „ nobis & Apostolica sede confirmari, & alias, ut infra, per nos „ statui & ordinari summopere desideret. Nos eundem MAXI- „ MILIANUM specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, „ & a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, „ aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel „ ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo- „ modolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat „ consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore cen- „ sentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter „ porrectis inclinati, donationem statuæ cum corona seu diade- „ mate hujusmodi per dictum MAXIMILIANUM præfatæ Eccle- „ siæ, ut præfertur, factam, Apostolica auctoritate, tenore præ- „ sentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique invio- „ labilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Et insuper sta- „ tuæ ac coronæ, seu diadematis hujusmodi conservationi consu- „ lere volentes; ne de cætero quisquam, cujuscunque dignita- „ tis, status, gradus & conditionis exstiterit, ac quacunque au- „ ctoritate tam ecclesiastica, quam seculari fungens, statuam & „ coronam vel diadema hujusmodi sub quovis prætextu, aut „ quæsito colore, causa, ratione, & occasione, extradictam Ec- „ clesiam portare, vel extrahere, aut aliis Ecclesiis, monasteriis, „ & locis piis commodare, etiamsi animum illos deinde referendi „ habeat, aut ut exportentur, seu extrahantur, aut commoden- „ tur, permittere, vel consentire quoquo modo audeat, seu præ- „ sumat, sub majoris excommunicationis latæ sententiæ pœna, „ auctoritate & tenore præfatis interdicimus, & prohibemus. „ Permittimus tamen, ut si imposterum major Archi-Ducum Au- „ striæ ad actum homagii perficiendum, sive investituram Au- „ striacorum regalium a Romano Rege in Imperatorem electo, „ seu eorundem Romanorum Imperatore personaliter recipiendam „ corona, seu diademate hujusmodi ornatus apparere vellet, li- „ bere hoc facere possit; dummodo infra triginta dies, ad sum- „ mum, corona seu diadema hujusmodi inviolatum atque inte- „ grum, ad monasterium & Ecclesiam præfatam, sub Præpositi & „ Capituli prædictorum custodiam, sub præfata pœna remittatur. „ Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, „ privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis quibusvis per- „ sonis, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum „ quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacio- „ ribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in ge- „ nere vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomo- „ dolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus „ & singulis eorum tenoribus, præsentibus pro plene & sufficien- „ ter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo „ robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse „ derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus „ autem: quod præsentis prohibitionis copia in valvis Sacristiæ

„ di-

„ dictæ Ecclesiæ, aut aliquo alio perspicuo loco, unde ab omni-
„ bus cerni possit, continuo affixa remaneat. Datum Romæ
„ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die quar-
„ ta Februarii. MDCXVII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

(L. S.) S. Card. S. Susannæ,
H. de la Plume.

III.

Mathias *Imp. Sanctionem* Maximiliani *Archi-Ducis, Divo* Leopoldo *Claustro-Neoburgi factam, auctoritate sua roborat, die 9. Aprilis anno MDCXVII.*

„ Mathias Divina favente clementia electus Romanorum
„ Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ,
„ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex,
„ Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ,
„ Carinthiæ, Carnioliæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lu-
„ cenburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, Wirtenbergæ,
„ & Teckæ. Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis,
„ Ferretis, Kyburgi & Goritiæ. Landgravius Alsatiæ, Marchio
„ Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac superioris & inferioris Lu-
„ satiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Sali-
„ narum &c. Ad futuram rei memoriam agnoscimus, & notum
„ facimus, tenore præsentium, universis: quod, cum auctorita-
„ tem nostram Imperialem iis, quæ ad cultus divini propagatio-
„ nem, Ecclesiarum splendorem & ornamentum, atque Sancto-
„ rum venerationem pertinent, ubicunque possimus, libenter im-
„ pertiamur, id imprimis in regnis & provinciis nostris hæredita-
„ riis, ubi eorum, quos Augustissima Domus nostra Austriaca Di-
„ vos & Sanctos Patronos tutelares veneratur, memoria pie con-
„ servanda merito nobis faciendum ducimus. Unde cum Reve-
„ rendissimus, & Serenissimus Maximilianus Archi-Dux Au-
„ striæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Wir-
„ tembergæ, &c. Administrator magni Magistratus in Brussia
„ Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam Magister, Comes
„ Habspurgi & Tyrolis, &c. Frater & Princeps noster charissi-
„ mus, insigne pietatis suæ monumentum pretiosis sancti Prædе-
„ cessoris & Patroni nostri Divi Leopoldi Marchionis Austriæ
„ reliquiis, quæ in monasterio Cellæ Sanctæ Mariæ *Neoburgensi*
„ ad Danubium in Austria abs se pie quondam exstructo & splen-
„ dide dotato, religiose asservantur, obtulerit, ibidemque per-
„ petuo conservari voluerit, quemadmodum laudatissimam hanc
„ intentionem suam peculiari diplomate super ea re solemniter
„ confecto testatam reliquit; cujus tenor sequitur in hæc verba:

„ *Nos Maximilianus Dei gratia Archi-Dux Auſtriæ &c.* Nosque
„ etiam Dilectio ſua fraterne rogaverit, ut pro majore validitate
„ præinſertum diploma auctoritate quoque noſtra Cæſarea be-
„ nigne clementerque approbare, ratificare, & confirmare di-
„ gnaremur; æquiſſimæ ejusdem petitioni merito annuendum du-
„ ximus. Ac proinde ex certa ſcientia, animoque bene deli-
„ berato, & poteſtate noſtra Imperiali atque Archi-Ducali, ſu-
„ pradictam fratris noſtri chariſſimi donationem, fundationem,
„ piamque diſpoſitionem in omnibus ſuis punctis, clauſulis & ar-
„ ticulis ratam gratamque habentes, laudavimus, approbavimus,
„ & confirmavimus; quemadmodum vigore præſentium lauda-
„ mus, approbamus, & confirmamus. Decernentes eandem ab
„ omnibus & ſingulis cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, con-
„ ditionis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, perpetuis futu-
„ ris temporibus accurate & inviolabiliter obſervari debere, qua-
„ tenus præter pœnas graviſſimas, quarum comminationes præ-
„ inſerto diplomate continentur, noſtram quoque & Sacri Imperii
„ indignationem evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum
„ manu noſtra ſubſcriptarum & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione
„ munitarum. Datum in arce noſtra regia Pragæ, die nona men-
„ ſis Aprilis anno Domini MDCXVII. Regnorum noſtrorum Ro-
„ mani quinto, Hungarici nono, Bohemici vero ſexto.

MATHIAS.

Vice Rev. Domini Joan. Suicardi,
Archi-Cancellarii et Elect. Mog.

V. Sl. v. Ulm.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ
Majeſtatis proprium.

Joh. Barvitius.

DISSER-

DISSERTATIO VIII.

De Veſte Ducali, gladio, vexillo, baculo ſive ſceptro, globo cruce inſtructo, & cæteris Auſtriæ inſignibus, horumque uſu & ordine in pompis & ritibus publicis.

PRÆMONITUM.

Præter ſcuta gentilitia & pileos, ſeu diademata, reliqui etiam ornatus & amictus Ducum habenda eſt ratio; percenſentur porro in inſignibus, gladius, vexillum, baculus, *ſeu* ſceptrum, globus, *aliaque ornamenta, quibus jam olim ab Imperatoribus Regibusque Romanorum munifice adfecti ſint Duces Auſtriæ; & quidem maximam partem titulo oneroſo, ob relictum ſponte, & ceſſum ab* HENRICO, *dicto* Jachſamirgott, *primo Auſtriæ Duce, Ducatum Bavariæ; partim ob ipſa Archi-Ducum decora & ſumma Auguſtæ gentis Habsburgicæ in Imperium Romanum merita. Nos quidem non id in præſenti agimus, ut celſiſſimæ Domus prærogativas omnes cumulate recenſitas prolixa verborum pompa extollamus; verum cum ſuperioribus jam Diſſertationibus explicata ſint ſcuta gentilitia, quique his ſuperimponi ſolet, pileus Archi-Ducum; cætera quoque jam dicta inſignia noſtram videntur poſcere operam. Quare de horum uſu & ordine nunc exponemus. Cum vero non exiguus ſit eorum numerus, & quoniam brevitati ſerviendum; de ſingulis ita dicetur, ut antiquitatis auctoritate certiſſima quæque, tum etiam multa ex incorruptis monumentis recentiſſime eruta proferantur. Atque ut ordine & diſcrimine agatur; diverſas rerum dicendarum materias ſeparatis capitibus concludam.*

CAPUT I.

DE VESTE DUCALI.

§. I.

Veſtis Ducalis an inter inſignia Principum cenſenda?

Iquis forte ariſtarchus præfracte neget, *Veſtes Ducales* ad inſignia Principum recte referri; non is me morabitur, neque acriter eam deſceptationem ingrediar. Attamen, ſi tanti eſſet id tueri, credo, non defuturum unde evinceretur, veſtimenta Ducum, quin etiam Regum atque Imperatorum non minus in numerum inſignium venire, quam ipſa diademata. Certe inter inſignia, quæ in coronatione Imperatoris adhiberi ſolent, in cenſum veniunt *amictus & pallium Regale.* Neque vero ſatis video, cur non in pompis & ritibus publicis & reliquus corporis eo, quo capitis, ornatus ſpectet. Sed nolo in generalioribus his, atque adeo

in ipso limine hærere; tantum dicam: cum FRIDERICUS I. Imp. quo diplomate insignia Ducibus Austriæ, & alia non pauca privilegia contulit, etiam hoc nominatim adjunxerit: ut *Dux Austriæ Principali amictus veste* feudum Imperii, seu provincias beneficiario ritu accipiat; operæ omnino pretium fore, maxime insignem hunc locum explicare, & ex ipsis rerum priscarum monumentis, qua fuerint specie Ducum vestimenta, patefacere. Quamquam obscura res sit, ut ait BESSELIUS ad EGINHARDUM in vita CAROLI MAGNI: „ & periculosæ plenum opus aleæ, singula ve„ stimentorum genera veteribus usurpata, sine hæsitatione pro„ ponere. Verum in rebus Austriacis monumenta aliquot, quæ commode reperire licuit, & quorum duo lucem, quantum scio, nondum viderunt, incitant animum. Unum eorum hoc Capite exhibebo: alterum sequentibus, ubi sum de usu insignium seorsum dicturus, destino.

§. II.

Vestes Principum triplicis sunt generis.

QUibus amicti exhibentur Duces Austriæ vestibus, ea ad tria poterunt genera referri: aut enim comparent habitu militari cum lorica; aut veste domestica populari, & usus quotidiani; aut denique veste solemni ac proprie *Ducali*, qua utebantur in ceremoniis & actibus publicis, ut in inauguratione seu confirmatione in jure prædiorum, sive ea beneficiaria esset, sive hæreditaria, aliisque in pompis solemnibus. Et quamquam per illam loquendi formulam, *Principali amictus veste*, Fridericiano diplomate ultimum hoc tantum vestimentorum genus indicatur; res tamen velle videtur, ut de universis strictim exponam. Ad quæ explicanda nonnullis utar statuis aut imaginibus; cum quod illas non magno numero hodie reperire liceat, quas non recens produxit ætas, quæque adeo in hac re non satis convincentia suppeditant documenta; tum etiam quia propositum mihi est, statuas Ducum nostrorum in sequentibus singulari tractatione complecti. In præsenti aliam ingredi viam nescio, quam ut ex sigillis, item ex nummis, atque adeo ex tumulis & cryptis sepulcralibus specimina, rerumque dicendarum rationes hinc illinc conquiram; quoniam nostratem nullum novi scriptorem, in hujus rei vestigatione præeuntem; cum tamen non exiguus sit eorum numerus, qui de re vestiaria veterum scribendo, laboris & operæ multum consumpserunt; ut etiam minutioris curæ res sectati, de caligis, de calceo, de fibula, deque barba veterum justa contexuerint volumina.

§. III.

Primum genus, vestis loricata.

PRimum sibi Ducum in ornatu locum vindicare videtur *vestis Loricata*; cum enim Dux ab educendo milite ipsum ducat nomen; intelligitur, vestem bellicam ad id maxime convenire. Hinc est, quod nostri e familia Babenbergica Duces, cæterorum ad morem in suis ubique sigillis cataphracti adparent, & equo insidentes; si tamen pauca illa Medlicensium Ducum sigilla posterioris

Tab. XXI.

VESTES DVCVM AVSTRIÆ VARII GENERIS.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

CADVCEATOR AVSTRIACVS.

A

A

X.

Sal. Kleiner delin.

To. I. p. 167. Nicolai fecit

ris ævi, de quibus alibi nobis sermo fuit, exceperis. Eamque ob causſam Archi-Duces quoque in nummis recentioribus identidem ſpectantur cataphracti. Nec aliam facile dare rationem poteris, quare Ducibus Principibusque in ſolemnibus funerum, omni ſpecie ferrea cataphracta, ſolebat plerumque equo vecta, ad tumulum præferri; quam quod arma iſta inter vetera Ducum inſignia cenſeantur. Longius vagarer in re non adeo etiam magni momenti, ſi cunctas vellem loricarum cataphractarumque varias ſpecies, quas Duces noſtri induerunt, ſigillatim hic ante oculos ponere. In adpoſita Tabula exempli tantum cauſſa, & quaſi in transcurſu excipio ex imaginibus illis, quibus proferendis alius dein locus dabitur, ſingulare illud genus loricarum, quo induti cernuntur Duces, ALBERTUS II. in Cartuſia Gemnicenſi, & RUDOLPHUS IV. in templo S. Claræ, in urbe Vindobona. Hæ loricæ conſtant ferro ductitio, in minores circulos complexo. Catellæ modo pectori, modo brachiis alligantur, ad ſuſpendendum gladium, pugionemque. Plures porro variique generis thoraces ferrei, caſſidesque auro cælatæ, quibus bellantes Principes noſtri uſi ſunt, in theſauris bellicis Vindobonæ, Græcii, & in arce Ambraſiana adſervantur. Reticulæ item ferreæ, vario holoſerico in tunicæ Hiſpanæ morem inductæ. Non pauca equorum tegmina ferrea, elegantis operis & artis. Complura labara variarum provinciarum, vetuſtate ſua & vulneribus pulchriora; & alia id genus, quæ hic ulterius perſequi non vacat.

Tab. XXI.

Num. I. & Num. II.

§. IV.

IN ſigillis aliisve monumentis Auſtriacis comparent quidem non raro ſuperindutæ loricis chlamydes, ſeu camiſiæ, ut videre eſt in tabulis æneis primæ Diſſertationis; ſed illæ non ita clare ibidem ſunt expreſſæ, quemadmodum in imagine ALBERTI II., quam diximus eſſe Gemnici; in ea chlamys ſuper tegumentum ferreum amicta clariſſime cernitur, latiorique cingulo ſuccincta: OTTO Dux Auſtriæ in ſigillo Equeſtri, quod litteris publicis adpoſuit anno MCCCXXXV. monaſterio Neoburgenſi datis, adparet cum chlamyde, qualis fere illa eſt, quam pridem delineavit HEINECCIUS in ſuis ſigillis, ſub figura *num. VIII.*

Camiſiæ loris ſuperindutæ.

Num. III.

Num. IV.

§. V.

VIdebuntur forte cuipiam veſtes Ducum domeſticæ, communes, & uſus quotidiani ab hoc loco ſejunctæ; verum non ſine ratione illas hic quoque adduco. Etenim animadverto, oculatiſſimis etiam auctoribus hinc hallucinandi ſubinde occaſionem naſci. Vir omnis antiquitatis peritus, & multis nominibus mihi Reverendus Dom. *Bernardus* MONTEFALCONIUS, ſacri Ordinis noſtri alumnus, & inſigne decus, in ſuis monumentis Monarchiæ Francicæ, effigiem PHILIPPI Archi-Ducis Auſtriæ, MAXIMILIANI & MARIÆ Burgundicæ filii, ex ſcriniis Gagnerianis in lucem prodidit; (a) ubi Archi-Dux ad iſtius ætatis uſum veſti-

Alterum genus, veſtis quotidiani uſus, a MONTEFALCONIO non bene diſcreta.

a

(a) Tom. IV. Tab. XXIII. n. 1.

veſtitus comparet cum pileo, utrinque extenſo, & data opera diſperſe perforato; item cum collari ſeu patagio, ad oras conciſo; & cum quodam in pectore ornamento, per quatuor ſegmenta in longitudinem inſecto. Clar. auctori hic ornatus inſolens videtur: *Ejus petaſus*, inquit, *neſcio quid ſingularis ingratæque formæ habet?* Et poſt pauca, inciſiones in veſtibus *cornua* prorſus nominat: *Non ſine aliquo ſtupore*, ſcribit, *video quatuor illa cornua in ejus pectore prominentia, quæ cui uſui fuerint, vel quid ſignificent, numquam divinare poſſim.* Dandam vero hanc mihi veniam ſpero, ut virum præclara & recondita eruditione præſtantem, cujus ab ore multa non minus doctrinæ, quam benevolentiæ in me documenta accepi, cujusque frequenti a commercio numquam non niſi doctior redii, paucis moneam; ea non *cornua* eſſe, ſed quatuor togæ inciſiones, quarum inferiores partes adplicato pallio tegebantur. Nec aliud quidquam ſignificant veſtes conciſæ, perforatusque pileus, quam ſingularem in iſta ætate Primoribus ſolitum veſtitum. Quin immo
b ipſe laudatiſſimus auctor ſimiles inducit effigies; (b) ubi veſtes cernuntur, modo in manicis, nunc in thorace, jam in caligis, tum totum per habitum, magnis parvisque, transverſis item, & variis admodum inciſionibus patefactæ. Ut igitur veſtitus in aula Gallica ad temporum uſum ſæpiſſime facta mutatio eſt; ita noſtris quoque Ducibus & Archi-Ducibus Auſtriæ placuit, veſtes, quotidiani uſus, temporibus accommodare. Etenim perperam Principibus viris deliberatum eſſet, & nimio plus moleſtum, numquam non ferreis tegumentis premi, aut eam gerere veſtem, quam in electionibus ſolum, inaugurationibus, aliisque hujusmodi pompis induunt. Verum vel illi maxime temporibus, cæterorumque mortalium moribus commode utuntur; quamvis & hoc fatendum: ſuas unicuique aulæ veſtes, a majoribus acceptas, ad poſteros ut plurimum perſeveraſſe. Aſt longius noſtra abiret oratio, ſi ad aulicum ſe ornatum, ritusque extenderet. De veſtimentis Ducum noſtrorum domeſticis nobis hic tantum ſermo eſt. Itaque præſtat jam aliquot hic ſchemata addere; ut rariores inde Ducum noſtrorum domeſticæ veſtes perſpiciantur; quoad reliqua veſtitus genera ex aliis monumentis, quæ publicæ luci deſtinamus, liceat exponere.

§. VI.

Exempla quædam veſtium quotidiani uſus. Num. V.

IN domeſtici cultus exemplum togam profero, qua conſpicua eſt MAXIMILIANI I. effigies in arce Ambraſiana in Tyroli adſervata. Porro aliud hujus Cæſaris veſtimentum Clar. MONTEFALCONIUS ære expreſſit; ubi de collo patagium pellitum in humeros rejectum, pellibusque ea toga ad imum prætexta eſt.

Num. VI. Schema hic habes ad eandem ſimilitudinem expreſſum. Quotidiani uſus veſtes, circa tempus MAXIMILIANI III. Teutonici Ordinis ſupremi Magiſtri, multo quidem metalli nobilioris ſplendore & phrygio opere diſtinctæ erant; ſed breves quoque adeo, ut amiculum,

(b) Vid. ibid. Tab. XXVI. n. 3. Tab. XXVII. Tab. XXXIII. Tab. XLIV. n. I. & Tom. V. Tab. XIV. n. 1. 2. 3. Tab. XXX. & alibi paſſim.

culum, quod togæ loco eſſet, quodque ſacciperiis carebat, ne ad genua quidem pertineret; ſed ſummas tantum braccas obtegeret. In uſu tum quoque erant manicæ inciſione apertæ; quales in figuris tabularum genealogicarum frequentes occurrunt. Similem fere veſtitus brevioris habitum oſtendit effigies CAROLI Marchionis Burgoviæ, filii FERDINANDI Archi-Ducis, quæ eſt in urbe *Uberlinga*: eo tamen diſcrimine, ut collo circumdetur latius patagium; manicæ autem non ſint apertæ. Num. VII. Num. VIII.

§. VII.

ACcedendum nunc ad tertium veſtimentorum genus, a domeſticis & quotidianis diſtinctum, ac Ducibus proprium; quas ideo *veſtes Ducales* recte adpellaveris; has enim ſolent induere ad confirmationes in jure prædiorum, inaugurationesque ſucceſſionis hæreditariæ; atque adeo ſic interdum amicti obveniunt in ſoliis ſeu lectis funebribus, inque capulis & ſepulcris. Omnibus fere in aulis adhuc mos eſt, auguſtiore in publicis pompis veſte ornari. Nihil dicam de veſtitu ritibusque celebrandis in actu coronandi Imperatores; nec niſi leviter id attingam, quod Archi-Duces noſtri, coronam accepturi Hungaricam, veſte Hungarica, Bohemicam, alio deinde veſtimento adornandos ſe præbent. Verum qua ſpecie fuerit ornatus, quem Duces & Archi-Duces in iſtis, quæ ad Ducalem dignitatem ſpectant, ſolemnibus, præſertim in *inveſtitura*, ut vocant, ſeu collatione feudi Imperialis, induerunt, id eſt, quod hic exquiritur. In ea re explicanda, atque ab antiquitate eruenda, nullam ego laborem partem prætermiſi. Etenim in archivorum latebras, & pulveres me ſæpius abdidi; quid, quod in ſubterraneis locis inter manes ſepultorum pererrando priſcum illum Ducalem veſtitum ſedulo indagavi. Secutum id eſt, quod optavi, ut tandem ejusmodi veſtem in crypta Ducum ſepulcrali, quæ Wiennæ eſt ad S. Stephanum, oculis intueri mihi liceret, manibusque contrectare; cujus rei non pauci adfuere teſtes. Jacet in media crypta ad dexteram manum RUDOLPHI IV. funus WILHELMI Ducis Auſtriæ, toga talari & manicata indutum. Pannus holoſericus ruber eſt, effuſo auro ornatus. Iſta toga talaris, a collo usque ad talos demiſſa, pendentes longiores habet manicas. Diducta patet ab umbilico; quod rupto fortaſſe, per humorem cryptæ, filo ſerico, quo oræ adverſæ necterentur, factum. Nam in ſigillo Ducali FRIDERICI Imp. (cujus delineationem ſupra *Diſſert. I. Tab. X. n. II.* integram dedimus, nunc vero togæ tantummodo ſchema hic repetimus) animadverto: togam ex adverſo non patefactam, & ad collum tantummodo nectendam. Celandum tamen non eſt, in ſtatuis & effigiebus Ducum noſtrorum talarem togam ſæpe apertam exhiberi. Ipſam vero hanc eſſe togam veſtemque *Ducalem*, in *inveſtituris*, aliisque proinde ſolemnibus pompis induendam, ex laudato FRIDERICI ſigillo, Diſſertatione I. pag. 27. jam monuimus. Præter hanc togam talarem habebant quoque Duces tunicam, ſeu veſtem interiorem cum manicis ſtrictioribus. In ritibus ſolemnibus

Genus tertium, veſtis in pompis ſolemnibus adhiberi ſolita; toga talaris manicata.

Num. IX.

Num. X.

hæc etiam talaris fuisse videtur, id est, ad talos usque defluens. In aliis vero exercitationibus tunica brevior erat, vixque ad genua pertinens, eaque cingulo ad lumbos religata; quemadmodum id nos pariter jam supra Dissert. III. §. XIV. & Tab. XIII. n. I. in allata ibidem FRIDERICI *Bellicosi* statua consideravimus. Huc quoque conferantur, quæ occasione fasciæ in scuto Austriaco de coloribus vestium, quibus veteres illi Duces utebantur, jam tum dicta sunt. Postremis vero temporibus, cum Habsburgica Domus & Hispanis suos daret Reges, Hispanicæ vestes, quas *mantueles*, vulgo *Mantel-Kleider* vocant, frequentes factæ sunt; earumque ad hunc diem Archi-Ducibus celebratur in multis variisque ceremoniis & ritibus solemnibus usus. Nam ut satis omnibus notum, vix aliis, quam his, Archi-Duces vestibus uti, cum in clientelam inaugurationemque hæreditariam subditi his populi jurant; ita quoque hæc pallia induti, tamquam Reges Romanorum, Imperatoresque, sub throno suo, Principibus Imperii confirmationem in jure prædiorum imperialium conferunt.

§. VIII.

Vestes talares & pallia.

PRæter eas, de quibus jam expositum, vestes talares, scilicet togam talarem manicatam WILHELMI Ducis Austriæ, desumptam ex crypta sepulcrali in æde Divi Stephani, aliamque explicatam ex sigillo FRIDERICI *Pacifici*, pauca quoque adjicienda sunt de promissioribus palliis, quæ ab humeris usque defluunt ad talos. Hujus enim generis pallia in monumentis Austriacis frequentem satis usum habebant. Exempla protulit Celeber. P. STEYERERUS ex sigillo RUDOLPHI IV. signato n. VII. Itemque ex lapide sepulcrali ad ædem S. Stephani, quem in figuris suis exhibuit *n. XXIV.* Qua vero ætate cœptum sit Insignia Austriaca in vestes talares & pallia spargere, dispiciemus in Pinacotheca. Interim jam monui *Dissert. II. §. XX.* vestes propriis insignibus ornare, Marchionibus & primis Austriæ Ducibus insuetum fuisse.

Num. XI.

Num. XII.

§. IX.

Distinctio habita inter vestes Ducum & aliorum Principum.

PRætereundum non est, inter vestes Electorum, Ducum atque aliorum Principum, discrimen quoddam observari. Licet enim ne hoc quidem satis in aperto sit: quo tempore Electorum vestitus in consuetudinem venerit; etsi plurium sententia auctorum est, ea simul cum archi-officiis orta, eandem cum his ætatem habere; (c) hujusmodi tamen observatum discrimen accepimus, (d) ut Electorum ecclesiasticorum toga, ex laneo panno rubro, sæcularium vero, ut a stirpe Ducum ac Principum perpetuo stemmate natorum, ex holoserico villoso rubro confecta esset. Incertius etiam habetur tempus, quo Duces ac Principes suum quisque peculiarem habitum eo habere loco cœperint, quo a cæteris

c

d

(c) LUDEWIG. in formula Ducatus Brandenb. (d) LUNIG. Theat. cerem. P. I. p. 1258. p. 78. Lit. A.

teris distinctus, gentis gloriam declararet. Attamen id ex rerum Austriacarum monumentis manifestum est: HEINRICO I. Austriæ Duci jam pridem in codicillo FRIDERICI I. Imp. an. MCLVI. datum ac mandatum esse, ut *Principali amictus veste . . . . . conducere feoda sua ab Imperio debeat.* Est igitur singularis ac proprius Ducum Principumque ornatus perquam antiquus. Alterum quod in ea re non minus pro certo adfirmare licet, illud est: MAXIMILIANI I. etiam tempore, proprium Principum vestitum ad inaugurationem in jure prædiorum usurpatum esse. Id enim videre licet ex litteris investituræ Electoris Moguntini, atque ex Anhaltinis. (e) Ad hæc constat quoque, Comitem Würtembergensem EBERHARDUM an. MCCCCXCV. Ducem factum, ab Imperatore Ducalem vestem, pileum ac gladium adauctæ dignitatis munera accepisse. (f) Vestimenta Comitis RUDOLPHI Anhaltini, ad inaugurationem beneficiariam, apud MÜLLERUM sic describuntur: (g) *Braun damasten, ein langer rock und mantel bis auf die erde, der mantel in der seithen offen, und der rock mit langen schlitzen, bis an die bünde, und ein braun damastener but; mantel, rock, und but alles mit schwanen unterfüttert, der but mit einem aufschlag forne. Also haben müssen alle Fürsten und Landgrafen, und Marggrafen gekleidet seyn, ausgeschlossen die Churfürsten.* Id est: „ ex puniceo panno damasceno confectam fuisse tunicam longiorem, & pallium ad terram „ usque demissum, atque hoc ipsum a latere apertum; tunicam „ protensis ad ligamina usque fissuris distinctam; pileum item ex „ puniceo serico damasceno; omnia simul, pallium, tunicam & „ pileum adsutis pellibus duplicata, in pileo auriculam a fronte re„ plicatam. Ita omnes Principes, Landgravios & Marggravios „ vestiri decuisse, exceptis tamen Electoribus.

Lucem his addit THULEMARIUS (h) ex actis Comitiorum Wormatiæ habitorum MCCCCXCV. tradens: Imperatorem MAXIMILIANUM I. cuilibet Principum ordini certum vestitum præscripsisse. Verba sic habent: *Ein Herzoglich Kleid war ein rother atlasser mantel durchab bis an den fuß zu einer seithen offen, mit Lassatz unterfüttert, und oben daran ein übergelegt goller von Lassatz, bis auf die achsel, und unter demselben mantel ein rother rock, nach gefallen, der auch an der seithen, da der mantel offen, geziehret nach belieben. Item auf dem haupt ein rother atlasser Herzog-hut, mit Lassatz überstüpet, einer zwercheh hant breit. Der Lantgrafen Kleid war ein brauner damastener mantel, durchaus bis an den fuß zu einer seithen offen, gefüttert von grauen fehe, bis auf die achsel; der hut von braunen damast, forne mit einem fehen anschlag, wie die marderen-bauben gemeiniglich getragen werden. Der Marggrafen Kleidung war ein brauner damastener mantel, in der länge, wie jezt gesagt, mit fehe-wammen gefüttert, mit einem überschlag desselben bis auf die achsel; der hut auch von braunen damast, dessen überschlag forn von hundwerck, oder belz überschlag &c.* Quod latine sic reddi potest: „ Ducum vestis erat pallium ru„ brum ex serico (atlas) ab uno latere ad talos usque apertum, „ murium ponticorum pelliculis munitum, reclinato in humeros „ pata-

(e) MÜLLERI Reichs-Tags Theat. P. I. c. 63. pag. 553.
(f) LUNIG. l. c. P. II. pag. 767.
(g) Apud MÜLLER l. c.
(h) Tractat. de Octov. cap. 23. §. 29.

„ patagio, pariter pellito ; ſub hoc pallio tunica rubra panni cu-
„ jusvis, a latere, quo pallium patet, arbitrario cultu exornata.
„ Ad caput pileus Ducalis ruber, ex eodem raſo ſerico attalico,
„ pellibus ponticis ad transverſum palmum circumdatus. Land-
„ graviorum veſtis erat puniceum pallium ex ſerico damaſceno a
„ ſummo latere ad talos usque apertum, adſutis pellibus fuſcis,
„ quales martium eſſe ſolent, in humeros usque munitum ; pileus
„ etiam ex panno puniceo damaſceno, cum auricula, ſimilibus
„ pellibus in fronte ſurgente. Atque ut cæteram interpretatio-
nem ad compendium referam : „ Marggraviorum veſtis plane
„ ſimilis erat, pellibus ex *vario*, aliis *vairo*, vulgo *veh* duplicata.
Licet autem pannus ille ſericus, quem (*atlas*) adpellamus, MA-
XIMILIANI tempore, damaſceno ſerico, ob ſingularem forte ni-
torem pretioſior fuerit, atque ideo Ducibus ſimul cum rubro co-
lore proprius factus; tamen ex monumentis noſtris jam planum fe-
cimus, Duces Auſtriæ, etiam ante MAXIMILIANUM I. ſæcula-
rium more Electorum, holoſericam rubram talarem, copioſo auro
illuſam geſtiſſe ; cujus rei clarum ex crypta ſepulcrali ad S. Ste-
phani ædem hujus urbis primariam, atque evidens petitur argu-
mentum.

§. X.

Veſtis Archi-Ducalis, qua FERDINANDUS I. in ſolemniis uſus eſt, deſcribitur.

SEd jam audiamus, quo veſtimentorum genere uſi ſint Archi-Duces in ſolemniis Imperante CAROLO V. Rem exponit *Joannes* TINKEN, edito Auguſtæ Vindelicorum opere anno MDXXXVI. quo celebratam in Marchionatu Burgovienſi ab ipſo Imperatore CAROLO V. in gratiam Regis & Archi-Ducis FERDINANDI fratris, prædiorum Auſtriacorum conceſſionem & inaugurationem beneficiariam anno Chriſti MDXXX. ſcite enarrans ; cujus verba latine ſic reddo : „ Tum ſequebatur Rex FERDI-
„ NANDUS inſigni equo, cui dorſum panno aurato obtectum, in-
„ ſidens ; habitus Archi-Ducis, cum paludamento longo ex ho-
„ loſerico rubro, pellibus murium ponticorum munito, circum-
„ dato latiori patagio, in quo aurei velleris, ſeu Burgundici Or-
„ dinis Inſignia, intertextis igniariis, depicta. Dextera manu ge-
„ rebat ſceptrum aureum, & in capite pileum Archi-Ducis, con-
„ fectum pariter ex heteromallo ſerico rubro, & ponticis pellibus
„ munitum, cum crucicula inciſa, per margines denticulata ; in
„ quem modum ſolet vetuſtiſſima coronarum ſpecies formari. In-
„ ſuper decuſſatim impoſiti duo arcus Imperiales, parva cruci-
„ cula faſtigiati. Quæ omnia decora Principibus Auſtriæ lauda-
„ tis privilegiis ſunt ſpecialiſſima. His adde dicta a nobis *Diſſert. I. §. XXII. pag. 27.*

§. XI.

Forma habitus ſecialium Auſtriacorum. Eadem TAB. XXI. Lit. A. A.

SUpereſt, ut de addita Tabulæ noſtræ forma veſtitus, quo publicus præco Auſtriacus, inter ſolemnia muneris ſui uti conſuevit, nonnulla dicamus. Fecialium toga oblonga, confecta eſt ex holoſerico, ſeu ſerico heteromallo nigro, prætextaque cla-

vis

vis fericis, cum refupinato in humeros patagio, furfumque reflexis in cubitum manicis. Superindutum paludamentum conftat de ferico, quod intexto argento difcretum. Utraque in hoc, ante & retro, oftenduntur Inſignia Auſtriæ : nimirum in area cærulea quinque aquilæ aurato acu pictæ. Etſi enim hæc veſtimenta, de quibus hic delineationem exhibuimus, forte ab Imperatoribus FERDINANDIS, aut ævo LEOPOLDI Cæſaris comparata ſint; volucres tamen roſtris aduncis, & linguis exſertis, acu intextæ adparent, *Aquilis* quidem, minime autem *Alaudis* ſimiles. Altera pars paludamenti continet faſciam albam in area rubra eleganter quoque pictam; eatenusque partis poſticæ & adverſæ eadem facies eſt. Præco is baculum quoque album, ſeu caduceum manu tenet, impoſito globulo, cui inſiſtit expandens alas volucris inaurata. Caput tegit pileo, albis rubrisque plumis ornato. In homagii celebratione, cum Ordines & cives Auſtriaci in verba majoris natu Archi-Ducis juramento ſe obſtringunt, unus tantum eo cultu conſpicuus caduceator, ſeu Præco publicus reliquis miniſtris hæreditariis antecedit. Coronationi autem adſunt duo, ſimili habitu veſtiti Præcones, Inſignia Auſtriaca in veſtimentis præferentes. Tum enim cujusvis regni etiam hæreditarii Inſignia a duobus quoque geruntur. Quare & in veſtiario aulæ, præter Præconum veſtes Inſignibus Auſtriacis ornatas, bina veſtimenta Hiſpanicis, totidem Hungaricis & Bohemicis Inſignibus acu picta, cuſtodiri ſolent.

CAPUT II.

DE GLADIO.

§. I.

INter antiquiſſima Ducum Auſtriæ decora ſingularia gladius eductus eſt, cujus ſibi, qua patet Romanum Imperium, orbisque terrarum, præferendi habent poteſtatem. ERNESTO Marchioni ſingulare hoc olim beneficium ab HENRICO IV. Rom. Rege anno MLVIII. III. Non. Octob., dato ad id diplomate collatum eſt, (a) quo dicitur : *Inſuper concedimus & damus illam gratiam ſæpe nominato Erneſto & ſuæ terræ Auſtriæ, quod ipſi gladium judicii ipſorum & Banderiam, ſive vexillum terræ, publice ante Imperium & ante totum mundum & populum deferre debeant, atque poſſint;* cauſſam quoque addit : *quia ipſe & terra ſua ſæpius & laudabiliter in DEI ſervitio emicuit, & apparuit glorioſe.* Ac quanto quidem honori eſſet, ſtrictum gladium præferri, ex eo intelligitur; quod majores noſtri, quibus *arma* erant *ſacra*, in ornatu gladii maximam curam poſuere. (b) Quin etiam a primo fere ſigillorum Equeſtrium ortu, utentes his nonnulli Duces, Comitesque

Ducibus Auſtriæ eductus gladius præfertur.

a

b

(a) ARENPECK. in Chron. Auſtr. apud *Hier.* PEZ. Tom. I. ſcript. rer. Auſt. col. 1184.

(b) HACHENBERG. Germ. med. Diſſert. XI. de re veſt. pag. 292.

non alia re magis ſplendorem poteſtatis oſtentaturos ſe rati ſunt,
c quam ſi effigies ſuas cum ſtricto in dextera gladio exhiberent. (c)
Quid, quod regnantes etiam mulieres, in ſigillis nonnumquam,
in gremio habentes gladium, comparent. Verum majus etiam id
præmium erat: nudatum gladium, non in ſigillis tantum, ſed ubi-
que terrarum præferri. Atque illud quidem ab initio Romano-
rum Imperatores Germani proprium habebant, & cum nemine di-
viſum. Hinc etiam ex Principum ordine aliquis deſtinabatur *Enſi-
fer Imperii*; quo titulo & hæreditario munere tum etiam frueba-
tur Domus Lotharingica, cum ſimul ejus Duces armorum Præfe-
d cti, ſeu *Mareſchalli* erant in regno Burgundiæ. (d) Immo vero
omni ævo etiam in veteri Latio teſtatiſſimum fuiſſe inquit Cl. *Joan.
Petr. de* LUDEWIG, *de juribus feudorum cap. XII. p.* 840. quod enſis
Cæſari prælatus *teſſera* fuerit *meri imperii prænuntia*; dum Mare-
ſchallus eam præferret. Quum autem tempore poſtero provin-
cias Germaniæ Duces Comitesque hæreditario jure ſenſim obtine-
rent; factum eſt, ut Principes enſem ſibi ad dies ſolemnes a Mare-
ſchallo, perpetuo illius muneris hærede, facerent præferri: qua
re ſplendoris venerationem incutientes hominibus, celſitatem ab
e inferiore præferentis ordine oſtendebant. (e) Attamen in præfe-
rendo gladio diverſus ſemper fuit Imperatori coronando, atque
Electoribus modus; qui etiam in hunc usque diem ſervatur. Nam
Electorum Præfecti, ſeu Mareſchalli ad electionem euntes, equo
vecti ſuum quisque inauratum enſem, vagina conditum, ſublimem
ferunt; redeuntes vero, eductum quidem, ſed inverſo mucrone
demiſſum. Contra Imperatori nudatus gladius ab Electore Saxo-
f niæ, vagina autem a deſtinato Imperii *Mareſchallo* præfertur. (f)
Gladius etiam diſtrictus ad celebrandum Archi-Ducibus Auſtriæ
homagium, id eſt, dum populus in Principem hæredem jurat, &
quidem ab hæreditario Provinciæ MARESCHALLO, præfertur:
hic ſolus equo inſidet; ſed aperto capite, proximus Archi-Duci
prævehitur; cæteri omnes hæreditariorum munerum adminiſtra-
g tores, inſignia gradientes ferunt. (g) Verum iſta ad uſum & ordi-
nem inſignium ſpectant, de quibus paullo infra pluribus diſſeren-
dum propoſuimus.

§. II.

Gladio accincti inveſtiuntur.

AUſtriæ Ducibus gladio accingi ſolemne olim erat; quo ritu adoleſcentes Principes, ad ſuarum provinciarum regimen & imperii ſenatum admitti ſueverant; ut in Germania tantundem gladius, aut equeſtris baltheus, quantum in Roma veteri toga virilis juvenibus præſtaret. Sed etiam pluris ea facienda prærogativa eſt, qua fruuntur Archi-Duces Auſtriæ, cum ab Imperatoribus Rom. beneficiario ritu inaugurantur; quippe gladio accincti. Contra cæteri clientes fiduciarii, atque adeo ipſi Reges ſua

(c) Conf. HEINECCIUS de ſigillis P. I. c. 10. pag. 122.
(d) Vid. GUNDLING in COCCEI Jus publ. cap. XIII. p. 425.
(e) Ibid. cap. XIV. p. 448.
(f) Vid. acta Elect. & Coronat. LEOPOLDI Imp. Francof. 1658.
(g) Conf. Erb-Huldigung CAROLI VI. de an. 1712.

ſua tenentur arma ſeponere. Illuſtre exemplum notat Clar. auctor Germaniæ Principis (h) de Angliæ Principe, depoſito gladio ſacramentum clientelare Regi Galliarum præſtante. Hinc eſt, quod Archi-Duces, præſertim ex Tyrolenſi ſtirpe progeniti, jam a temporibus SIGISMUNDI, in nummis uncialibus conſpiciuntur plerumque gladio accincti, quem læva manu ſuſtinentes, quaſi poteſtatis indicem oſtendunt. Ita quoque dextera manu baculum, ſeu ſceptrum, in capite Archi-Ducalem pileum, velut propria ſibi inſignia exhibent. Nam SIGISMUNDI inſtitutum ſecuti ſunt, FERDINANDUS, CAROLUS, LEOPOLDUS, cæterique (i) ex Auguſta Domo; MAXIMILIANUM, Ordinis Teutonici ſummum Magiſtrum ſi exceperis; ſiquidem ille in nummis ſuis enſem lateri ſubligatum non habet; ſed capulo tenus dextera manu ita tenet, ut inverſus apex terram attingat. Præterea in nummis Auſtriacis animadverti, MAXIMILIANUM I. Rom. Imp. eodem quidem ſtatu, haud tamen dextera, ſed ſiniſtra enſem manu tenere. FERDINANDUS I. e contrario accinctum lateri enſem, quemadmodum ſupra dicti Archi-Duces, læva quidem manu ſuſtinet; ſed in actu ſolemni, quo a CAROLO V. Cæſare anno MDXXX. in Marchionatu Burgovienſi inauguratus eſt, non ipſe Archi-Dux ſtrictum gladium ferebat, ſed ejusdem Mareſchallus eundem vagina reconditum præferebat. Rem accipe ex ſupra laudato TINKENIO: „ Præcones Auſtriacos ſequebatur Comes *Joannes a* SCHAUM-„ BURG Mareſchallus hæreditarius in Auſtria & Styria, gladium „ gerens, vagina ex auro facta, variisque figuris & Inſignibus Or-„ dinis Burgundici cælata, reconditum. Cujus gladii præferendi „ decus pro ſingulari præmio ab Imperatoribus conceſſum eſt, ac „ *gladius Juſtitiæ* Principum Auſtriæ vocatur. Qua quidem narratione, præcedenti §. dicta firmantur. Quin hic repeti rurſus poſſunt notæ a nobis factæ ad ſigillum majus Ducale FRIDERICI *Pacifici* Cæſaris *Tab. X. ad num. II. Diſſert. I. §. XXII. pag.* 27. ubi nempe monuimus, jam tunc temporis uſu exiiſſe, quo minus in publicis celebritatibus gladius & vexilla ab ipſis Auſtriæ Ducibus gererentur; quippe per miniſtros anteferenda. De forma vero prædicti *gladii Juſtitiæ* in ſubſequentibus ſermo recurret.

h

i

§. III.

AD hoc Ducibus Auſtriæ uſitatus quoque mos erat, gladium ab obitu velut inſigne in lecto funereo adjici, atque etiam cum funeribus ſepulcro inferri. Ita quondam veteres Germani defunctos heroes ſimul cum armis tumulo mandabant. Quam quidem antiquiſſimam conſuetudinem in monumentis & cryptis ſepulcralibus obſervavi Ducibus noſtris, tum a Babenbergica, tum Habsburgica ſtirpe oriundis, frequentem. In abbatia S. Crucis, quo loco ex priore familia Ducum plerique compoſiti, fragmenta quædam ferrea, quibus olim gladii conſtiterant, in ſepulcris inventa ſunt. Verum ad S. Stephani templum hujus urbis princeps,

Poſt obitum gladius quoque ſepulturæ traditus.

(h) Lib. I. cap. 4. pag. 346.

(i) Apud *Jacobum a* MELLEN ſyllog. numm. pag. 150. ſeq.

ceps, varios adhuc enſes ea, qua tum erant forma, in Auſtriaca Habsburgicæ Domus crypta ſepulcrali offendimus: quod, ubi de ſepultura Ducum noſtrorum dicetur, pluribus conſtabit.

§. IV.

De forma gladiorum Principum Auſtriæ.

LOngum immenſique laboris foret, omnis generis arma & gladios, quibus Archi-Duces uſi ſunt, exempla hic in medium adducere. *Jacobus* SCHRENCKEN DE NOZING magnificum opus jam edidit, quod deſcriptionem exhibet armorum, quæ in arce Ambraſiana ad Oenipontum congeſſerant Archi-Duces Auſtriæ. Auctor quoque Topographiæ Græcenſis ex armamentario aulæ Archi-Ducalis, quæ Græcii eſt, gladios recenſuit veteris moris, auro byſſoque inductos; inter quos duo copioſo argento, a ſummis Pontificibus, ut inſignia Principibus dati. Alius ad capulum pluribus pugionibus aſper MAXIMILIANO Archi-Duci a MAXIMILIANO Cæſare donum. Auſtriacus porro enſis, qui Archi-Duci præfertur, ſimplex eſt, nec quidquam ſingulare habet; ſed ad morem gladiorum cæterorum Germaniæ Ducum compoſitus. Is cum reliquis Auguſtæ Domus Inſignibus in aula Vindobonæ adſervatur; ab illo autem, qui ad alios ritus ſolemnes ſolet Imperatori, a ſuæ aulæ ſupremo Præfecto, præferri, diverſus eſt. Ad id quoque animum adverti: quod Principum noſtrorum gladii varia quidem fuerint forma; univerſi tamen validis & longis capulis, adpoſitisque pilis præditi, aciem habebant ancipitem. Horum ego hic aliquot figuras, ejus rei ſtudioſorum oculis ſubjiciam. Ex pluribus vero, quæ ſe in hac tractatione offerunt, ſeligo gladios Auguſtorum MAXIMILIANI I. & CAROLI V. Cæſarum, qui in gazophylacio Vindobonenſi cuſtodiuntur. His addere placet ſchemata quædam gladiorum, quorum alia ex dicta crypta ad S. Stephani fanum, alia de antiquis nummis Tyrolenſibus delineari curavimus.

§. V.

Schema gladii Cæſaris MAXIMILIANI I. TAB. XXII. Lit. A.

GLadius MAXIMILIANI I. Cæſaris, cujus ſchema adjecta tabula littera A. refert, tres pedes ſeptemque pollices longitudine æquat. Capulus ſeptem pollices longus. Manubrium ex unicornu argento imbracteato munitus. Globus argenteus & auro obductus impreſſam habet parvam Chriſti e cruce pendentis imaginem, nec non igniaria velleris aurei ſymbola. Apicem ornant ſex margaritæ, impoſita gemma, quam rubinum dicunt. Decuſſis ſex & ſemis pollices ex argento imbracteatus, prædictis igniariis exornatur. Pugio quaſi concavus tres pedes extenditur. Vagina denique vario cultu imbracteata unicornu eſt.

§. VI.

Figura gladii Cæſaris CAROLI V. Lit. B.

CAROLI V. gladius multo comptior eſt. Vagina, in qua reconditur, ex corio, colore aureo pigmentata atque inſignibus Burgundicis ita interſtincta, ut ad normam illius protypi, de quo præcedenti §. II. mentionem injecimus, facta videatur.

Machæ-

Ectypa Gladiorum Principum Austriae.



F. Kleiner del. & sculps.

Tab. p. 376.

Machæra vero quatuor pedes quinque ſemis digitos longa. Capulus pedem & duos digitos longitudine excedit, in medio elevatus digitum & ſemis latitudine æquat; inde vero ſenſim diminuitur ad unius digiti latitudinem usque: manubrium hoc ferreum, ex qua parte latius eſt, anaglyptico opere in ſingulis octo angulis ornatur frondibus. Pars altera ſimplex non niſi ſimulacrum, ut videtur, muliebre ex ebore inditum in ornamentis habet. Bini circuli aurei cum frondibus capulum quaſi in tres partes dividunt. Minor illa, globum verſus, litteris aureis, ſed jam exoleſcentibus inſcripta fuit. Globus viginti ſcuta minora, digitum circiter & ſemis alta, continebat; iis vero impreſſa quondam ſymbola gentilitia; hodie ita ſunt detrita, ut non niſi Inſignia *Kyburgi*, *Zutphaniæ*, *Sonnenbergæ*, & *Provinciæ Auſtriæ ſupra Anaſum* internoſci poſſint. Impoſita capulo decuſſatio ex ferro quoque facta, tres ſupra decem pollices in longitudinem porrigitur, cælato opere & encauſto conſpicua; litteras pariter exoletas hinc inde præbet, tamquam inſcriptionis reliquias. Ex ſcutis minoribus quatuor & viginti, quibus ornatur, bina tantummodo ſuperſunt conſpicabilia *Hungariæ* ſcilicet & *Portus Naonis* Inſignia. Altera ejusdem extremitas coronam regiam, galerum Archi-Ducis altera refert. Ferrum ex utraque parte, ſcutulæ capularis loco decuſſationi adplicitum, formam exhibet coronæ Cæſareæ. Pugio denique ex chalybe anceps, encauſto pictu-, auro lividuloque interſtinctus, tribus & ſemis digitis longitudine pedes tres ſuperat; manubrium verſus, ultra duos pollices latus. Scutis & inſignibus utrinque variegatur, ac præter inſignia Regis Romanorum viginti tria regnorum & provinciarum ſymbola complectitur; addita ſingulis nomina, ſed litteræ vetuſtate vix non exoletæ. Scuta inter varii comparent ornatus frondei & ductus litterarum, quæ olim invocationis formulas ad Beatiſſimam Virginem MARIAM, & S. GEORGIUM directas continebant; ex iis vero hæc tantum Germanico ſermone concepta reſtant legibilia: HILLF MARIA MVETER RAINE, HAIDT MICH PEHVDT VOR L (AIDE) HILF RITER SAN JORG. In averſa parte: HILLF HEILIGERR RITTER SANNDT JORRG. HILF. UN (S) MARIA HILLF UNS AUS . . . . Scutorum porro ſymbola promiſcuo ordine locata ſunt in utroque latere. Ne vero repetitione eorundem nominum cauſſam moleſtiæ ingeram, harum rerum cupidum Lectorem ad Diſſertationem IV. remittimus; ubi plenam hujusmodi inſignium notionem inveniet. Ad lit. B.

§. VII.

UT jam promiſſa ſolvamus, ectypa modo dabimus æri inciſa quorundam gladiorum, qui in prædicta crypta ad S. Stephani fanum reperti, partimque ex veterum Archi-Ducum nummis deprompti ſunt. Primi generis eſt deſignatus N. 1. gladius, FRIDERICI III. Ducis Auſtriæ funeri ſuperimpoſitus, tres pedes & novem pollices longus. Capulus ex ferro ductitio. Pila formam fere quadratam, transverſumque tegmen capulare reſupinam litteram S. efformat. Notatus N. 2. funeri auctoris cryptæ Ectypa cæterorum gladiorum Principum Auſtriæ, ex cryptis & nummis deprompta. Num. 1. Num. 2.

RUDOLPHI IV. impositus, rubigine exesus, tres tamen pedes cum
Num. 3. semis pollice longus. N. 3. gladius inventus supra funus ALBERTI III. *cum Trica.* Capulus semipedalis est; transversum vero capulare tegmen pollicum octo: lamina rubigine ferme interiit; pars
Num. 4. tamen superstes longa est pedem unum. N. 4. Mucro ALBERTI IV. ibidem inventus cum pila majori capulo imposita, longitudine
Num. 5. trium & semis pedum. N. 5. WILHELMI pugio tres pedes & quatuor cum semi pollice longus; in pila nescio quid ductus litte-
Num. 6. rarum, ad formam omega Græcorum præbet. N. 6. denique gladius GEORGII, filii ALBERTI II. Imp. exhibetur. Enchiridion habet octo pollices longum, transversumque tegmen capulare pollices novem; exesa rubigine lamina pedes adhuc duos & pollices octo porrigitur. Prætereundum quoque non est, Austriaca Insignia ex argento ficta, in hujus gladii capulari pila includi. Quæ res etiam documento est, quam Principes Austriæ de gladio magnifice senserint. Eum enim non tantum voluere sibi præferri, & in effigiebus lateri accommodatum exhiberi; verum etiam suis
Num. 7. & 8. insignibus ornatum, secum ad sepulturam dari. Num. 7. & 8. sistuntur reliquiæ gladiorum, in crypta emortuali, quæ Kœnigsveldæ in Argovia est, repertorum; de quibus Tom. IV. explicatius
A num. 9. agemus. Reliqua quinque gladiorum schemata, in tabula, a N. 9.
ad 13. ad 13. usque expressa, deprompsi ex nummis Tyrolensibus Archi-Ducum, de quibus præcedenti §. II. jam egimus; ut hoc loco nomina tantum addere reliquum sit. Itaque Num. 9. sistitur ensis MAXIMILIANI I. ex nummis anni MCCCCXCIII. Num. 10. & 11. FERDINANDI I. an. MDXXIX. & MDXXXI. postremo Num. 12. & 13. FERDINANDI II. Archi-Ducis gladii repræsentantur.

CAPUT III.

DE VEXILLO.

§. I.

Alterum insignе, gestatio publica vexilli Austriaci.

SIcuti ex supra adducto diplomate Henriciano didicimus, Marchionibus Austriæ singulare hoc datum fuisse beneficium, ut strictum gladium ubique gentium præferri sibi jubere possent; ita iis ejusdemque privilegii nomine & auctoritate licuit, *Banderiam, sive vexillum terræ, publice ante Imperium, & ante totum mundum & populum deferre.* Proinde etiam vexilla, eorumque usus ad insignia Austriæ referuntur. HENRICUS Rex Romanorum hoc insigne *Banderiam* vocat a *Banda*, *band*, vinculo & nexu, quo sub eodem militantes *Bando* ligabantur; sive a fascia de vexilli pertica dependente, quæ & *Bandum* dicebatur. Ab eo est
a *Bannier*, *Pannier*. (a) Addita vero explanatione per illam formulam, *vexillum terræ*, satis manifestum fit, non modo militaria hic intelligi signa, quæ ad internoscendos milites Austriæ præferri solebant; sed

(a) Conf. HACHENBERG. Germ. med. Diff. IV. p. 86.

ſed ſignum quoque poteſtatis ac dominationis in terras Auſtriacas. Itaque cum Marchionibus conceſſum fuerit, *vexillum terræ* ſibi publice præferendum jubere; intelligitur, geſtamen vexilli non ſimplex fuiſſe ſignum rite ab Imperatore collati feudi, ut recte HEINECCIUS (b) contra SCHLEGELIUM docet; verum quoddam quaſi ſymbolum principatus, magiſtratusque ſuperioris, & dominatus in Auſtria; atque ideo maximo in honore habendum. Et quamvis iſtius geſtationis uſus, nullis, qua loci, qua temporis, limitibus eſſet Marchionibus & Ducibus Auſtriæ per privilegium Imperatorum circumſcriptus; adverto tamen, ad inveſtituras, in primis ad ritus præſtandi homagii, atque ad expeditiones bellicas fuiſſe celebratum. (c) Vexilli in aula adſervati, & ad Auſtriacum homagium uſitati delineatum exemplar poſtea dabimus; nunc vero curioſis Lectoribus gratum fore confido, ſi prius ex rerum antiquarum monumentis explicavero, qua tum vexilla Auſtriæ fuerint forma, quibusque figuris & ſymbolis inſignita; tum etiam quibus coloribus, & olim, & nuper, diſtincta.

b

c

§. II.

Vexillorum veterum recentiorumque Auſtriæ forma.

VEterum vexillorum varietas rectius non, quam ex ſigillis atque nummis cognoſcitur. Conſiderantur autem horum duæ partes, *haſtile* ac *velum*. Pertica nempe erat ſatis plerumque rudis & valida, in nummis præſertim haud raro ſine ulla fere cuſpide viſenda: velum autem in duas areas diſtinguitur, quarum una, quæ haſtili propior, integra eſt; altera modo in duas vel tres, modo in quatuor lacinias diviſa. Reperiuntur etiam alia vela, in quibus area media integra; pars vero antica & poſtica in duas, aut quatuor etiam, lacinias ſeparata. Velum erat plerumque oblongum; ſæculo XIV. tamen quadratum Ducibus noſtris placuiſſe video, idque inſignibus inſignitum. Ad hujus oram ſuperiorem ſub cuſpide adnexa erat faſcia quædam lata, criſpiſulcante cauda in adverſum provolans. Remotioribus ſæculis velo nihil erat neque pictum, neque intextum, quod ullo modo inſignia referret; verum vexilla tum erant, aut plane vacua, aut communibus tantum ornamentis culta. Conficiebantur autem hæc ornamenta ex areolis, rhombis, ſtriis, circulis, punctis, & id genus aliis, more veterum inditis rerum minutiis. Quam rem poſſem equidem ex ſigillis & nummis abundanter explanare; verum cum jam ſuperioribus Diſſertationibus ipſa ſigilla ante oculos expoſita ſint, & exinde colligi vexillorum varietas poſſit; ſatis nunc habebo, pauca vexillorum exemplaria ære excuſa exhibere; uti ea tum priſcis tum poſterioribus temporibus Auſtriæ Marchionibus ac Ducibus uſitata in monumentis reperiuntur. Supervacuum de reliquo foret, de ea vexillorum forma, quæ noſtra ætate in Auſtria frequens eſt, quidquam addere; quandoquidem illa nobis quotidie ante oculos verſantur.

(b) De ſigillis P. I. cap. X. p. 128. ſeq.
(c) De uſu & ordine hujus inſignis plura dicentur infra cap. VII. §. V. & cap. VIII. §. I. III. & IV.

Juvat enim vero adſpicere, quam ea, quæ ex ſigillis ipſorum Marchionum deſumpſimus, vexilla ſunt ſimplicia, atque ornatu deſtituta. Primum vexillum in adjecta Tabula expreſſum, deductum eſt ex ſigillo, quo S. LEOPOLDUS obſignavit chartam in conſtitutionem monaſterii Neoburgenſis. Alterum par eduxi ex chartis Leopoldinis de annis MCLXXXVII. & VIII. quorum quidem vexillorum cum priore non congruens per omnia ſimilitudo eſt. At vero operam perdunt, ut paullo ante monebam, quicunque in veterum Marchionum ſigillis certum aliquod inſigne, ſeu ſymbolum patriæ quærunt. Siquidem a Clar. HEINECCIO, aliisque earum rerum peritiſſimis viris demonſtratum eſt, in vetuſtiſſimis Ducum ſigillis vexilla quavis Inſignium ſpecie vacua eſſe. Quocumque igitur ſtudio nonnulli antiquitatem faſciæ Auſtriacæ exaggerare contendant; eam tamen numquam in veterrimis, certæ fidei ſigillis Auſtriacis, quorum ego certe meliorem partem adcuratiſſime oculis inſpexi, ne conſpicillis quidem conſequentur. Verum nos hic ſtatim oſtendemus originem vexillis Auſtriacis figuras inſcribendi.

Tab. XXIII. Num. 1.

Num. 2. & 3.

§. III.

Figuræ vexillis inſcriptæ.

ANte tempora FRIDERICI cognomento *Catholici*, & LEOPOLDI *Glorioſi* in Auſtria nondum in conſuetudinem venerat, inſignia & arma gentilitia in vexillis ſigillorum figurare; etſi illa jam ſæculo XI. uti ſupra docuimus, in ſcutis fuerant adhibita. Neque enim hoc loco quæritur, quando arma gentilitia in clypeum ſuſcepta ſint, aut quo tempore cœptum, inſignia vexillis inferre? Qui generaliora iſta ſibi cupiunt magis habere perſpecta, eos ad GUNDLINGIUM & alios juris publici commentatores delegamus. At ego hic ſatis habeo, ſi docuerim, qui primus Ducum Auſtriæ in ſuis ſigillis vexilla inſignibus inſcripta adhibuerit? Ad hæc ita: FRIDERICUS *Catholicus*, filius LEOPOLDI *Virtuoſi* natu major, primus erat, qui ſæculo XII. exeunte figuram aquilæ, quam tamquam Dux Auſtriæ in ſcuto geſſerat, in vexillum quoque adſumpſit. (d) LEOPOLDUS VII. cognomine *Glorioſus* ejus frater tum ineunte ſæculo XIII. eandem aquilæ figuram in vexillum cum prætexto crucis ſigno accepit. (e) Eodem tempore figura, ut vocant *Pantheræ*, quippe emblema Styriæ, in vexillis exortum eſt. (f) Aquilam an. MCCXXXI. ex Auſtriaco ſcuto dimittens, FRIDERICUS *Bellicoſus*, faſciam hodiernam ſuſtulit; vexilla tamen aliter, quam *ſtriis* veterum more ornata non habuit. (g) OTTOCARUS ab initio idem faciebat; ſed paullo poſt, nimirum an. MCCLXIV. cum Auſtriaco ſcuto conſpicitur, in vexillis inſignia Styriæ oſtentans. Eadem utriusque Ducatus Auſtriæ & Styriæ inſignia ſimul exhibendi ratio ALBERTO I. & pluribus ejus poſteris uſitata fuit; aliis tamen alio ordine, ita, ut interdum inſigne Styriæ in ſcuto, Auſtriaca e contrario faſcia in vexillo effingeretur. (h)

d

e

f

g

h

Pro

(d) Vide Diſſert. I. §. IV. Tab. II. n. VI.
(e) Eadem Diſſert. I. §. VI. Tab. III. n. II. & ſeq.
(f) Ibidem loc. cit.
(g) Conf. dicta Diſſert. I. §. VII. & Tab. IV. n. I. item Diſſert. III. §. XI.
(h) Vide dictas tabulas noſtras de ſigillis Ducum Auſtr.

VEXILLA MARCHIONVM, DVCVM ET ARCHIDVCVM AVSTRIAE.



Vexillum hodiernum, quod Antesignanus Austriæ Hæreditarius in solennibus homagii gestat.

Facies ejusdem vexilli, insignia Austriæ supra Anasum referens.



Pars ejus aversa, Scutum Austriæ Inferioris exhibens.

Baltheus vexilli.

Pro Panthera, proque fascia, RUDOLPHO IV. placuit, in vexillo quadrato, equestris instar, aquilam simplicem, ad exemplum oriundorum a Babenbergica stirpe Ducum, præbere. Quod ego ita esse, ex sigillo anni MCCCLXV., quod in celeberrima hac Vindobonensi Universitate adservatur, cognovi. Adulto & jam prope confecto sæculo XIV. anno nimirum MCCCLXXXIV. quadratam etiam tunc vexilli formam retinuere ALBERTUS & LEUPOLDUS. Attamen aquila haud usi sunt; verum ille fasciam iterum in vexillis habuit, eamque variis rerum minutiis cultam & exornatam; LEUPOLDUS contra Pantheram Styriæ adhibuit. In nummis sæculi XV. conspiciuntur sæpe Archi-Duces cum vexillis seu signis equestribus, ab omni emblemate vacuis. (i) Sed in nummo FERDINANDI Archi-Ducis de an. MDXXII. vexillum video, quod aquilam præfert ea specie, qua nunc cernitur in scuto Austriaco Imperiali, parmula media insignia Austriæ referente. Atque hæc ea aquilæ figura est, quæ geminato capite in vexillis Austriæ Imperatoriis ad hunc usque diem constat. Neque tamen nego, ab illis temporibus figuram in vexillis, uti quondam factum, ac nunc quoque fit, interdum fuisse mutatam. Multum enim in his, ut cæteris rebus, varietati datum.

Num. 4. Num. 5. Num. 6. Num. 7. 8. Num. 9.

§. IV.

NEmo, opinor, temere dubitabit, quin susceptis ad perpetuum usum scutis familiarum, diversis horum tesseris & emblematibus distinguendarum, protinus ab initio quoque cœptum sit, certos & proprios colores, cum in scutis, tum in vexillis, ad discernendam generis cujusque claritatem in omne futurum tempus adhibere. Unde liquet, nobis hic sermonem non esse de vexillo, *Regalia*, ut vocant, significante, quod *rubri* coloris atque ab omnium armorum seu insignium pictura vacuum & purum erat. Illa autem colorum varietas a Marchionibus ac Ducibus Austriæ, vel ideo maxime observari debuit; quod aquilam simplicem in insignibus communiter tum habuere multæ ac diversæ omnino regiones. Proinde similitudinem emblematum varietate colorum distinguere admodum erat necesse. Verum id non tantum ita esse potuit, aut debuit; fuisse re ipsa etiam, patet ex eo vetustatis exemplo, quod ad urbem Palestinæ Ptolemaidem accidisse memoriæ prodiderunt scriptores jam pridem a nobis laudati. (k) Qui enim sublatum de propugnaculo vexillum LIUPOLDI Ducis Austriæ esse dispexisset Angliæ Rex; nisi vel indita huic aquila depicta, vel absque icone aquilæ, certis coloribus Austriacæ genti propriis distinguenda extitisset? Quales igitur hi colores? Fateor equidem, quod dudum antea: metalla & colores in antiquis sigillis & nummis ad hodierna artis Heraldicæ præcepta exigi, ac dignosci non posse. Neque nescius sum, vulgatiorem eorum esse sententiam, qui S. LIUPOLDI & nepotum ejus scutum in area cærulea auratam continuisse aquilam autumant. Enimvero unde, quæso, hoc acceperint? Neque enim ab auctoribus id adserentibus allatum usquam

Eorundem colores.

k

(i) Apud MELLEN. syllog. numm. p. 150. seq. (k) Vid. dicta Dissert. III. §. III.

argumentum vidi ullum. Quin contra, cum jam alibi monſtratum ſit, quantum a veris inſignium Auſtriacorum originibus vulgus ſcriptorum aberraverit, dum nulla argumentorum auctoritate nixi, pro aquila quinque alaudas, aut neſcio quas aviculas, adſcripſerunt; vereor, ne in ſtatuendis metallis, ſive inſignium Auſtriæ coloribus æque fides ſit dubia aut prorſus infirma. In re tamen ſatis obſcura lucem mihi aliquam adfert FRIDERICUS III. Imp. dato civitati Wiennenſium diplomate heraldico an. MCCCCLXI. (l) Eo namque civibus hanc veniam largitur: *Scutum*, AUREA AQUILA IN UMBONE NIGRO *inſignitum, quod* ANTEHAC *bene uſurpantes geſtarunt, in futurum hinc omne tempus retinere.* Quum igitur jam alio loco oſtenſum ſit, eandem aquilam, quam ſui olim ex Babenbergica ſtirpe Duces gerebant, Wiennenſibus quoque civibus celebratam fuiſſe, & quidem anno MCCXXVIII. (m) jam ante regnantem FRIDERICUM *Bellicoſum;* Fridericianum porro hocce diploma Cæſareum priſcorum temporum rationem habeat, *quod antebac geſtarunt;* &, quod caput rei eſt, quum metalla ſive aureus color & niger nominatim exprimantur, non velut vero ſimile, ſed quaſi pro certo adfirmare auſim, metalla in inſignibus veterum Auſtriæ Ducum *aquilam auream* in *umbone nigro* fuiſſe; proinde etiam ambos hosce colores adhibitos eſſe in vexillis. Etenim cives Wiennenſes, eandem ſimul cum Ducibus ſuis figuram aquilæ in ſcuto geſtantes, eosdem quoque, quos Duces in inſignibus habebant, colores ad ſcutum accepere. Pari modo conſtat, Ordines Auſtriæ, ſumptis recentioribus inſignibus, cum faſcia colores etiam, rubrum & candidum junxiſſe. Cujus rei cauſſa hæc eſt: quum inducta prius a Ducibus inſignia, illis vel largientibus, vel conniventibus, cum miniſtris & civibus quondam communicata fuere; neceſſe eſt, imagines ſcutorum Ducalium una cum metallis ſeu coloribus ad iſtos pariter tranſiiſſe; nam ſi colores ab imagine ſejungas, conciliari haud poteſt, ſcutum hujusque inſigne Ducum Ordinibus Auſtriæ umquam fuiſſe commune. Circa colores Auſtriaci vexilli temporum recentiorum, non eſt, quod multis morer. Jam enim monſtravimus, (n) æram inductæ in aream rubram faſciæ candidæ, loco aquilæ aureæ in umbone nigro, intra an. MCCXXX. & XXXI. ſtatuendam eſſe; eosque colores ex veſtimentis Ducum Auſtriæ in clypeum, & quod inde ſequitur, etiam in vexillum Auſtriacum migraſſe. Ab illis vero FRIDERICI *Bellicoſi* temporibus faſcia in inſignibus Auſtriacis cum ſuis coloribus ſtabilis permanſit; proinde nova in coloribus vexillorum mutatio ulteriori diſquiſitione non eget.

§. V.

Forma vexilli, quod in ſolemniis homagii hodie præferri ſolet.

SUpereſt, ut vexillum attingam, quod noſtra memoria in homagii Auſtriaci celebritate præferri ſolitum eſt. Hoc vero, equeſtris vexilli inſtar, adligatum perticæ octo pedum longitudinem excedentis, velum ad duos pedes extenſum, & altero tanto pro-

(l) Repete dicta ibid. §. XVI. pag. 71.
(m) Ibid. pag. 70. & Diſſert. II. §. XIII.
(n) Diſſert. III. §. XV. & ſeq.

promiſſius. Pannus eſt ſericus, coccineo colore, & velut damaſceno opere ſcutulatus. Fimbria ejus interior ex auro & argento acu picta. Extremam oram incingunt filamenta auro & ſerico rutilo mixta. Ad angulos exteriores duo dependent ex tæniis colligati cirri. Ex una parte vexilli duplicia depinguntur Auſtriæ Inferioris Inſignia: nimirum faſcia alba in area rubra, & quinque volucres auratæ in campo cæruleo. Hæc phrygii operis pictura ſerico varii coloris, item auro & argento diſcreta eſt. Inſignibus impendet intextus, eadem arte, galerus Archi-Ducis. Ex adverſa parte depinguntur Inſignia Ducatus Auſtriæ trans Anaſum. In acumine anguli interioris, minuta forma continentur Inſignia Comitum a TRAUN & ABENSPERG, & ad caſſidem erecta ambo Auſtriæ vexilla. Qua re oſtenditur, munus ferendi utriusque vexilli, pro regionibus cis & trans Anaſum, prænobiliſſimæ horum Comitum familiæ hæreditarium eſſe. De cuſpide conti demittuntur duo funiculi, ſeu limbi, ex auro & ſerico rubro complexi, quorum extrema fimbriatis cirris finiuntur. Haſta rubro pigmento delibuta, partim quoque inaurata eſt. Cuſpis illi argentea, auro bracteata, hinc Inſignia familiæ TRAUNIANÆ, illinc tortuoſis ductibus inſculpta continet nominis initia, ſeu monogramma Comitis a TRAUN. Baltheus, quo vexillum ſuſtinetur, per uncum infixum, pannario conſtat, pulchre pariter acu pictus, & tenuiore ſerico rubro munitus; vincula ei ſunt argentea, auro bracteata: horum omnium adcuratam, ut fieri poteſt, delineationem adducta ſuperius Tabula XXIII. exhibet.

CAPUT IV.

DE BACULO, SEU SCEPTRO.

§. I.

QUod *Sceptrum* vulgo dicimus, primo quidem baculus erat minor, cui *ferro reperto* ſucceſſit haſta, & ejus loco aliis gladius, bipennes, ſecures placuerunt, uti explicat Clar. HOFFMANNUS. (a) Sceptra geſtarunt non modo Romanorum Imperatores, ſed & Reges Germanorum. (b) Hinc ſceptrum ſummi Imperii ſymbolum erat, ac jus ſceptrorum penes ſummos imperantes. Attamen ſceptra cujuscunque etiam imperii inſignia facta; & jus ſceptrorum devolutum quoque ad imperantes fiduciarios, & magiſtratus; quin per ſceptra quoque, uti & per gladios & vexilla, ſucceſſoribus noviter inveſtitis Comitatus fuere contraditi. (c) Aliena hic non moror; ſed ad Duces noſtros venio. Primus Dux Auſtriæ HEINRICUS a FRIDERICO ejus nominis quoque *Primo* Imp. in laudato ſæpe diplomate anni MCLVI. hoc inter cætera privilegium obtinuit: *quod baculum habens in manibus - - - - - more*

Sceptrum Auſtriæ Inſignibus adnumerandum.

a

b

c

(a) Chiſt. Godof. HOFFMANN. Diſſ. de orig. & jure ſcept. cap. I. §. I. ſeq.

(b) Vid. CASAUBON. ad SVETON. in Nerone cap. 24.

(c) ESTOR. de Miniſterial. cap. IX. p. 610.

more aliorum Principum Imperii, conducere feoda ſua ab Imperio debeat. Ut igitur diadema, ſive pileus ille coronatus, qui Ducibus Auſtriæ, benefica Imperatorum Rom. voluntate obvenit, loco Inſignium inſigni utique habendus; ita non minor eſt ſceptri gloria, vel ideo maxime in Inſignibus Auſtriæ præcellens; quod Duci HEINRICO illius baculi uſus, non levi pretio, verum ad id conceſſus ſit, ut eum in manibus habens, conducere feuda ſua ab Imperio poſſet, ac deberet; cum tamen vetus hoc ſit, ut clientes ad hujusmodi ritus arma & domeſticum ornatum omnem ſubmiſſi deponant. Re vero ipſa ſceptrum olim inſignibus Auſtriæ adnumeratum eſſe, & publice celebratum, cognoſcitur non modo ex Fridericiano iſto ſigillo de anno MCCCCLXXIX. verum etiam ex duobus antiquioribus ſigillis, editis ab Excell. & Eruditiſſimo D.
d Comite a WURMBRAND. (d) Is enim deprompſit ſigillum *Stephani de* MEISSAU Mareſchalli Auſtriæ ex archivo inclytorum Ordinum Inferioris Auſtriæ ad an. MCCCI. Item aliud *Rudolphi de* EPERSDORFF Camerarii Auſtriæ ad an. MCCCXIV. Procerum horum ſigilla ambo ſunt equeſtria; & Mareſchallus quidem, loco enſis, dextera manu clavam geſtat, ſceptri inſtar effictam; Camerarius vero baculum ornatum, ſeu ſceptrum, officii inſigne, manibus gerit. Schemata iſtorum ſceptrorum mox dabimus. Qui plura hujus rei exempla, ab inferioribus temporibus deducta, intueri cupiunt, ut ſcilicet Duces Auſtriæ, præſertim ex ſtirpe Tyrolenſi, in nummis uncialibus ſceptra gerentes ſe præbuerint; iis auctor ſum,
e ut D. *Jacobum a* MELLEN, (e) cujus ex opere nos quoque aliquot exemplaria mutuati ſumus, adeant.

§. II.

Ejus figura & ornamenta varii generis.
f

ANtiquiſſima ſceptra erant lignea, tenui ære incluſa, vel ornata; (f) ſed frequentiora eburnea; nonnullis aurea, aliis argentea placuerunt. Ducibus Auſtriæ communiter tribuitur baculus ex argento. Ut vero Imperatorum & Regum, ita quoque Ducum noſtrorum ſceptra non eandem ſemper ſervarunt formam atque ornatum. Vetuſtius nullum in ſigillis Auſtriacis inveni ſceptrum, quam quod laudatiſſimus Dom. Comes a WURM-
Tab. XXIV. Num. 1. BRAND e ſigillis miniſtrorum Auſtriæ eruit, cujusque ego hic figuram adjungo. Scite quidem & adcurate advertit ipſe doctiſſimus D. Comes, iſtam baculi ſpeciem clavæ ſimilem eſſe; clavam ſcilicet olim pro gladio fuiſſe novimus. Verum cum mihi etiam ſceptrum referre videatur, nolui eam hic præterire. Cl. HOFFMAN-
g NUS (g) animadvertit, geſtationem gladii, olim poteſtatis & dignitatis indicium, atque obeundum Mareſchallo munus, in vulgatum adeo deinde uſum veniſſe, ut primæ juſtæque conſuetudinis vix indicia ſupereſſent. Unde factum, opinor, quod *Stephanus de* MEISSAU pro gladio clavam ſceptri ſpecie adhibuerit. Alter ve-
Num. 2. ro ille baculus, quem *Rudolphus ab* EBERSDORFF Camerarius gerit, perſimilis ſceptro eſt, medio ac ſummo circumdatis ornamentis ſpe-

(d) Collectanea Geneal. Hiſtor. ex Archivis Auſtr. ad pag. 260. Tab. n. III. & IV.
(e) Syllog. nummorum Lubecæ in 4. 1698.
(f) Servius in Homer. apud HOFFMANNUM l. c. pag. 10.
(g) Loco cit. §. VI. pag. 30.

SCEPTRA DVCVM ARCHIDVCVMQVE, NEC NON BACVLI MINISTERIALIVM AVSTRIÆ. Tab. XXIV.

Baculus supremi Aulæ Præfecti hæreditarii.

Sceptrum Archiducale hodiernum

Insigne hæreditarii Bacilliferi.

Capulus aureus ejusdem baculi.

Hujus forma major cum capulo aureo.







ſpecioſo. Sæculo XV. uſu venit, ipſos Duces in ſigillis & nummis ſuis, præditum circulo aut globo ſceptrum ferre; uti adparet in ſigillo Fridericiano, & nummis uncialibus SIGISMUNDI Archi-Ducis. A ſæculo XVI. nummos FERDINANDI Archi-Ducis Tyrolenſis habemus, in quibus ſceptrum conſpicitur, loco globi in lilium exiens, & in uno ex his nummis ſignum crucis lilio ſuperimpoſitum. Sceptrum CAROLI Archi-Ducis in nummo unciali, cuſo ad an. MDLXXX. alium in vertice floſculum habet, cui inſiſtit, quadam quaſi pyramide, ſublatus globulus. Denique ſæculo XVII. LEOPOLDUS Archi-Dux Tyrolenſis duas ſceptrorum ſpecies habuit; quarum uni pomum, atque huic lilium ſuperadſtat; altera vario utrinque florum ornatu exculta eſt. Verum iſta ſceptrorum diſſimilitudo minimum momentum habet; quippe quæ pictorum ingenio, eorumque, qui monetam cudunt, arbitrio tribuenda.

Num. 3. 4.

Num. 5. 6.

Num. 7.

Num. 8. 9.

§. III.

SCeptrum illud, quod Archi-Ducibus in homagii celebratione inter Inſignia præfertur, hic in Tabula delineatum, Cæſaris RUDOLPHI II. cura ac ſumptibus comparatum eſt. Conſtat id e cornu monocerotis; tota longitudine duum pedum & quinque pollicum: capulus aureus, encauſto ubique pictus, longus ſex pollices, oram utramque habet adamantibus & margaritis incinctam. Apex illi eſt longitudine octo pollicum, forma fructus piri; inferius quoque adamantibus & unionibus circumcluditur, ſicut capulus. Diſtincti inter ſe octo parvorum quaſi arcuum flexus ita in extremis coëunt, & infra quidem ſtrictius, ut eam, quam diximus, formam piri, apici inducant. Horum circulorum quatuor, ſpecioſæ magnitudinis adamantibus, aliorumque candentium lapillorum fulgore vibrant: reliqui quatuor ſingulis rubinis ornati; encauſti inſuper in eo apice multa elegantia. Summum pirum claudit parvulus circulus, margaritis interſtinctus: de ſummo apice ſurgit ſaphirus, bene politus & auro incluſus, altitudine duorum pollicum. Inde colliges, quanta ſit differentia ſceptri hujus, ab Imperiali, quod WAGENSEILIUS de civitate Norimbergenſi diſſerens, hisce verbis deſcribit: *Sceptrum Imperiale ingens quidem eſt, ſed argenteum tantum & leviter inauratum. More vulgatorum ſceptrorum ornatu cætero deſtituitur, niſi quod in ſummitate folia querna ſex habet, quorum tria, per alternationem ſurſum, totidem deorſum vergunt, deſinitque in querneam glandem.*

Forma hodierna ſceptri Archi-Ducalis. Lit. A.

§. IV.

AD hanc quoque tractationem pertinent baculi miniſtrorum Auſtriæ, qui in publica etiam homagii celebritate, pro Inſignibus officii, anteferuntur in pompam. Miniſtrorum tantum duo ſunt, qui præter Fecialem ſeu Caduceatorem hos baculos ferunt; ſcilicet ſummus aulæ Magiſter, & Præfectus Dapiferorum, quem Primivirgium, ſeu Bacilliferum vulgo *Stabel-Meiſter* ad-

Baculus ſummi aulæ Magiſtri hæreditar. nec non hæreditar. Præfecti Dapiferorum.

adpellant. Utriusque baculi figuram exhibemus, qualem in noviſſimi homagii celebritate adhibuerunt. De ſingulis ſeorſum:

Lit. B. B. Baculus ſummi aulæ Magiſtri hæreditarii factus ex ligno nigro macerato, craſſitudine per mediam lineam unius pollicis, longus, etiam ſine præfixis inſignibus, pedes quatuor cum beſſe. Summum, medium, atque imum baculi munitur vinculis, ex auro ſolido deductis in duos & unam pollicis partem tertiam. Evoluta, quam medium vinculum continet, cochlea, in duas partes ſeparatur. In ſuperiore vinculo inſcriptio ſequens erat:

Mariæ Thereſiæ Hung. Boh. Reginæ,
Archi-D. Auſtriæ Homag. præſtatur
Viennæ XXII. Nov. MDCCXL.

In ſummo baculo præfixa erant Inſignia Auſtriaca, cum galero Archi-Ducis, facta ex auro, & picta encauſto, altitudine paullo minus quam duorum pollicum. Ab uno latere inſignium, in faſcia Auſtriaca deſignabatur nomen Sereniſſimæ Reginæ his litteris M. T. & ex adverſo anni notæ MDCCXL.

Præfecti Dapiferorum baculus, ſummi aulæ Magiſtri baculo prope ſimilis eſt. Ille quidem hoc pollicem unum brevior. Non erecta de capite exſtant Inſignia Auſtriaca; ſed ſupremi vinculi circulo adplicantur, facta ex auro & picta encauſto; continentia quoque ſiglas M. T. cum notis anni ſupra dicti. In ſuperiore hoc circulo inſculpta etiam inſcriptio, quam ſupra recitavimus. Uti Lit. C. C. videre eſt in adjecto ſchemate. Huc quoque referre liceret caduceum Fecialis Auſtriaci; quod vero cum in tractatione de veſtibus Ducum ſupra delineatum ſit, in præſens ſuperſedemus.

CAPUT V.

DE POMO SEU GLOBO IMPOSITA CRUCE INSTRUCTO.

§. I.

Globus inter inſignia Auſtriæ numerandus.

ID equidem pro certo adfirmare licet: ad ſolemnia Auſtriæ Archi-Ducum inter cætera inſignia pomum ſive globum cum ſuperimpoſita cruce, a ſummo hæreditarii muneris *Dapifero* in ſtromate aureo præferri ſolitum. (a) Aſt noli putare, hunc globum Imperialem eſſe, vel Hungarici, aut Bohemici regni inſigne. Res enim notiſſima eſt, quod etſi Auſtriæ Archi-Duces regna ſimul Hungariæ & Bohemiæ hæreditario jure teneant; nullum tamen, ad homagium Auſtriacum, Imperii, hæreditariorumve regnorum inſigne adhibeatur, aut præferatur. Quod vero ſi eſſet, etiam cætera inſignia coronæ, ſceptra, & quæ

(a) Vid. acta der Erb-Huldigung FERDINANDI IV. in Collect. Genealog. Hiſtor. pag. 352. & CAROLI VI. de anno 1712. ſpag. 55.

quæ alia ſunt horum regnorum decora, in illius ſplendorem celebritatis conferri debuiſſent. Verum contra novimus, non aliud tum diadema, quam pileum Archi-Ducalem, nec ſceptrum, niſi Ducale illud, uſurpari. Ut igitur extra omnem controverſiam eſt, Archi-Duces Auſtriæ ſua ſibi propria, atque ab hæreditariis cæteris regnis ſejuncta inſignia tenere, & quidem etiam inſtructum præfixa cruce globum; ita quoque hic globus Auſtriacis inſignibus recte adnumeratur. Quamobrem quæ hujus inſignis origo, quæve ſignificatio, atque figura, nunc expendamus.

§. II.

NOn id mihi in præſenti exquirere animus eſt: quo tempore cœptum, in numero inſignium regalium globos ponere. Oſtendit enim Cl. auctor Diſſertationis de *globo Imperiali* (b) globorum uſum jam olim fuiſſe in antiqua ſuperſtitione apud priſcos Romanos, apud Francos item, veteresque Germanos. Quod quidem ille, non tantum fide veterum ſcriptorum, verum etiam nummis, ſigillis, aliisque rerum antiquarum monumentis confirmavit. Sed id ago, ut planum faciam: ubi primum in conſuetudinem venerit, pomum cum inſerto crucis ſigno ad celebrationem homagii Auſtriaci adhibere? Fateor equidem, diplomate illo, atque univerſali privilegiorum Auſtriacorum confirmatione, quam Imperator RUDOLPHUS II. an. MDXCIX. Pragæ edidit (omnia Ducibus & Archi-Ducibus Auſtriæ ab Imperatoribus, Regibusque Romanorum ante & poſt CAROLUM V. conceſſa privilegia & jura, rata faciens) de præferendo ad celebrationem homagii pomo, cruce inſtructo, manifeſtam nullam fieri mentionem. Nec abnuo, quum ante tempora Ferdinandorum Impp. acta homagii antiquiora prælo commiſſa vix usquam reperire liceat, certam æram, atque initium, accepti inter inſignia Auſtriæ pomi, definiri vix poſſe. Sed quo demum cunque tempore cœptum ſit, pomum pro inſigni Auſtriæ geſtare; id profecto eſt nec temere, nec ſine maxima privilegiorum auctoritate factum. Cum enim HEINRICUS Imp. LEOPOLDO *Glorioſo* Duci Auſtriæ nominatim conceſſerit, *regalis coronæ diadema geſtare;* notumque ſit, in corona Imperiali exſtare globum cum cruce; primum adſerere licet: eo ipſo Ducibus Auſtriæ datum, quod poſſint pomum Imperii & ſibi jubere præferri. Secundo loco, Archi-Duces a temporibus FRIDERICI Imp. aliquando globos, aliquando crucis ſigna, ſuis baculis, ſeu ſceptris præfixa habuiſſe (ut jam proximo capite a me monſtratum eſt) proinde a vero alienum non eſſe, geſtationem globi cum ſuperimpoſita cruce ab eodem imperatorio beneficio manare, quo erant ſceptra Ducibus Auſtriæ permiſſa. Tertium, antiquioribus quidem temporibus Dapiferos Ducum Auſtriæ pro inſigni muneris catinum clauſum tuliſſe (ut cognoſcitur ex ſigillo Puechaimiano de anno MCCCXVII.) (c) poſtea vero eos, Imperialis Archi-Dapiferi ad exemplum, pro inſigni in cerimoniis & ritibus ſolemnibus Imperii glo-

Origo hujus inſignis.

b

c

(b) Edit. Francof. & Lipſ. in fol. 1730. Add. HEINECCIUS de ſigillis pag. 86. & WAGENSEIL de S. R. I. ſummis officialibus cap. XII.

(c) Illuſt. auctor Collectan. Geneal. Hiſt. Auſt. pag. 266.

globum adhibere cœpisse. Quartum, in principibus aulis nonnumquam fieri, ut certi ritus & ornamenta, ad publicas celebritates inducantur; licet de Imperatorii diplomatis auctoritate, deque origine & caussa ejus rei minus aperte constet. At vero vel maxime Ducibus Austriæ convenit *Pomo* pro insigni uti; utpote quibus (id quod demum quinto loco ponam) Imperatorum arbitrio, cum nomine Regio [d] adæquanda omnino dignitas est; atque etiam hodierni Archi-Duces hæreditariaHungariæ &Bohemiæ regna Reges tenent. Dubito etiam, an, qui veram præferendi coronandis Romano-Germanicis Imperatoribus globi originem sibi sumeret explicandam, faciliore rem negotio expedire posset. Nam licet communis fere sententia sit, aureum Imperii globum, ætate nostra coronandis Imperatoribus præferendum, a CAROLO *Magno* esse ortum; haud tamen est ita facile dictu, quo tempore deservientes Imperatorum mensæ Archi-Dapiferi Imperii, præferre globum, velut insigne, cœperint? Quin Clar. de LUDEWIG [e] adserit: ipsorum etiam Archi-Officiorum originem caussamque etiamnunc latere juris publici magistros; verum de his ego nunc non sum sollicitus. Qui de origine & officiorum palatinorum aliorumque multiplicibus classibus plura desiderarint, illis modo laudatum eruditissimum auctorem commendatum cupio.

§. III.

Ejus significatio.

QUod si nunc ea quæstio oboriatur: quid sibi velit, quidque momenti habeat præferendi istius pomi, seu globi gestatio? tum quidem laudatus auctor Dissertationis *de globo Imperiali* ita respondet: [f] antiquos Romanorum Imperatores per globum quondam significatum iviss̃e, se Imperium tenere orbis terrarum; tum quoque Christianis sacris imbutos, illud quidem Imperatoriæ potestatis signum, quasi per manus traditum, retinuisse; sed ut arrogantiæ invidiam minuerent, addidisse signum *crucis;* memores, se CHRISTI beneficio Imperium & victoriam esse adeptos. Verum in alia omnia ivit Clar. *Joh. Jacob.* CHIFLETIUS. [g] Is enim negat, gestamen pomi aurei peculiarem esse notam *Imperii:* symbolum potius, ait, abundantiæ erat & fertilitatis; quod pro omni fructuum genere solebat usurpari. Attamen fatetur, *pomum* typum regni fuisse, notam scilicet *regni bonis circumfluentis*, non autem *Imperii.* Mihi vero potissimum probatur, quod eruditissimus DU CANGIUS [h] ea de re sentit; ille enim ita: quod vox ORBIS non modo *Imperium*, sed etiam *regnum*, *dominationem*, quin interdum *pagum* seu *provinciam* significet; hinc in tabulariis crebro hasce occurrere formulas: *Orbis Lemovicinus*, *orbis Caturcinus.* Certe exstat in Historia Germanica apud Cl. OLEARIUM ejus rei exemplum: [i] ubi nimirum in nummo bracteato CONRADUS Archi-Epi-

(*d*) Vid. FRIDERICI II. Imp. diploma an. 1245. apud *Pet. de* VINEIS l. 6. c. 26. CUSPINIAN. p. 35. & GOLDAST. loco citato p. 305. ap. *Gotth.* STRUV. corp. Hist. Germ. Period. VII. p. 463. Adde ejusdem FRIDERICI II. Imp. diploma ap. MEIBOM. T. III. p. 203. quo Cæsar, OTTONIS Ducis Brunsvicensis ministeriales, in ministeriales Imperii adsumit, eisque concedit, juribus illis uti, quibus Imperii ministeriales utuntur.

(*e*) Jura Feud. Rom. Imp. p. 846.

(*f*) Supra cit. §. XVII. p. 14. Adde HEINECCIUM l. c.

(*g*) Vide Lumina prærogat. ad vindicias Hisp. m. p. 374.

(*h*) Gloss. med. & inf. Latin. voc. ORBIS edit. novissima.

(*i*) Spicil. antiq. n. 20. p. 13.

Tab. XXV.

VERA DELINEATIO GLOBI ARCHIDVCALIS.



Clavis aurea Supremi Camerarii Aust. insigne.

Clavis ex chalybe hæreditarii Aust. Janitoris insigne.

B.b.

To. I. p. 189.

Episcopus Moguntinus adparet, dextera globum tenens. Atque illa vocis *Orbis* interpretatio ad significationem globi seu pomi Austriaci explicandam in primis apta est; ut enim synonima ista vocabula, *orbis*, *globus*, *circulus*, in chartis & scripturis mediæ atque infimæ latinitatis, dominationis ac provinciæ vim & sententiam habent; ita quoque symbolum, sive res ipsa significans, *globus* nempe, nihil nisi alicujus *provinciæ*, aut *regni dominationem*, ut nomine, ita re & signo repræsentat. Proinde *globus* seu *pomum* illud, quod in celebritate homagii Austriaci tamquam insigne præfertur, ex se *symbolum Archi-Ducatus Austriæ* est, quo ad Archi-Duces vero, quibus præfertur, *signum dominationis in orbem seu circulum Austriacum*. At contra munus hæreditarium *Archi-Dapiferiæ* Imperii significat symbolum illud pomi Imperialis; quod FRIDERICUS II. Elector Palatinus, venia Imp. CAROLI V. an. MCXLIV. in sua insignia accepit; (k) quodque ab eo dein in Serenissimæ Domus Bavaricæ decus atque incrementum cessit. k

§. IV.

NUnc ego tantisper ad globum, Archi-Ducibus in homagii celebratione præferri solitum, redeo. Falsi sunt illi, qui scripsere, eum globum ex argento constare. Aurum est purissimum; adamantibus & margaritis ornatur adfatim: ut vel ex adjecta hic delineatione patet. In majori ærario palatii huic thesauro custodia est. Auctor tam globi, quam coronæ domesticæ ac sceptri fuit RUDOLPHUS II. Imp., qui in pretiosissima hæc insignia septies centum millia nummum florenorum erogasse fertur: de qua re certiorem me fecit hodiernus thesauri custos Dom. a SCHWINGHEIM. Interim corona, pro auri & gemmarum copia, haud dubie plerumque pecuniarum consumpsit; quæ vero, cum non sit pro Insigni Archi-Ducatus Austriæ, hujus tractationis ordine excedit, satisque est præcedenti Diss. §. finali de ea locum ex BALBINO adduxisse. Globus porro altitudine ad apicem usque impositæ crucis, supra decem pollices, pondere auri purissimi, nec non adamantium & margaritarum, gravis invenitur aliquantum etiam supra quatuor asses ponderis antiqui, sive sex besses, id est tres libras vulgares. Ut adeo & pondere & magnitudine & pretio, globum aureum Carolinum, qui ad inaugurandos Imperatores Romanorum adhibetur, insigniter superet. Globus enim Carolinus a Prænobili & Clar. viro D. EBNERO in hunc modum describitur: „ Is totus aureus est, modicamque sphæram, cruce impo„ sita ornatam refert, quæ virili manu facile potest comprehendi; „ quam si pondere examines, deprehendes gravem tribus bessi„ bus ac præterea semiunciis tribus totidemque drachmis, hoc est „ 3. *Marck*, 3. *Loth*, 3. *Quint*. Aliam globi Imperialis descriptionem habemus apud *Joan. Christoph.* WAGENSEILIUM in Comment. de civitate Norimbergensi pag. 239. quæ ita habet: *In* POMO IMPERIALI *nihil præcipue mihi notavi. Modicum est, & quod virilis manus facile complectatur. Intus illud terra repletum esse* GOTHOFREDUS

Globi Archi-Ducalis auctor, materia & forma.

TAB. XXV.

(k) *Hubert. Thomas Leodius* Lib. 13. hist. apud. WAGENSEIL l. c.

DUS VITERBIENSIS *ſcripſit in chronico; hanc autem, ſive materiam aliam, bractea aurea circumveſtit. Ambit illud medium, circulus gemmis refertus, & talis quoque eſt crux, deſuper inſita immobilis.* Globi vero Archi-Ducalis media linea quatuor ſemis pollices æquat; cujus circuitus includitur circulo, quatuor adamantibus ſpecioſa magnitudine, qui ſinguli aliis minoribus incinguntur, exornato. Infra ſupraque hunc circulum circumdatæ ſunt lineæ margaritarum orientalium. Reliquum intervallum encauſto egregie pictum, & octo magnis unionibus decoratum. Tota latitudo circuli æquat pollicem unum & duas tertias. Globus ab imo, amiſſa rotunditate, ad inſiſtendum nonnihil planus, aliis etiam duobus circumcluditur circulis, ſub majorem illum, qui medium continet orbem, in decuſſes revinctis; pictura vero encauſti diverſa. Supra globum eſt circulus adamantium minorum. Inde, quaſi de alveolo quodam, ſurgit aurea crux, altitudine & latitudine ſex pollicum. Mediam crucem & ſuperiores tres angulos ornant adamantes mediocri magnitudine; gemmam, quæ media eſt, alii quatuor adamantes incingunt; reliquis tribus terni ſingulatim adduntur. Quatuor præterea in adamantibus interlucent rubini. In quatuor angulis totidem ſunt uniones ovati: in extremitatibus transverſis duæ margaritæ rotundæ. Hæ gemmæ omnes auro & encauſto includuntur. Summo vertici crucis inſeritur ſaphirus oblongus, colore ſuaviſſimo. Averſa autem pars crucis, præter picturam encauſti, gemmarum nihil oſtendit.

CAPUT VI.

DE RELIQUIS INSIGNIBUS ARCHI-DUCUM AUSTRIÆ.

§. I.

Recenſio cæterorum inſignium.

AD recenſita jam hæc Auſtriæ inſignia etiam alia quædam accedunt, quæ pariter in ſolemni celebritate homagii, ab munerum hæreditariorum miniſtris Auſtriacis ſolent partim præferri, partim prolixa pompa duci. Hujus generis eſt baculus, quem præferre ſolet ſummus hæreditario munere aulæ Præfectus provincialis. Deinde veſtis ſolemnium, nec non caduceum album, quæ Auſtriacus Caduceator geſtat. Tum ſigna ſummi provincialis hæreditario munere Venatoris; venatoria nempe viridis veſtis, ſica venatoria, & cornu venaticum; cujus quoque greſſum comitatur ſaltuarius quidam, ſerica copula viridi canem ad templum usque ducens. Signa ſummi hæreditario munere Falconarii, qui veſtem viridem, ſicamque peramque venatoriam, & galerum falconis ſupra pileum gerens, manu falconem fert ad ædem usque ſacram. Denique etiam baculus ille argento vinctus, quem ſummus hæreditario munere ſtabuli Præfectus gerit. (a) His equus ille, qui

(a) Vid. Erb-Huldigungs Acta de an. 1712. pag. 55.

qui Hipparchiæ videtur fuiſſe ſignum, poſſet adjungi. Verum cum ſupremus ſtabuli Præfectus inter ſolemnia pedes incedat juxta equum, cui Archi-Dux inſidet, de illoque nos equo infra ſimus dicturi, ubi de uſu inſignium, de hoc nunc nihil memorabimus; uti nec de cæteris in Auſtria hæreditariis muneribus, peculiaria inſignia non habentibus; utpote quæ non tantum in editis actis homagii jam recenſita; ſed etiam ab Excellentiſſimo D. Comite a WURMBRAND, (b) & nuper a Clar. D. *Joh. Petro de* LUDEWIG (c) enarrate & docte ſunt expoſita. b c

§. II.

EQuidem ſupremi Venatoris, item Falconarii ſignis pariter non eſt, quod immoremur: horum meminiſſe ſatis erit; quoniam ea ſymbola, quæ viva præſeferunt animantia, aliis etiam pluribus aulis communia ſunt. Sed in Auſtriaci homagii celebratione ſingularis circa clavium ſigna ritus obſervatur. Cum enim claves & a ſummi Cubicularii, & a ſummi Janitoris hæreditario munere celebrentur; aliquod ſolet horum ſignorum in actibus homagii diſcrimen adhiberi. Summi Cubicularii clavis ad noviſſimum homagium adhibita, ſolido auro conſtabat, longitudine ſeptem pollicum, pectinis forma ſingulari. Supra canaliculum, in medio capuli circulo erecta ſtabant Inſignia Auſtriaca ex auro & encauſto, impendente galero Archi-Ducis. In faſcia Auſtriaca deſignabantur ſiglæ M. T. nominis Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ, & in averſa parte notæ anni MDCCXL. Qua parte canaliculus cum capulo jungitur, parvo cingitur circulo adamantium. Contra, Janitoris hæreditarii clavis facta eſt ex chalybe, cujus aliqua tantum pars per ornatum inaurata. Hæc tamen, æque ac aurea clavis, Inſignia Auſtriæ cum ſiglis & notis chronologicis, nec non circulum adamantium infra ferruminationem capuli offert. Clarius etiam harum clavium diſſimilitudinem perſpicies ex prædicta tabula, in qua eas globi Archi-Ducalis figuræ ſubjecimus. Schemata nonnullorum hujus generis.

CAPUT VII.

DE USU INSIGNIUM AUSTRIACORUM.

§. I.

REliquum nunc eſt, ut de uſu & ordine Inſignium Auſtriacorum exponatur. Quocirca præprimis notandum, eo diplomate, quo MAXIMILIANUS pileum Archi-Ducalem Clauſtro-Neoburgi adſervandum vovit, ſatis provide conſtitutum eſſe, ut non niſi duplici deinceps id diadema uſui inſerviret: cum ſcilicet maximus natu Archi-Dux præſens beneficiario ritu ab Imperatore Romanorum inaugurandus; deinde cum a populo in ejus Uſus Inſignium Auſtriacorum præcipue duplex.

(b) In collect. geneal. Hiſt. quibus accedit de hæreditariis Provinc. Auſt. officialibus commentatio.

(c) In juribus feudorum Rom. Imp. Halæ 1740.

ejus hæreditaria jura jurandum. Ut igitur diadematis usus in duobus potissimum ritibus consistit; ita cæterorum quoque insignium duplicem esse celebrationem licebit adferere: in Austriaca nempe investitura, & homagio. Quamvis nonnumquam aliqua Austriaca insignia etiam ad exsequias, & solemnia funerum soleant adhiberi; prout paullo inferius per transcursum, plenius autem Tomo IV. dicendi occasio recurret. Hic vero agendum ante omnia de duplici illo usu Austriacorum Insignium magis solemni.

§. II.

After in solemni investitura;

GLoriosissima Domus Austriaca, præ cæteris Imperii Electoribus, Ducibus, ac Principibus, privilegiorum ac prærogativarum multis nominibus aucta, & in summo honorum fastigio collocata, solemnem in jure prædiorum confirmationem his pridem rituum decoribus celebravit: Archi-Dux ab Imperatore Romanorum beneficiario ritu inaugurandus, ipse præsentem se sistit, Principali veste indutus, obtectusque pileo Archi-Ducali, radiata corona cincto; bacillum argenteum, sceptri instar, manu tenens, equo insidens, sub dio, ipsiusque Austriacæ regionis suæ aura, præsentibus cæteris Imperii Electoribus atque Principibus. Ista tanta Archi-Ducum decora, rerum frequenti usu, cunctorumque Electorum & Principum Imperii consensu, Imperatorumque judicio rata & confirmata, ad omnia beneficiaria jura, feudorumque collationes quaslibet se extendunt, in summam profecto Augustæ gentis ipsiusque Imperii Romani gloriam comparata. Accedit porro ea Archi-Ducis Austriæ dignitas, ut coronæ regiæ diadema, diadematisque Imperatorii crucem in Archi-Ducali pileo suo gestare, sibique pollit gladium, & vexillum provinciæ in conspectu Imperii atque orbis terrarum jubere præferri. Peculiares istæ Austriacæ Domus prærogativæ manifestiores sunt, quam quod manifestissimum; nos quoque jam supra ista imperatoria & regia diplomata, quibus abunde comprobantur, in fidem sæpe adduximus. Nunc autem constitutum mihi est, Austriacorum etiam igsignium usum in investitura ex idoneis monumentis atque antiquitatis fide confirmare.

§. III.

quod ex monumento docetur.

ULtimam solemnis investituræ celebrationem CAROLUS V. habuit, quum fratri suo FERDINANDO I. Principi Hispaniarum & Archi-Duci Austriæ an. MDXXX. feuda contulit; idque durantibus comitiis Augustæ Vindelicorum, in Austriaco Imperii marchionatu *Burgoviæ*, prope vicum *Wellenstein* (alii *Walpurgum*, & *Wolkenburg* vocant) sub dio atque in æquore aperto, adstantibus Electoribus cæterisque Imperii Principibus peractum est. Solemnis hic actus eo in loco, ubi facta inauguratio, in muris quondam depictus erat; sed forma pluviis aliisque temporum
a injuriis jam oblitterata. Legeram (a) quidem, eundem actum in tabu-

(a) Apud GUNDLING de feudis vexilli pag. 71.

tabula lignea quoque, egregia pictura expressum, Norimbergæ in castello adservari; verum edoctus fui postea a viris doctissimis & nobilissimis Norimbergensibus Dom. ab EBNER, & D. a BAYER, istam non nisi feudorum quorundam, in regno Bohemiæ sitorum, investituram, a CAROLO V. Magistratui Norimbergensi factam, referre. In antiquissimis ego illam tabulam Burgovienſem hujus generis posuissem monumentis Austriæ, si ejus ectypa comparare licuisset; quem enim inaugurationis actum, de investitura a RUDOLPHO I. Rom. Rege, filio suo ALBERTO I. Duci Austriæ concessa sumptum, in ære incidi curavit BIRCKENIUS, (b) nullo confirmatur monumento antiquitatis; sed videtur dumtaxat efficta ab alicujus ingenio pictoris idea. Verum antiquioris est mihi copia monumenti, tabulis illis Wellensteinianis & Norimbergensibus longe anteponendi. Hoc illud insigne sigillum præbet FRIDERICI Imperatoris ab an. MCCCCLXXIX. ad cujus fidem superiora scripta mea sæpius exegi. (c) In postica parte sigilli Imperator ex persona Archi-Ducis Austriæ equo insidet, vestitus toga talari, habitu Principum, pileo corona cincto capiti impositio, sceptrum pomo, seu globo præpilatum manu tenens. Cedro dignum, auroque sigillum hocce pretiosius; quod pompam & insignia, quibus usi in inaugurationis clientelaris celebritate Archi-Duces sunt, luculenter repræsentat. Ut vero Augustæ Domus splendor magis eluceſceret, alia octo scuta utrinque quatuor, cæteris hæreditariis provinciis addicta, in eodem fecit sigillo exprimi; quibus item suum monogramma, & proxime infra symbolum sive hieroglyphicum quinque vocalium adjunxit.

b

c

§. IV.

ALter insignium Austriacorum usus locum habet in celebritate homagii, cum subditos sibi omnes, cis Anasum fluvium, provinciæ ordines, clientesque Archi-Dux sacramento adigit. Verum in duobus jam commemoratis celebritatibus diversa plane est insignia usurpandi ratio. Etenim ad clientelam Imperii suscipiendam Archi-Dux ipse pleraque insignia gestat: vestem principalem, pileum Archi-Ducalem, manu sceptrum. Ad actum vero homagii a munerum hæreditariorum apparitoribus præferuntur Archi-Duci insignia; atque hic, quo habitu uti placuerit, equo insidet. Nam peragendo homagio FERDINANDI IV. an. MDCLI. & Imperator & Archi-Dux, ambo comparent, pro more suo Hispanicis istis vestimentis palliolatim amicti. (d) Ac non ita multo post an. MDCLV. homagium populi sui admissurus Archi-Dux LEOPOLDUS, atro colore splendidam holosericam vestem, tela rosei coloris aurea suffultam indutus, pileum habens, circumducto de gemmis limbo solido, multoque ubique pretio exornatum, equo ad ephippium, pellium muris pontici instar guttato, nigrisque dorsualibus, auro illusis insidens. (e) Nec tamen insignium ad hujusmodi actus publicos præferendorum, constans sem-

alter in homagii publica panegyri.

d

e

(b) Spiegel der Ehren des Erz-Hauses Oesterreich ad an. 1282. p. 114.
(c) Vid. Diss. I. de Sigillis T. X. ad n. II. p. 27.
(d) Collectanea genealog. Hist. Austr. p. 352.
(e) Vid. Theatr. ceremoniale apud LUNIG. T. II. p. 839.

per numerus fuit. Ut enim hæreditaria munera ſenſim aucta; ita quoque crevit numerus inſignium. Neque etiam omnibus muneribus hæreditariis certa inſignia adhærent; nam argyrothecæ, culinæ, atque januæ Præfecti, aliorumque munerum hæreditariorum apparitores non pauci, certos dumtaxat ritus obeuntes, publica nulla præſeferunt inſignia. Sunt etiam quædam inſignia, quæ ab apparitoribus aulicis adſervata, ante actum homagii, munerum hæreditariorum miniſtris traduntur; inter hæc baculus auro munitus, quem ſupremus aulæ Magiſter, aulæ Præfecto, hæreditario munere, tradit; item gladius a ſupremo aulæ Mareſchallo provinciæ, hæreditario munere Mareſchallo datus. Alia item inſignia, in aula adſervata, ante actum homagii, partim in veſtibulo conclavium, partim in atrio equeſtri, munerum hæreditariorum apparitoribus præferenda depromuntur. Talia erant in celebratione homagii LEOPOLDI Archi-Ducis an. MDCLV. inſignia tantum tria: ſceptrum, globus, & pileus Archi-Ducalis. Primum dabatur præferendum Camerario hæreditario munere; alterum Dapifero; tertium Pocillatori. Ad inaugurationem anno MDCCXII. peractam præter commemorata hæc tria inſignia, alia duo item in aula & arce imperiali diſtributa ſunt: vexillum ſcilicet Auſtriacum hæreditarii muneris Vexillario, & clypeus argenteus cum pictis encauſto inibi Auſtriæ Inſignibus, hæreditarii muneris Scutigerulo traditus. At ego his rituum explicationibus diutius non inhærebo; quandoquidem ſupra allati actus homagiorum, ſplendidis æri inciſis imaginibus illuſtrati, publica luce fruuntur. Verumtamen una res eſt, a qua ſcriptionem abſtinere nequeo; cum enim vexillorum, præ cæteris inſignibus, frequens uſus ſit, is ſingularem hic videtur ſibi verſum poſcere.

§. V.

Uſus vexillorum frequentior.

GEſtatio autem vexilli Ducibus olim noſtris frequentior erat; nec ſine his umquam ad bella ibant; nam antiquis illis temporibus, cum Babenbergenſes Auſtriam regebant, militum tres ordines erant. (f) In his tantum viri principes, ſeu primi ordinis, *educendi vexilla in præliis jus habebant.* Itaque Duces ipſos ſuis ab aliis militibus erat vexillis diſtingui neceſſe; idque eo magis, quod illis jam tum, cum Marchiones eſſent, non conceſſum tantum, verum quodammodo in mandatis datum diplomate HEINRICI an. MLVIII. *quod vexillum terræ publice ante Imperium & ante totum mundum & populum deferre debeant, atque poſſint.* Penes ENNENCKELIUM quoque, & ex allata, ſupra Diſſert. III. §. III. recenſione *Matthæi* PARIS aliorumque ſcriptorum fides eſt, Babenbergenſis ſtirpis Duces in bellicis expeditionibus ſuis vexilla geſtaſſe, & præſertim LIUPOLDUM *Glorioſum* pro ſymbolo ſupremi dominatus vexillum ſuum in turri Ptolemaidis ſuſtuliſſe. Quanta porro dignatione præditum fuerit Auſtriæ vexillum jam a RUDOLPHI I. Rom. Regis tempore, & ſequenti ævo, ex eo facile conjici poteſt, quod illud non niſi præſtantiſſimis ac primæ nobilitatis viris in expeditionibus & præliis geſtandum committeretur. (g)

f

g

Alter

(f) *Carol. du* FRESNE gloſſ. P. 2. p. 543. (g) Collectan. geneal. Hiſt. Auſtr. p. 340.

Alter vexillorum Auſtriacorum uſus erat in inveſtitura ſolemni. Vexilli enim haſta, cum eſſet poteſtatis ſignum, feuda poteſtatis hoc ſymbolo tradebantur. Ac totidem Duces Auſtriæ ferebant vexilla, quot ſub ditione ſua tenebant provincias. Adpoſite eam rem memorat OTTO *Friſingenſis*, de inveſtitura HENRICI Auſtriaci dicti *Jachſamirgott* ita ſcribens: (h) HENRICUS *major natu Ducatum Bojariæ per* SEPTEM VEXILLA *reſignavit* (FRIDERICO I. Imp.) *quibus minori traditis, ille* DUOBUS VEXILLIS MARCHIAM ORIENTALEM, CUM COMITATIBUS AD EAM EX ANTIQUO SPECTANTIBUS, *reddidit. Exinde de eadem Marchia, cum prædictis Comitatibus, quos tres dicunt, judicio Principum,* DUCATUM *fecit, eumque non ſolum ſibi, ſed & uxori cum* DUOBUS VEXILLIS *tradidit.* PRAUNIUS, de ſcutis gentilitiis nobilium Germaniæ rem exponens, inveſtituris Ducum Auſtriæ, vel duodecim vexilla adſcribit. Exinde ſuo more, id eſt, adcurate colligit doctiſſimus HEINECCIUS, (i) non recentioribus tantum (quod quidem ſatis liquet) ſed priſcis quoque temporibus conſuetudinem tenuiſſe, in ſolemnioribus Principum pompis totidem præferri vexilla, quot provinciarum Dominum ſe eſſe Princeps novit: atque ex his uſus vexillorum facile intelligitur. Cæterum jam monui, in homagii Auſtriaci ritibus unum dumtaxat præferri vexillum, ejusque jam tum exhibui figuram. At hoc notatu quoque perdignum exiſtimo: quod Duces noſtri, non modo in publicis rituum pompis, ut (de quibus dictum eſt) inveſtituris, homagiis, nec non funerum ſolemnibus, verum etiam in ſigillis ac nummis vexilla, tamquam poteſtatis ſuæ Ducalis ſigna præbuerunt. Hujus generis ſigilla ſæculis XII. & XIII. multum erant frequentia, eorumque nos in Diſſertatione prima bonam partem protulimus. D. *Jacobus a* MELLEN pariter oſtendit, Archi-Duces Auſtriæ in nummis uncialibus interdum cum vexillis conſpici, idque ad exemplum fieri antiquiorum orbis Romano-Germanici Imperatorum. Nam in nummis bracteatis FRIDERICI I. & OTTONIS IV. Imperatorum, a D. SCHLEGELIO editis, non minus ac in Principum ſigillis ac numismatibus, Imperatores equo vecti, vexillum vibrant. Memorat quoque URSTISIUS, apud HAHNIUM in chronicis Cileienſibus, de vexillis fractis & in tumulum miſſis; at nullas ego in apertione cryptarum Auſtriacarum reliquias vexillorum reperi; bene vero ſuſpenſa novi duodecim vexilla ſumptuoſo ſepulcrali monumento CAROLI Archi-Ducis Styrenſis, in templo Seccavienſi. De portatione item vexillorum ad funus FRIDERICI *Pacifici* jam diſerte egit *Æneas* SYLVIUS; qualis porro olim fuerit Auſtriacorum inſignium adparatus, quantaque in exequiis ſolemnibus vexillorum multitudo, cum PHILIPPUS Rex Hiſpaniarum patri ſuo CAROLO V. Imp. Bruxellis funebri pompa a palatio ad Divæ Gudulæ templum, juſta perſolveret, typis æneis pulcherrime expreſſit *Henricus* HONDIUS, Hagæ Comitum MDCXCI. Nos ejus deſcriptionem hic dabimus; eo quod vel maxime ad uſum ac ſplendorem vexillorum cæterorumque Inſignium Auſtriacorum pertineat.

h

i

(h) Lib. 2. de geſtis FRIDER. p. 32.

(i) De Sigillis P. I. c. 10. p. 129.

§. VI.

Recensio insignium in funebri pompa CAROLI V. Imp. adhibitorum.

ORdo Insignium in prædicta CAROLI V. Imp. funebri pompa a PHILIPPO Rege Hisp. Bruxellis celebrata, in hunc fere modum ivit. Post Feciales incedebant Vexillarii bini, vexilla insignibus ac symbolis defuncti Cæsaris conspicua, ferentes. Hos insecuti duo Armiferi, quorum alter baculo galeam cristatam, alter scutum, symbolo CAROLI V. impressо, sustinebant; tum equus crista stragulaque ornatus, ac in fronte parmulam, bicipiti aquila inscriptam, gerens, manu deductus. Mox majus vexillum insignibus Imperatoris depictum. Reliqua dein vexilla minora regnorum & regionum a singulis Vexillariis, præcedente cuivis equo, crista stragulaque, quæ insignia pariter provinciarum referebant, ab equisonibus vel equistratoribus ducto, hac serie præferebantur: vexillum *Flandriæ*, *Geldriæ*, *Brabantiæ*, *Burgundiæ*, *Austriæ*, *Corduæ*, *Sardiniæ*, *Sevilliæ*, *Majoricæ*, *Galiciæ*, *Valenciæ*, *Toledi*, *Granatæ*, *Navarræ*, *Jerosolymarum*, *Siciliæ*, *Neapolis*, *Arragoniæ*, *Legionis*, *Castellæ*. Demum quatuor vexilla Imperialia diversæ magnitudinis comparebant, quibus aquila biceps impressa, parmulam, in medio, insignibus regnorum Austriacorum inscriptam, gerens. Illa bini præcedebant Feciales; hos exceperunt duo Signiferi, qui minora ex dictis vexillis ferebant; insecutus equus stragula eorundem insignium obtectus; duo alii Vexillarii, qui majora vexilla tenuerunt, interstincti erant gressu, binis equis, manu ductis, ac Imperialibus insignibus exornati. Hos exceperunt sex Scutigeruli, quorum priores quatuor, clypeos, gentilitiis armis illustres, bini præferebant; duo ultimi baculis imposita gestabant signa, hic galeam cum laciniis, ille scutum Cæsareum cum torque aurei velleris, superimposita utrinque corona Imperiali. Insequebantur porro Ensifer, qui dextera mucronem tenens, capulo in altum erecto, & Caduceator, vestem fecialem symbolo Imperiali pictam, & baculo impositam extollens. Hos excipiebant duo, clavas humeris impositas ferentes; tum ternio Fecialium, qui vestibus ceremonialibus amicti. Succedebat denuo equus phaleratus stragula nigra, signo crucis albicante interstincta, & in quatuor areis Imperiali scuto conspicua, a viris duobus manu deductus. Singuli dein, reliqua Cæsaris insignia singulatim ostentantes, hunc vere ordinem tenuerunt: primus erat, qui insigne aurei velleris pulvino impositum gestabat, alter sceptrum tenuit, tertius strictum gladium dextera præferebat, quartus globum cruce instructum, quintus denique coronam Imperialem. Regem lugubri habitu indutum, proxime antecedebant bini aulæ Præfecti, horumque supremus Magister, nec non Caduceator aurei velleris, singuli baculos dextera tenentes. Subsecuti Equites Ordinis aurei velleris, horumque ministeriales; postremo nobiles, qui a consiliis & officiis erant, agmen clauserunt. Sed antequam & nos huic de insignibus tractationi finem imponamus, juvat de distinctione & ordine insignium Austriæ rem distincto capite paullo adcuratius exponere.

CA-

CAPUT VIII.

DISTINCTIO ET ORDO INSIGNIUM AUSTRIACORUM.

§. I.

DIstinctio inter Insignia Ducum & officiorum Austriacorum.

PRimum omnium hic obſervandum diſcrimen eſt, inter inſignia Ducum ſeu Ducatus Auſtriæ, interque inſignia ſeu potius *ſigna* officiorum aulicorum & hæreditariorum. Nam multis quidem muneribus cum aulicis, tum hæreditariis, ſua ſunt hujusmodi dignitatis ſigna, quæ, ſi adcuratius loqui velimus, pro inſignibus Ducum haberi nequeunt. Hujus generis ſunt: ſummi aulæ Præfecti baculus, Camerariorum claves, ſupremi Venatoris canis venaticus, Pincernæ poculum, Dapiferique patina (quæ ambo officiorum ſigna initio adhuc ſæculi XIV. in ſigillis ſuis habebant Domini de CHUNRING, & de BUECHAIM) tum etiam hæreditarii muneris Bacilliferi baculus, falconum hæreditario munere Magiſtri accipiter. Etſi enim iſta munera omnia cum ſuis ſignis, aliaque inſignibus carentia, ut in aulis Principum ſolet, majeſtatem ejus, cui præferuntur, domini declarent; ducatus tamen atque etiam ipſe Dux Auſtriæ alia prorſus dignioraque habet inſignia, quibus cum his officiorum ſignis nihil commune, quorumque in aula pro ritibus publicis, qua acceptionis, qua geſtationis, qua præferentium, ratio habetur diverſa. Ducum quippe inſignia, gladius, ſceptrum, globus, vexillum, ſcutum cum inſcriptis inſignibus Auſtriacis, quæ in aula cuſtodiuntur, pariterque pileus Archi-Ducalis, multa celebritate ex monaſterio Clauſtro-Neoburgenſi in aulam delatus, hæc inquam inſignia omnia munerum hæreditariorum miniſtratoribus, domi apud Duces in cubili interiori, quod *retirada* nominant, depromuntur; dum contra officiorum aulicorum ſigna ab apparitoribus aulicis cuſtodienda, ab his ante ſolemnem homagii actum hæreditariorum munerum miniſtris traduntur. Horum præterea tres, nimirum ſummus hæreditario munere Camerarius, Dapifer, & Pincerna, ad celebrationem homagii non ſolita quidem, & aulicis iſtis honoribus alias quaſi adhærentia ſigna, clavem, patinam & poculum, verum ad ſignificandam ſingularem omnino dignitatem ac prærogativam, Ducum & ducatus inſignia præferunt; neque id manibus ſimpliciter, ſed intextis auro ſtromatibus. Ita nempe a ſummo hæreditarii muneris Camerario fertur cum dependente clave ſceptrum, a ſummo hæreditarii muneris Dapifero pomum, ſive globus, cum ſuperimpoſita cruce, ſummoque a Pincerna hæreditario munere pileus Archi-Ducalis. Sic pariter ex actis homagiorum diſcimus: & eundo ad ædem ſacram, & in templo ipſo, & redeundo in aulam, & inter homagii celebrationem inſignia Archi-Ducum a ſignis officiorum, atque ita quidem diſtingui, ut illa ad omnem greſſum ac ſtatum propius ab Archi-Duce ferantur, quam ſigna officiorum.

Excipe vexillum, quod eundo redeundoque a concione ſacra, inclytis Auſtriæ ordinibus ſolet præferri. In ipſo tamen templo, nec non inter celebrandum homagium, hæreditarii muneris Vexillarius inſigne ſuum ſuſtinet, ſtans inter cæteros munerum hæreditariorum miniſtratores, Archi-Ducum inſignia gerentes.

Ex obſervata porro hac diſtinctione patet, ad Archi-Ducatus Auſtriæ inſignia proprie dumtaxat referri, gladium, vexillum, pileum coronatum, ſceptrum, globum, & ſcutum; quibus etiam adnumerari poterit Auſtriacus Caduceator cum ſuo caduceo. Itaque officiorum ſigna, quæ alterius & longe inferioris ordinis ſunt, explananda hoc loco non erunt; & nos eo labore in præſentiarum commode ſuperſedebimus. Attamen qui Auſtriacorum, tum aulicorum, tum hæreditariorum munerum, eorumque ſignorum atque ordinis ſtudio incitantur, eos ad edita jam dudum, & a nobis ſæpe in fidem adducta homagiorum acta, atque ad laudatam Excellentiſſimi D. Comitis a WURMBRAND de hæreditariis provinciarum Auſtriacarum officialibus commentationem delegamus. Addi poterit, quod de juribus feudorum nuper commentatus eſt *Joan. Petrus de* LUDEWIG, diſtinctionem præterea faciens
a inter miniſteriales provinciæ, interque miniſteriales Principis. (a)
b Item *Marcus de* WESON, qui inſignia officiorum deſcripſit. (b)

§. II.

Ordo inſignium Archi-Ducatus duplex.

Dictorum autem modo Archi-Ducatus inſignium ordo conſiderari poteſt duplex: vel enim quæritur de ætate, qua quodlibet eorum a liberalitate Imperatorum promanaverit, uſuve receptum fuerit: & hunc adpellamus ordinem chronologicum; vel ſpectatur ſeries, qua inſignia Archi-Ducum ab hæreditariorum munerum miniſtris in celebritate homagii præferuntur: & hic ordo in ceremoniis & obſervantia conſiſtit. Fateor equidem, me hactenus duplicis hujus ordinis parum fuiſſe ſtudioſum. Uti enim eſt cuique ſcriptori integrum, dicendis pro ratione inſtituti ſui, quem velit, ordinem facere; ita nos noſtra ſcriptione ad explicanda Auſtriæ inſignia id in primis curæ habuimus, ut incorruptis rerum antiquarum monumentis dicta confirmarentur. Inter quæ quum ſigilla Ducum potiſſimum adjumento eſſent, atque omnium maxime ſcuta cum variis inſignibus, caſſides, aliaque diademata & inſignia nobis exhibuiſſent; horum ſecuti ſumus indicia, aliisque monumentis minime neglectis, cœptum opus eo ordine, quo erat ab initio inſtitutum, hucusque perduximus; quod quidem nemo, opinor, ita factum ſiniſtre interpretabitur.

§. III.

unus chronologicus;

JAm vero pro ſtabiliendo & illuſtrando chronologico ordine Imperatorum ac Regum Romanorum diplomata haud quidem deficiunt. In ſuperioribus jam oſtendimus, pleraque Auſtriacorum inſignia, ut ea ſenſim Auguſtæ genti ab Imperio data, ex his

(a) Cap. III. §. XIII. p. 141. add. c. XII. §. IV. p. 842. (b) Dans la ſcience heroique c. 47. p. 536. ſeq.

his fontibus derivari. Sunt tamen hæreditaria munera (præsertim recentiora) non minus quam quædam insignia, quorum origo atque æra non ita in aperto est. Prima insignia erant gladius & vexillum, an. MLVIII. ERNESTO Marchioni ab HEINRICO Rom. Rege data: „ *quod ipsi gladium judicii ipsorum, & banderiam, sive* „ *vexillum terræ, publice ante Imperium & ante totum mundum & popu-* „ *lum deferre debeant, atque possint.* Hæcce duo insignia ego pro antiquissimis habeo, quæ Marchionibus Austriæ collata ab Imperio Romano sunt. Neque enim ex re diplomatica stirpis Carolingicæ, quo tempore Austriæ provincia necdum hæreditaria erat, intelligitur, an ulla, & quæ demum Austriæ Gubernatores tum habuerint insignia. Eum tamen a rei veritate non multum abesse putarem, qui jam istis temporibus gladium & vexillum insignia Procerum, Ducum atque Comitum fuisse adsereret. De Austriaco scuto atque ejus insignibus consulto jam nihil moneo; nam ista, ut ostendi, ab Imperatoribus Romanorum data non sunt, verum a Marchionibus ac Ducibus ipsis suscepta, atque deinde mutata. Postea vero quam provincia Austriaca *Ducatus* nomine excelleret, primo etiam Duci HEINRICO a FRIDERICO I. dignitates, privilegia, atque etiam insignia an. MCLVI. aucta sunt. Ista ego, quam potero, in verba conferam pauciſſima; quoniam de ea re jam supra pluribus transegi. Sunt autem illæ prærogativæ, quibus Dux Austriæ in solemni investitura uti potest: ut nempe Principum habitu amictus, operto capite, equo insidens, sceptrumque manu sustinens clientelam Imperio spondeat. Ex specialibus hisce omnibus prærogativis ac privilegiis duo tantum ego insignia desumo, Austriæ præ cæteris usquequaque celebratiora, *pileum* & *sceptrum.* Utrumque hoc loco præterimus; quoniam jam separata Dissertatione a me ostensum, quidquid fere de pileo sciri licuit: de sceptro quoque seorsum exposuimus.

Quo vero tempore Archi-Ducibus Austriæ cœptus fuerit ab hæreditarii muneris Dapifero globus ille præferri, commonstrare equidem, quod supra confessus sum, non possum. Attamen adsertiones duæ in aperto sunt: prior, gestationem globi sub Archi-Ducibus FERDINANDIS anno MDCLI. ad celebrationem homagii adhibitam fuisse, & in hodiernum usque diem perseverasse; altera, gestationem globi in actis homagii prius obtinuisse quam illa gestatio scuti. Nam Scutigeruli ac Palæstritæ, sive supremi designatoris certaminum hæreditaria munera, primum a JOSEPHO I. Imp. Excell. atque Illust. Comiti a SINZENDORFF collata sunt; & horum quidem alterum, munus nempe Scutigeruli nuper dato diplomate anno MDCCXII. ab Imperatore CAROLO VI. confirmatum. Quamvis insignia, quæ his muneribus obvenerunt præferenda, omnium fere sint antiquissima; quippe quæ veteres Marchiones & Duces ipsi in suis sigillis exhibuerunt; suam his, *scuto* scilicet & *vexillo* (aliis non adhibitis) gloriam atque amplitudinem declarantes; nihilo tamen minus inter noviſſima numerantur hæc munera eorum, quæ ad celebrationem homagii conveniunt; quandoquidem in actis homagii LEOPOLDI Archi-Ducis an. MDCLV. de Vexillario & Scutigerulo nulla plane mentio fit; verum anno demum

c mum MDCCV. circa homagium JOSEPHI I. (c) primum de his quidquam reperire licet; etsi quoque officium hæreditarii Austriæ Vexillarii jam pridem a FRIDERICO *Pacifico* Imperatore an. MCCCCLXVII. familiæ VOLCKERSTORFFIÆ adsignatum esset.

d (d) Et licet recentiores ritus aulici antiquissimorum etiam insignium paullatim usum ad lucem, & pristinæ gloriæ splendorem nuper retraxerint; antiquitati tamen ordinis honor, & prærogativa constitit, ut ista nimirum certis gradibus aliquanto propius ab Archi-Ducis persona consistant, aut præferantur: quam rem statim uberius explanabo.

§. IV.

alter in hodiernis ceremoniis.

MOdum sane excederem, Lectorisque benevoli satietatem, si ordinem, in præferendis insignibus Austriacis servatum, a singulis homagiorum actis ac ritibus repeterem. Uti enim hæreditariorum munerum constitutio ac numerus, Principum ubicunque, & apud nos Ducum Austriæ in voluntate semper fuit; ita pariter his arbitris designatus, præferendorum insignium ordo. Itaque ordinis istius varietatem ex quovis Austriaci homagii actu singillatim deducere, eo minus operæ pretium foret; quod in hodiernis ritibus non tam antiquitatis, quam consuetudinis cura est, ut novus actus solemnis ad proxime superiorem componatur. Verum tamen in gestatione insignium Austriacorum nostris etiam temporibus ab Archi-Ducibus ordinem quemdam, ipsorumque insignium antiquitatis haberi respectum video; quoniam antiquioribus honoratior, & propior personæ Archi-Ducis in celebritate locus tribuitur. In tribus ultimis quidem homagii actibus, eundo redeundoque ab æde sacra, sequens observatus ordo est: vexillum præferebatur inclytis Austriæ Ordinibus, quos hæreditariorum munerum ministratores cum signis suis sequebantur. Gesta dein insignia Archi-Ducatus: sceptrum, pomum, pileus coronatus, gladius, & proximum equitanti Archi-Duci scutum. Inter sacra vero, ad partem solii Archi-Ducis sinistram, strictus gladius, ad dexteram vexillum sustentatur; tum porro pileus, pomum, sceptrum, scutum. Contra in actu homagii ipso, ad sinistram sedentis in solio Archi-Ducis vexillum, ad dexteram gladius, & proxima hinc serie cætera succedunt insignia: pileus Archi-Ducalis, globus, sceptrum, scutum; agmen claudit Inferioris Austriæ Caduceator. Unde intelligitur, quam belle & provide tria antiquissima insignia, *gladius*, *vexillum*, *scutum*, ea ordinis ratione variata sint, ut uno eodemque actu, diversis ritibus singula vicissim anteponerentur.

AUCTA-

(c) Apud LUNIG. l. c. mentio nulla habetur de scuto; illud tamen gestatum esse ab Illust. Comite a SINZENDORFF, constat ex actis *der Erb-Huldigung*, editis Viennæ 1705.

(d) Illust. Comes a WURMBRAND in Collect. Geneal. Hist. p. 341.

AUCTARIUM
DIPLOMATUM AUSTRIACORUM.

PRÆMONITIO.

Viri eruditi, qui hac noſtra ætate res Hiſtoricas in lucem emittunt, conſuetudinem fere capere ſolent, ſcriptis ſuis ad calcem operis *Codicem probationum* addere; ut inde chartarum diplomatumve vetuſtate atque auctoritate narrata confirment, iisque majorem fidem mereantur. Ac nobis quidem in præſentiarum liceret ejusmodi operæ penitus ſuperſedere; quoniam Principum Auſtriæ *Sigilla* & *Inſignia*, quæ in iſthac lucubratione Lectori Benevolo ob oculos poſuimus, ex ipſis fontibus hauſta, & ab autographis deprompta ſunt; ut adeo ex ſe ipſis fidem jam habeant pleniſſimam.

Attamen iis, de quibus modo memini, ſcriptoribus, morem quoque hoc in opere, quadam ſaltem ratione, gerendum eſſe intellexi; cum perquirendo per ſacra archiva monaſteriorumque chartularia Principum Auſtriæ *Sigilla*, magno ſane numero diplomata aliaque vetuſtatis monumenta, ad illuſtrandas res Auſtriacas idonea, reperi feliciter; quorum alia anecdota, alia typis quidem jam expreſſa, ſed digna plane, quæ ad fidem archetyporum denuo examinentur, & publicæ luci donentur; quandoquidem hujusmodi diplomatum editiones ad *corpus monumentorum Auſtriacorum* vel maxime pertinent, atque adeo in hac collectione & jure & merito locum ſibi expoſcunt.

Ne vero a conſtituta in hac tractatione meta aberrem, ac *Sigillorum* & *Inſignium* horumque commentarii loco in res diplomaticas excurrendo immodicus videar, ac integrum *Codicem chartarum Auſtriacarum* producere; ex multis illis chartis & inſtrumentis a me viſis & collectis, ea ſolum ſeligere, quorum ſigilla jam ſupra in apricum poſita ſunt, aut alia quædam inde illuſtrata, illaque hoc loco per modum *Auctarii Diplomatum Auſtriacorum* ſubjungere in animum meum induxi; ut ſic ſigilla ſuis reddantur chartis & diplomatibus, hæcque viciſſim illis, ac ambo ſimul juncta ſe ſe mutuo colluſtrent, veterumque temporum facta reddant dilucidiora.

Atque utinam inſtitutum hoc noſtrum iis, qui Hiſtoriæ patriæ ſtudio tenentur, ſtimulos adhiberet, conquirendi plures ejusmodi chartas ineditas, vel jam editas ad autographa curatius exigendi, nec non alia publico nomine ac ſolemniter a Principibus Auſtriæ acta, litterisque conſignata inſtrumenta, communi bono in lucem proferendi; ut tandem aliquando *Regeſta Chronologico-Diplomatica* pro Hiſtoria Auſtriaca numeris ſuis abſoluta, condi poſſint; quæ & ſint rei litterariæ incremento, & rebus patriæ ornamento.

I.

LEOPOLDUS VI. Dux Auſtriæ monaſterio *S. Crucis* Auſtr. inferioris, terminos ſylvæ, in qua idem ſitum eſt, interpoſito concambio, in gratiam monachorum ampliat.

Circa an. 1178.

Ex archivo Abbatiæ S. Crucis Ord. Ciſtercienſis in Auſtria infer. ſignatum ciſta 1. num. 20.

LIUPOLDUS *divina favente clementia Dux Auſtrie* (1) *cunctorum Chriſti fidelium preſenti univerſitati, & future poſteritati, pacem & quietem in perpetuum. Quandoquidem ſuperne diſpoſitionis gratia in locum Illuſtriſſimi Patris, pie memorie* HEINRICI *Ducis, heres ſuccedere, & principatum merui obtinere;* (2) *dignum arbitratus ſum, & michi, meisque per omnia ſalutare, quatinus paternam circa venerabilia loca & devotionem, & liberalitatem in nobismetipſis excolere, & ad tam pie ac magnifice virtutis exemplar nos ſtudeamus omnibus modis informare. Unde quoque nobis viſum eſt, annuente & ſimul tradente Germano meo Kariſſimo* HEINRICO, *nec non & dilectiſſima matre noſtra* THEODORA, *conferre monaſterio* Sancte Crucis *& fratribus DEO illic jugiter famulantibus, aliquam partem ſilve, in qua idem monaſterium ſitum fore dinoſcitur; optantes, ut DEus & Dominus omnipotens, qui devotum numquam offerentis ſpernit affectum, anime Chriſtianiſſimi patris noſtri* HEINRICI *Ducis requiem, & reliquis parentibus noſtris regni ſui concedat beatitudinem, michi quoque ac fratri meo, ſimulque amplectende matri noſtre, &* HELENE *contectali mee, ac ſoboli noſtre ſanitatem tribuat & incolumitatem, & in regendis ſubditis pacem pariter ac tranquillitatem. Hoc ipſum vero, quod de prefata ſilva antedicto monaſterio* Sancte Crucis *dare complacuit, manu poteſtativa delegavimus*
3 *eidem venerabili loco, ita tamen, ut nequaquam extirpetur;* (3) *prefingentes ei terminos, videlicet a* Privintanne *aſcendentibus ſurſum per*
4 *montem,* (4) *qui vocatur* Hüsrucke *usque ad initium foſſati, quod appellatur* Radingsgrabe, *& abinde per viam, que in eo, quod vulgo dicunt* Ecke, *perducit in* Holarbrante, *& idipſum* Holarbrante, *& inde per retro* Holarbrante *inter duos fontes duorum rivulorum, quorum unus dicitur* Pütenbach, *alter vero* Swinbach *per viam dirigentem usque ad locum, cui nomen eſt* Wurzwalle, *pertranſeuntibus eam, quam*
5 *vocant* Hermanneswarte, (5) *usque ad foſſatum, cui vocabulum datum eſt* Foſſatum Monachorum *ad ejus ſcilicet initium, & per ipſius deſcenſum usque in* Waltſatelbach, *& per ipſius quoque deſcenſum usque in campum. Quia vero miniſteriali noſtro* Wirchardo de Arnſteine,
6 *ad quem cuſtodia ejusdem ſaltus attinet, aliquod per hoc* (6) *acceſſiſſe videbatur detrimentum; placuit fratribus ſepefati monaſterii* Sancte Crucis *dare eidem* Wichardo *vineam unam, locatam in villa, que vocatur* Voſendorf, *& agros, quos ipſi illic poſſidebant; quatinus neque ab ipſo, neque a liberis ejus, pro jure beneficii ullam aliquando ſuſtinere debeant moleſtiam. Verum, ut hec noſtra donatio rata ſemper maneat, & inconvulſa, conſcriptionem hanc noſtri ſigilli* (7) *impreſſione roboramus. Teſtes ſunt hujus rei* Otto de Aſchaim, Albero de Chunringen, *&*
7 *filius ejus* Hademarus, Wichardus de Sevelde, (8) Otto de Pur-
8 chatesdorf, *& filii ejus* Rapoto, *&* Heinricus, Hugo de Ottenſtaine, Poppo de Cnage, *& frater ejus*, Ulricus de Chungesbrunne, Hugo de Aigene, Wichardus de Arnſtaine, *& filius ejus* Perthol-

tholdus, Chunradus de Riede, Littwinus de Sunnenberg, Albertus de Pfaffteten, Ulricus de Vihehoven, Ulricus *dapifer, & filius ejus* Ulricus.

(1) Hoc ipsum instrumentum bis expeditum fuit, & bina prototypa adservantur in archivo San-Crucensi.
(2) Leopoldus VI. *Virtuosus* succeſſit Henrico patri anno 1177. Hinc chartam istam, notis chronologicis destitutam, circa an. 1178. reponimus.
(3) In altero instrumenti exemplo sequentia hic inserta leguntur : *Nec fiabula pecorum aut apiaria illic collocentur.*
(4) *Ascendentibus sursum per montem.* In alio exemplo verba hæc ita exprimuntur : *per ascensum montis.*
(5) Ibidem legis : *Hermanneswirte.*
(6) Ibid. *ex hoc.*
(7) Sigillum hujus chartæ delineatum habes supra *Diss. I. Tab. II. num. I.*
(8) In prædicto altero instrumento nomina sequentium testium ordine nonnihil alterata sunt.

II.

Leopoldus Dux Austriæ, qua hæreditarius Advocatus utriusque monasterii *San-Crucensis* & *Mellicensis*, litem de decimis in *Drumawe* & *Talarn*, ac vinetis in *Medliche* & *Draschirben* componit.

Dat. Cremis XIII. Kal. Jul.

1178. 19. Junii. *Ex eodem archivo S. Crucis. cist. 2. n. 61. lit. B.*

Notum sit omnibus Christi fidelibus (1) *tam presentis temporis, quam futuri : quod ego* Liupoldus *Dei gratia Dux Austrie controversiam inter monasteria* Sancte Crucis, *&* Sancti Cholomanni Medeliche, (2) *super decimis grangiarum* Drumawe, (3) Talaren (4) *& vinetis eorundem fratrum* de Sancta Cruce *in pariochiis* Medeliche (5) *&* Draschirchen (6) *post multos conventus super eodem concambio,* (7) *licet incassum, habitos, ex precepto Domini Apostolici* Alexandri, *& consilio Domini* Theobaldi, *Patavienſis Episcopi, anno ab Incarnatione Domini millesimo C. LXX. VIII. Indictione VI. cum hereditarius utriusque loci essem Advocatus, hoc fine tandem terminavi : Abbates eorundem monasteriorum* Heinricus de Sancta Cruce, *&* Chounradus de Medeliche *post longam conflictationem tandem XIII. K. Julii.* Cremis *in Ecclesia* Sancti Viti *in hoc consenserunt, & consensum eundem cum fratribus suis presbiteris, qui in presentiarum erant, utrimque positis dexteris super altare* Sancti Viti (8) *roboraverunt, ut fratres* de Sancta Cruce *pro decimis grangiarum & vinearum supra nominatarum, quas iidem fratres* Sancte Crucis *XL. fere annis ex privilegio* Innocencii *Papæ II., quo muniti esse dinoscuntur, non solverant, ad roborandam utrimque in posterum fraterne Karitatis concordiam, fratribus* Medelicensibus, *ad quos eedem decime, ante fundatum* Sancte Crucis *sepe dictum monasterium, attinebant, darent predia, que cum omnibus pertinenciis suis, ea libertate, & justitia, qua illis servierunt, videlicet libera ab omni exactione publica, singulis annis solvant X. talenta :* Tallaren *X. mansus & III. curtes.* Mertinsdorf *V. mansus.* Flachlandsdorf *VIII. mansus, & dimidium.* Ingersdorf *II.* Porantsdorf *II.* Rouprehtdorf *II. Et hec quidem compositio habita est de his, que fratres* Sancte Crucis *in presenti possidebant. Ceterum ut magis & magis inter predicta monasteria pax, & karitas conservetur, si que predicti fratres* Sancte Crucis *quoquomodo obtinuerint abbinc procedente tempore, de quibus jam dictis* Medelicensibus *decimationes fuerint exsolvende, de ipsis quoque apud ipsos component. Ut autem hec omnia rata, & inconvulsa in perpetuum usque permaneant, que facta sunt, si-*

1 2 3 4 5 6 7 8

9 *gilli noſtri* (9) *impreſſione roboramus. Hujus rei teſtes ſunt per aurem*
10 *tracti* (10) Chounradus *Comes* de Pilſtein. Heinricus *Comes* de Skalahe, & Sigehardus *frater ejus.* Heinricus *Comes* de Plegen. Otto de Lengenpach. Oudalricus de Aſparn. Crafto de Amechinſpach.
11 Albero de Chunringen, (11) & Hademarus *filius ejus.* Albero de Wichartmage, & Wichardus *frater ejus.* Wichardus de Sevelde, & Chadoldus *frater ejus.* Oudalricus de Stauche. Hugo de Ottenſteine. Iremfridus de Bannendorf. Albero de Minnenbach, & Roudegerus *frater ejus.*

(1) Inſtrumentum hoc exſtat quidem apud *Philib.* HUEBER, *in Auſtr. ex arch. Mellic. illuſt. p. 10.* ſed non integrum.
(2) Id eſt: *Mellicenſe.*
(3) Hodie *Trumau*, villa.
(4) *Thalern*, villa.
(5) *Medlingen*, oppidum.
(6) *Draskirchen*, villa: omnia hæc *Wiennam* inter & *Badenam* ſita ſunt.
(7) Hujus controverſiæ & concambii meminit quoque P. HANSIZIUS *T. I. Germ. ſacræ pag. 330.*
(8) Obſerva veterem hunc ritum, ponendi dexteras ſuper altare, in confirmationem factæ tranſactionis, a Monachis alias uſitatum.
(9) Ectypon hujus ſigilli habes ſupra *Diſſ. I. Tab. II. num. II.*
(10) Sueta formula, dicti *teſtes per aurem tracti, ex lege Baiwariorum.* Vid. DU CANGIUM.
(11) *Albero de Chunringen.* Hujus mentionem ingerit Chron. Zwethal. ad an. 1159. ap. *R. P. Hieron.* PEZ. *T. I. ſcript. rer. Auſtr. col. 531.*

III.

LEOPOLDUS Dux Auſtriæ cum conſenſu fratris ſui HEINRICI & conjugis ſuæ HELENÆ monaſterio ad *S. Crucem* Auſtr. Inferioris jurisdictionem concedit in loco *Munchendorff.*

1187. 18. Martii. *Ex autographo ejusdem archivi ciſta 6. num. 1.*

IN nomine ſumme & individue Trinitatis. Omnibus preſentis etatis & future generationis hominibus pax & exultatio multiplicetur in perpetuum. Quoniam ſtatuta, facta, & dicta Principum facile a memoria delentur humana, niſi teſtimonio litterarum confirmentur; iccirco tam preſenti univerſitati, quam future poſteritati hujus ſcripture atteſtatione ſignificare decrevi, quod ego LIVPOLDUS *Dei gratia Dux Auſtrie dictus, cum conſilio & aſſenſu dilecti fratris mei* HEINRICI, *& dilecte conjugis mee* HELENE *donavi DEO & beate* MARIE, *& fratribus* in Sancta Cruce *DEO ſervientibus, omne debitum & juſticiam, que me contingebat in loco, qui dicitur* Minchendorf, *quem predicti fratres monaſterii* Sancte Crucis *ſpe majoris utilitatis de* grangia (1) *in* villam *redegerunt. Ne igitur occaſione colonorum, qui ibi locati ſunt, aliquis jam dictos fratres moleſtare, gravare, vel quomodolibet perturbare, aut vexare poſſit, ſtatuimus, & preſenti ſcripto confirmamus, ut nulli, exceptis fratribus, liceat in loco prefato jus ſive judiciarium vendicare, ſolutiones, quas judices & advocati exigunt, expetere, vel aliquas omnino exactiones extorquere, munera ſeu donationes poſtulare; ſed talem pacem & tranquillitatem idem locus obtineat, qualem prius habebat, quando* Converſi (2) *ibi habitabant. Porro ſi violentus raptor, aut fur manifeſtus in eo loco deprehenſus fuerit, cum veſtitu ſuo cingulotenus complexo, de villa educatur, & judici a villanis offeratur. Ut autem hec firma & inconvulſa omne per evum permaneant, teſtes annotabo & proprii ſigilli* (3) *impreſſione ſignabo. Hii autem ſunt teſtes: Comes* Siboto *juvenis* de Herrandesſteine, Hadmarus de Cunringen, Rodolfus Stubech, Cunradus *Caſtellanus* de Medelec, Ulricus *Dapifer*, Albero de Zemeluben, Conradus de Clements, Valtherus de Wildek, (4) Hein-

Heinricus de Hehdolpf, & Albertus Muncine, Marquardus de Medelich, Heinricus de Hertesteine, Cunradus de Razchingen, Liupoldus de Melingen, Hugo de Parowa, Rodolfus *Pincerna*, Heinricus Schiecce de Zakingen, Hartungus de Sconowe, Ortwinus, Ulricus, Vichardus de Merchensteine, Heinricus de Ryhensteine, Ulricus *junior* Snegelle, Reinbertus de Bersnich. (5)

(1) *Grangia*, gallice *Grange*, horreum, seu locus, ubi bladum teritur. apud DUFRESNIUM, hac voce.

(2) *Conversi*, Fratres laici, qui res œconomicas in & extra monasteria ministrant. *Grangia* ergo dicebatur, quamdiu *Fratres Conversi* (personæ utique laicorum potestati subtractæ) in loco habitabant, & rei œconomicæ præerant. At ubi *laici colonario jure* subsituebantur, *Grangia* in *Villam* mutari dicebant. Ansa inde a Judicibus & Advocatis arrepta, exactiones & placita ab hujusmodi colonis postulandi. Unde LEOPOLDUS Dux immunitati monasterii etiam in hoc posteriori casu prospicere voluit.

(3) Typum hujus sigilli habes *Dissert. I. Tab. II. num. IV.*

(4) In alia charta ejusdem tenoris, reperiunda in eodem archivo *S. Crucis cist. 4. n. 2. lit. B.* inserta sunt nomina testium sequenti ordine: *Ortuvinus*, *Ulricus*, *Wichardus de Merchensteine*, *Henricus de Rubensteine*, *Henricus de Hertensteine*, *Henricus de Heldolphs*, *& Albertus Muncinch*, *Marquardus de Medelich*, *Cunradus de Razingen*, *Hugo de Parowa*, *Rodolfus* Cellararius, *Henricus Schieke*, *Hartungus de Sconowe*, *Ulricus* junior *Snegelle*.

(5) Etsi instrumentum hoc notis chronologicis sit destitutum in contextu scripturæ; illas tamen in inscriptione chartæ additas habet, per hæc verba: *Datum anno Dom. MCLXXXVII. XV. Kal. April.* Alterum vero exemplum (de quo in notis ad numerum proxime præcedentem) in fine hanc refert formulam: *Datum anno Incarnationis Dominice MCLXXXVII. Indictione V. XV. Kal. April. in Salchenowe. Regnante Friderico Imperatore, & semper Augusto, feliciter. Amen.* Cæterum in eodem archivo *cist. 1. num. 2.* adservatur quoque LEOPOLDI Ducis Aust. præceptum de restitutione prædii *Roreh*, monasterio *S. Crucis* injuste ablato, datum insecuto anno 1188. II. Kal. in *Mittarn*; sed hoc editum jam est a P. PEZIO *Cod. Dipl. Epist. P. II. pag. 43.* Adde *pag. 44. & 45.*

IV.

LEOPOLDUS VII. Dux Austriæ confirmat monasterio *Sancrucensi* donationem villæ *Wecilndorff*, eidem a fratre suo FRIDERICO *Catholico* factam. *Dat. in S. Cruce Indict. VI. Ducatus nostri in Austria V. Stiriæ vero IX. VIII. Kal. April.*

1203. 25. Martii. *Ex autographo ejusdem archivi cistæ* II. *n.* 10. *l.* XI. 8. *lit. A.* I

IN nomine sancte & individue Trinitatis. (1) *Omnibus Christi fidelibus presentis etatis & future generationis pax & exultatio multiplicetur in perpetuum. Mundi labentis dignitas cum sit temporalis, caduca & labilis, cautum est omnino & conducibile, gesta salutaria Principum scriptis annotare, ut & ipsis eternum cedant ad remedium, & his in quos aliquid beneficiorum collatum est, ad stabilitatis firmamentum. Hinc est, quod ego* LIUPOLDUS *Dei gratia Dux Austrie ac Stirie, vestre notum facio universitati: qualiter beate memorie frater meus* FRIDERICUS *Dux Austrie, dum esset in reversione itineris* Jerosolimitani, *ac crebra pulsaretur corporis incommoditate, in qua & sensit Divinam pietatem, que flagellat omnem filium, quem recipit, rapere eum velle, ne malicia mutaret intellectum illius, vocatis ad se* WOLFGERO *venerabili Patavienſi Episcopo, &* EBERHARDO *Comite de* Dorenberhe, *nec non* MEINHARDO *Comite de* Govrce, *Comite quoque* VOLRICO de Epan, CHOUNRADO *libero* de Ahusen, RAPOTONE *libero* de Staine, *nec non & reliquis peregrinationis sue sotiis nobilioribus, secundum pium, quem semper erga Fratres* Sancte Crucis *gesserat affectum, & corpus & animam orationibus eorum committere, & locum sibi aput eos eligere decrevit sepulture; utque memoria sui aput eundem venerabilem locum omni evo perseveraret, tradidit in manus predicti Episcopi & Comi-*

tum predictorum villam, Wecilndorf *dictam*, *cum omni jure*, *quo sibi noscitur deserviſſe*, *ſuper ſanctum altare*, *delegandam. Quod cum michi cercioribus indiciis innotuiſſet*, *veniens in* Sanctam Crucem, *tam pro anime pie memorie patris mei* LIUPOLDI *& tam dicti fratris mei*, *nec non & matris mee* HELENE, *avorum*, *proavorum*, *parentum atque fidelium omnium felici requie*, *quam pro mea ac dilecti patrui mei* HAINRICI *ſalute*, *ac Ducatus noſtri perpetua pace*, *predictam villam cum omni jure*, *quo michi ac fratri meo noſcitur deserviſſe*, *predictis fratribus tercio die ante* Annuntiationem Dominicam, *que tunc Dominica illuxerat*, *aſſenſu patrui mei*, *manu propria*, *mediante* ROUDOLFO de Potendorf *delegavi. Ne autem ſepe dicti fratris mei memoria*, *cordibus eorumdem fratrum facilius elabatur*, *conſilio fidelium noſtrorum ſtatuimus*, *ut refectioni eorum*, *omni quadrageſima ſemel in ebdomada*, *& in anniverſario fratris mei*, piſces *amminiſtrentur. Preterea per tocius anni circulum*, *omni feria ſexta*, liquor olei *pulmentariis eorum addatur. Quicumque vero Abbatum vel officialium*, *hoc noſtre devotionis violaverit decretum*, *primo quidem divinum ſe ſe mereri offenſam noverit; dein quoque & noſtre benivolentie gratia carituram & protectionis munimine non inmerito privandum. Ut autem ſupradicti fratris noſtri tam ſancta donatio*, *nec non & noſter patruique noſtri aſſenſus promptiſſimus*, *debeant omne per evum firma durare; hanc paginam inde fecimus conſcribi*, *fideliumque noſtrorum fideli teſtimonio confirmari :* Liutoldus, & Chounradus *Comites* de Plaige, Oulricus de Berneke, Chrafto de Amansbahc, Wichardus de Seueld, & Kadoldus *filius ejus*, Hademarus de Chunringen, Wichardus de Zebingin, Oulricus Struno de Galchenſtain, *& filii ejus*; Oulricus & Wernhardus Rovdulfus de Potendorf, Marquardus de Hintberhc, Pilgrimus de Swarzenowe, Hainricus de Lumbenowe, Hainricus de Stritwiſin, Hugo de Aigin, Oulricus de Chunegesbrunnen, Hainricus de Rovteinſtain, Liupoldus *Pincerna*, & Hugo *frater ejus*, de Movlansdorf, Wichardus de Movlansdorf, Otto Turſe de Rvhenſtain, Otto de Acinbrunnen, Albero de Grunmenſtain, Hugo de Pergowe. *Facta autem ſunt hec anno ab Incarnatione Domini MCCIII.* (2) *Indictione vero VI. anno Ducatus noſtri in Auſtria V. Stirie vero nono.* (3) *Datum in* Sancta Cruce *VIII. Kl. April. per manus* Hartungi *notarii.*

2
3

(1) JONGELINUS, qui rem ex monumentis *San-Crucenſibus* narrat, inſtrumentum hoc per extenſum non habet.

(2) Bina alia diplomata hoc ipſo anno Abbatiæ *S. Crucis* a LEOPOLDO data, adducit Clar. PEZIUS *in Cod. dipl. Epiſt.*

(3) Succeſſerat LEOPOLDUS *Glorioſus* patri in *Styria* 1195. fratri in *Auſtria* 1198. ut ſupra a nobis notatum. Cæterum ectypon ſigilli, quo hoc inſtrumentum munitum fuit, dedimus *Differt. I. Tab. II. n. VII.*

V.

HENRICUS *Senior de Medlico* monaſterio *S. Crucis* confert *Jus montium in vineis.*

Poſt annum 12 - -

Ex autographo ejusdem Abbatiæ S. Crucis cſſ. 13. n. 83. lit. B.

1

EGo HEINRICUS de Medlich (1) *omnibus Chriſti fidelibus. Ad petitionem dilecti noſtri Abbatis* HEINRICI *de domo* Sancte Crucis *tradimus poteſtativa manu eidem Eccleſie* jus montium in vineis, *quod vulgo* Perchrecht *dicunt*, *videlicet de ſeptem vineis in monte*, *qui dicitur* Wartperch, *ad locum* Urteil, *quatinus perveniat in remedium ani-*

animæ tam proprie, quam etiam animabus parentum noſtrorum LIUPOLDI *Marchionis*, HEINRICI *Ducis patris noſtri*, LIUPOLDI *Ducis fratris noſtri*, FRIDERICI *fratruelis noſtri*, & RIHZE *conjugis. Teſtes hujus rei ſunt hii:* Herbordus *Capellanus ejus*, Otto de Haſelov, Ortuinus, & Hugo, Ulricus, Wichardus *fratres ejus de* Merchenſteine, Wichardus de Gadme, Rudgerus de Manneswerde, Otto de Willindorf, Albero de Hezimanneſtorf, Gerungus de Pruole. (2) 2

(1) *Senior* dictus, HENRICI *Jachſamirgott* Ducis Auſtriæ filius.

(2) Charta notis chronologicis deſtituta eſt; hinc illam poſt annum 12 - - collocamus; nam annus demum 1223. Duci emortualis fuit. Cæterum ſigillo etiamnum munita eſt, cujus ectypon ſupra dedimus *Diſſ. I. Tab II. num. IX.* Alias deinceps donationum & protectionum chartas obtinuit Abbatia *S. Crucis* ab HENRICO *Mellicenſi Juniore*, quas videſis *apud Bern.* PEZ. *Cod. dipl. Epiſt. P. II. p. 82. 83.*

VI.

LEOPOLDUS Dux Auſtriæ lites de decimis, inter monaſteria *Mellicenſe* & *San-Crucenſe* diu agitatas, componit.

Act. Wien. III. Id. Nov.

1216. 11. Novemb. *Ex autographo archivi ejusdem Abbatiæ S. Crucis ciſta 2. n. 19. lit. B.*

IN *nomine ſancte & individue Trinitatis.* LIUPOLDUS *Dei gratia Dux Auſtrie & Stirie univerſis Chriſti fidelibus, preſentis etatis & future generationis, in perpetuum. Cum inter monaſteria* Medlic *ac* Sanctam Crucem, *eorumque Abbates ſuper decimis* (1) *queſtio diuturna verteretur, eaque adeo intricata appareret, uti per judicium vix decidi poſſe videretur; Nos pro debito noſtri patronatus, utilitati pacique utriusque cenobii conſulentes, ſtudium noſtrum interpoſuimus, litemque diu tractam, cum conſenſu partium ſic decidimus: ut qualescumque poſſeſſiones cenobium* Sancte Crucis *ante* Concilium Lateranenſe *anno Dominice Incarnationis M. CC. XV. celebratum, in parrochiis* Draskirchen, & Medlic *habebat, de his nullas decimas cuiquam debeat; ſed pro decimis quatuor carratas muſti* Medlicenſibus *annuatim ſolvat, de muſto & menſura ville* Baden; *ſterilitate, aut alio infortunio non obſtante. Excipiuntur autem ſole ille vinee, quarum decimas* LIUPOLDUS Pincerna *noſter in feodo habet ab Eccleſia* Medlicenſi, *que decime, ſi quandoque a feodali jure vacaverint, ad Eccleſiam* Medlicenſem *pertinere debebunt. Ceterum ſi quas vineas, aut agros, fratres* Sancte Crucis *a ſuis proprietatibus venditione, donatione, concambio, aut aliis modis alienaverint; decimas exinde* Medlicenſibus *ſolvent hii, in quorum proprietatis jus tranſierunt. Item ſi predicti fratres* Sancte Crucis *agros in vineas, aut vineas in agros, ſive grangias, in villas, aut villas in grangias converterint, ac redegerint (dummodo ab eorum proprietate non diſceſſerint) nullas ex hoc decimas ſolvere teneantur.* (2) *De his vero poſſeſſionibus, quas poſt ſupradictum* Lateranenſe Concilium *acquiſierint, decimas ex integro, juxta ejusdem concilii ſtatutum, ſolvent. Et quoniam ſepedicta cenobia, maxime ſuper vinearum decimis contendebant, vineas* Sancte Crucis, *quas ante ipſum concilium habebat, ad tollendum poſteris omnem litigandi occaſionem, huic carte duximus inſerendas. Habebat igitur in* Leubatſtorf *unam*, in Guonvarn *duas*, *in* Kaltenberge *octo*, *in villa* Baden *tres*, *in monte* Baden *novem*, *in* ſolitudine *quinque*, *in* Phalſten *undecim*, *in* Säzze *ſex*, *in* Haikogel *unam*, *in* Talarn *vineam grandem*, *que* Biunde *appellatur*, & *alias XVIIII. in monte* Wartpert *quin-* 1 2

quinque, *in* Urteile *duas*, *in* Medlic *novem*, *in* Pruele *duas*, *in* Engelshalcheſtorf *XIII. in* Waltricheſtorf *unam*, *& unam contulit* Heinricus de Rotelenſteine. *Ut igitur in hac carta expreſſa compoſitio, cui capitulum monaſterii utriusque conſenſit, rata, inconvulſaque permaneat,*
3 *preſentem paginam communi ſigilli noſtri* (3) *impreſſione, teſtiumque con-*
4 *ſcriptione* .. (4) *quorum hec ſunt nomina:* Sifridus Orphanus *Monaſterienſis Prepoſitus*, Heinricus *Patavienſis Canonicus*, *& ſcriba noſter*, Heinricus de Medlic, Ulricus de Draskirchen, Wernhardus de Sicendorf *plebani*, Salomon *Capellanus noſter*, Liupoldus *Notarius noſter*, *Magiſter* Ditricus, *Magiſter* Robertus *Francigena*, Ulricus Struno *Marſcalcus noſter*, Rudolfus de Botendorf. Wichardus de Sancto Vito, Liupoldus *pincerna noſter*, Cunradus de Wikendorf, Hermannus Phuſcel, Meinhardus de Draskirchen, Ebrhardus de Medlic *decimatores*. *Actum* Wienne *in domo Ditrici, anno Dominice Incarnationis M. CC. XVI. III. Idus Novembris feliciter. Amen.*

(1) Aliæ lites de decimis, ab iisdem monaſteriis agitatæ, jam tum anno 1178. 19. Junii diremptæ ſunt, ut ſupra vidimus *n. II.*

(2) Ex hoc loco edocemur: poſtquam monaſterium bona ſua a decimis libera alienaverit, hanc libertatem ad poſſeſſorem non tranſire; ſed eum ad præſtandas decimas teneri; contra vero ex ſolo *jure colonario*, obligationem ad ſolvendas decimas non induci; ſed univerſim exemptionem a decimis tamdiu perdurare, donec monaſterium per contractum dominii translativum a proprietate talium bonorum diſceſſerit.

(3) Hoc compoſitionis inſtrumentum ſigillo munitum eſt, ex utraque parte effigiato, quod ex filis ſericis, rubri & purpurei coloris pendet. Ejus typum habes ſupra *Diſſ. I. Tab. III. n. IV.*

(4) Supplendum, *roborari fecimus*, vel *juſſimus*.

VII.

Confirmatio LEOPOLDI Ducis Auſtriæ ſuper emptione curiæ in *Mangolds*, ab Abbate *Zwethalenſi* facta. *Act. in Cremis XIV. Kal. Jan.*

1229. 19. Decemb. *Ex archivo Abbatiæ Zwethalenſis Ord. Ciſtercienſ. in Auſtr. inferior. lit. M. n. 17.*

IN *nomine ſancte & individue Trinitatis.* L. (1) *Dei gratia Dux*
1 2 *Auſtrie & Stirie, univerſis Chriſti fidelibus, preſentibus & futuris, ſalutem in perpetuum. Quia inermium perſonarum tranquillitas* (2) *in defenſorum maxime conſiſtit providentia; quia etiam vite clauſtralis conditio ſeculari conditioni eſt contraria, & a negociis ſecularibus ſequeſtrata; ſecularium vexationum perturbacione omnino deperiret, niſi accurata Principum ſollicitudine conſervaretur. Unde univerſis Chriſti fidelibus tam preſentibus quam futuris notum eſſe volumus: quod Dominus N. Abbas* de Zwettl *per manum noſtram, curiam quandam in* Mangolds *cum jure Urbano a Domino* Chunrado de Roſinberch *totam libere & preciſe comparavit, filio ſuo* Chunrado *hujus curie vendicionem approbante. Ne igitur aliquis temeritatis occaſus hujus emptionis firmitatem*
3 *irritare preſumat, preſentem kartam ſigilli noſtri* (3) *impreſſione juſſimus inſigniri. Acta autem ſunt hec in* Cremis *anno Dominice Incarnationis M° CC° XXVIIII° XIIII° Kal. Jan. preſentibus hiis, quorum nomina preſenti carte curavimus annotare, que ſunt hec:* Fridericus *junior Dux*, Hademarus de Chunringen, Heinricus de Chunringen, Albero de Valchenberch, Hugo de Raſtenberch, Albero de Swarzenouwe, *& filius ejus* Piligrimus, Heinricus de Tribanswinchel, Rudgerus de Anſchouwe, Liupoldus *pincerna*, Chunradus de Stritweſen, *& fra-*

frater ſuus Erkenbertus de Steinekche, Rudgerus de Cruninbach, *& frater ſuus* Heinricus, Chunradus de Mertinsdorf, Wichardus de Arnſteine, Offo de Puten, Ulricus de Chinberch.

(1) LEOPOLDUS VII. *Glorioſus.*
(2) Inſtrumentum hoc exſtat quidem *apud* LINCK. *Annal. Zweth.* ſed non integrum.
(3) Ectypon ſigilli hujus habes ſupra *Diſſ. I. Tab. III. num. V.*

VIII.

Concambium ab EGLOLFO Abbate *S. Crucis* cum LIUPOLDO plebano *in Alecht* factum, auctoritate RUDGERI Epiſcopi *Patavienſis* firmatur. *Dat. Indict. IX.*

1236. *Ex archivo Abbatiæ S. Crucis. eiſſ. 17. n. 25.*

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. RUDGERUS *Dei gratia Patavienſis Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus tam preſentis etatis, quam future generationis, in perpetuum. Cum olim inter virum venerabilem* EGLOLFUM *Abbatem* Sancte Crucis, *&* LIUPOLDUM *Domini . . . Sub-Diaconum, plebanum in* Alecht *queſtio moveretur, ſuper exemptione predicti monaſterii, quod in terminis Eccleſie in* Alecht *dinoſcitur eſſe ſitum; memoratus Abbas exemptionem & concambium demonſtravit, videlicet unum manſum in* Alecht, *& alium manſum in* Mowerlingen, *& ſuper his privilegium Domini* REGENMARI *predeceſſoris noſtri Patavienſis Epiſcopi pretendebat. Ejusdem privilegii hic eſt tenor: In nomine ſancte & individue Trinitatis. Omnibus Chriſti fidelibus pax & exultatio multiplicetur. Quia caritatis compaſſio, & debita paſtoralis officii ſollicitudo exigunt, neceſſarium eſſe, tam preſenti quam future utilitati & quieti fratrum noſtrorum virorum religioſorum, in cenobiis fideliter DEO & ſanctis ejus ſervientium proſpicere; ego* REGENMARUS *humilis ſancte Patavienſis Eccleſie miniſter, per hujus noſtre inſtitutionis paginam dilectioni omnium tam futurorum quam preſentium notifico: qualiter dilectione & religione venerabilis fratris noſtri* GOTESCALCI *Abbatis cenobii* Sancte Crucis *nec non fratrum ſuorum, ſub eo in vinea Chriſti, pro fructu eterne vite percipiendo, laborantium inſtinctus, nec non humili ſtrenuiſſimi Marchionis* LIUPOLDI *petitione, atque venerande & nobiliſſime marchioniſſe conſortis thori ſui* AGNETIS, *filie* HEINRICI *Imperatoris interventu, inſuper precibus filiorum eorum, ſcilicet* ADALBERTI, LIUPOLDI, HEINRICI, ERNESTI *exoratus, omnem decimationem culture predicti venerandi Abbatis & fratrum ſuorum, inſuper omnium novalium, que in preſenti poſſident, & DEO annuente in futuro novare debent, legitima, & canonica transmutatione facta: ſcilicet datis duobus manſis in concambio a predicto Marchione in duobus pagis ſitis* Alecht *&* Mowerlinge, *& a me cum omni devotione acceptis, conſenſu cleri & populi noſtri, potenti manu delegaverim cenobio* Sancte Crucis; *& ut hec delegatio rata, firma, ſtabilis & inconvulſa permaneat in omni poſteritate, propria manu ſubſcripſi, & inpreſſione ſigilli mei feci confirmari, & corroborari. Cujus rei teſtes ſunt: Comes* Chuonradus de Pilſtein, Otto, Chadolt, Sterfrit, Chuonradus, Boto, Henrich Guonthere, Ruodolf, Rapoto. *Facta autem hec ſunt anno ab Incarnatione Domini M. C. XXX. VI. Indictione vero XIIII. anno Regni Domini* LOTHARII *VIII. Imperii vero III. Ordinationis autem venerabilis* REGENMARI *ſancte Patavienſis Eccleſie Pontificis XV. Memoratus autem plebanus de* Alecht *aſſerebat: illud privilegium non ſufficere; tum ex eo, quod exemptio illius monaſterii non pertinebat ad Pata-*

Patavienſem Epiſcopum; cum idem monaſterium in predio Principum Auſtrie ſit fundatum; tum ex eo, quod predictos manſos in Alecht *& in* Mowerlinge *ipſe plebanus non habuit, nec ſuus habuit anteceſſor. Queſtione igitur hujusmodi diutius agitata, tandem mediantibus viris ſapientibus & diſcretis, videlicet Domno* ALBERTO *Abbate de Cella* Sancte Marie *& Priore ipſius loci, & Domno* LIUPRANDO *Archi-Diacono & plebano de* Nova Civitate, *&* ULRICO *Notario, & plurimis aliis, predicti Abbas, & plebanus in formam ſubſcriptam concordie convenerunt; ut in poſterum inter ſucceſſores eorum pax & tranquillitas permaneret. Ceſſit igitur plebanus in* Alecht *queſtioni & conventioni, quam habuit de exemptione monaſterii memorati; ceſſit etiam juri, quod habuit, vel habere videbatur in perſonalibus decimis infra ſepta monaſterii antedicti; ceſſit etiam decimis agrorum, qui ſunt ſiti in primo circuitu, quem fecit* LIUPOLDUS *Marchio Auſtrie, ſicut in ipſius privilegio termini ſunt diſtincti, addita curia in* Sigenvelt. *Et ejusdem privilegii*

1 *hic eſt tenor:* (1) *In nomine ſancte & individue Trinitatis. Omnibus*

2 *Chriſti fidelibus preſentis etatis & future generationis pax & exultatio multiplicetur.* (2) *Acta Principum vel donationes eorum, ut venerabilibus locis firma permaneant & inconvulſa, utile eſt ea ſcriptis annotare, utile etiam ea ſub omni cautela poſterorum memorie commendare. Inde eſt, quod ego* LIUPOLDUS *Dei gratia Marchio Auſtrie in preſenti pagina exprimendum curavi: quemadmodum ipſo, a quo omne bonum eſt, inſpirante, atque* OTTONE *dilecto filio meo, qui ſe aput* Morimundum

3 *Ordini ſubjecit Ciſtercienſi, adhortante, fratres a prefato* Morimund (3) *cenobio evocavimus, & in loco, qui actenus* Satelbach *dicebatur; nunc vero ob victoriosiſſimum noſtre ſalvationis ſignum* ad Sanctam Crucem *vocatur, collocavimus; quorum congaudens religioni, & providens indigentie, manu poteſtativa hoc idem annuente, & petente conparticipe thori noſtri* AGNETE, *& filiis noſtris* ALBERTO, HEINRICO, LIUPOLDO, ERNESTO, *tradidi DEO, & Beate* MARIE *ſemper Virgini, & fratribus in jam dicto loco congregatis ſeu congregandis, terram circumjacentem, noſtroque juri pertinentem, in agris, pratis, paſcuis, aquis, ſilvis, cultis & colendis, cum terminis, quos ei circumlimitavimus, & hic annotare cenſemus. Sunt autem hii: ab eo loco, ubi con-*

4 *fluunt* Satelbach *&* Swechant *usque* Mowerlingen; (4) *abinde, ſicut dirigitur via, que dicitur via molendini, usque ad* Priventan, *& per eandem viam, que girat* Priventan *usque ad locum, qui dicitur* Hus-

5 ruk; (5) *& abinde iterum per predictam viam usque in* Satelbach,

6 *& abhinc per directum usque ad verticem, qui vulgo dicitur* Hohecke; (6) *& abhinc trans rivulum, qui vocatur* Dornbach *contra medietatem*

7 *montis, qui dicitur* Kerzrucke; (7) *& abhinc per viam, que vadit ad*

8 *ſilvam attinentem ad villam, que dicitur* Sikendorf; (8) *abhinc ad lo-*

9 *cum, ubi oritur rivulus, qui appellatur* Marhbach; (9) *abhinc per*

10 *viam ducentem, & jungentem ſe vie, que ducit ad* Draſchirch; (10) *& abhinc usque ad fontem, qui oritur in loco, qui vocatur* Muokers-

11 dorf; (11) *& abhinc usque ad montem, cui vocabulum* Ebenberch; *abhinc per viam deſcendentem in* Satelbach, *& per deſcenſum ejusdem fluvioli, ad locum, ubi conjungitur fluvio, qui appellatur* Swechant. *Hanc autem noſtram donationem, atque ejusdem monaſterii conſtitutionem non ſolum noſtre incolomitati, paci, & tranquillitati; ſed & parentum*

tum noſtrorum in Chriſto dormientium ſaluti proficere optamus, & quieti; ſperantes apud Divinam Clementiam noſtre fragilitati aliquatenus profuturum; ſi cum ipſi fructum boni operis non facimus, eos ſaltim, qui vero DEO (12) *fructificant, ut vitem ulmus, de noſtra facultate ſuſtentamus. Verum quo magis ac magis hec, que geſſimus, roborentur, & rata firmentur, ſcriptis preſentibus teſtes & noſtrum ſigillum adjungatur. Comes* Cuonradus de Pilſtein, Otto de Lengenbach, Rapoto de Nezſa, Sterfrit de Becelinesdorf, Otto de Leusdorf, Ulricus de Gadem, (13) Ulricus de Sigenvelt, (14) Rudgerus, *& frater ejus* Ruopertus de Sickendorf, Anshalmus de Sparwarsbach, Ebergerus de Alecht, (15) Hartungus de Ruhenegcke, Jubort (16) de Tribanswinkel, (17) Ozo, & Otfridus de Morwerlige, (18) Hartwicus. *Facta autem ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M.C.XXX.VI. Indictione vero XIIII. anno Regni Domini* LOTHARII *VIII.; Imperii vero III. In his ergo terminis quicquid includitur, dictus Abbas decimas agrorum percipiet, & de novalibus cultis vel colendis, in ea videlicet parte, que ad parrochiam in* Alecht *pertinere noſcuntur, ſive grangie in villas, ſive ville in grangias redigantur. Decime vero perſonales, & animalium, & caſeorum, & exequialia, & alia jura parrochialis Eccleſie, parrochie in* Alecht *ſalve & integre de colonis remanebunt, pecoribus propriis & armentis ante nominati monaſterii* Sancte Crucis *a preſtatione hujusmodi liberis, & ſejunctis. Propter predictas itaque ceſſiones memoratus Abbas & Conventus dedit parrochie in* Alecht *tres manſos in* Dornpach, *ſolventes unum talentum, quorum unum dedit monaſterio* Sancte Crucis ULRICUS de Gadem, *alterum* Ulricus Aſinus, *tertium* Wichardus de Sancto Vito. *Item dedit redditus unius talenti in* Draſchirch *in quodam predio, quod poſſidet* Ulmannus, *quod Dux* HEINRICUS de Medelich *contulit monaſterio ſimiliter* Sancte Crucis. *Et ſic ceſſavit contentio inter ipſos. Cum autem ex eventu ſimili emerſerit, quod prima exemptio ſupra dictarum decimarum videbatur eſſe caſſanda ex induſtria ſepedictorum* E. *Abbatis, & Conventus &* L. *plebani; conpromittitur, & a nobis confirmatur: ut ſi quandoque preſcripti redditus duorum talentorum forſan venditione vel commutatione, ſive plebanorum negligentia, aut alio quolibet modo ab Eccleſia in* Alecht *poſtmodum fuerint alienati, promiſſum concambium prefato monaſterio* Sancte Crucis *nichilominus maneat ſemper inconvulſum. Et ne inpoſterum inter Abbatem, Conventum & plebanum, aut ſucceſſores eorum queſtio oriatur; nos auctoritate noſtra factum hujusmodi confirmamus, maxime cum ad hoc acceſſerit conſenſus Advocati tam monaſterii quam parrochie, videlicet* FRIDERICI *Ducis Auſtrie & Stirie, & Domini Carniole, & conſenſus* LIUPOLDI *plebani* de Alecht, *ſicut per eorum ſigilla,* (19) *que hic appenſa videntur, lucide comprobatur. Acta ſunt hec anno ab Incarnatione Domini M.CC.XXX.VI. Indictione vero VIIII.*

(1) Sequentes litteras fundationis monaſterii S. Crucis jam quidem edidit Clar. PEZ. *Cod. Dipl. Epiſt. col. 318.* Sed variat in nonnullis exemplum illud ab hoc inſtrumento, quod ne mutilum maneat, integrum hic adponimus cum annotatione variantium lectionum. (2) PEZIANA editio addit: *in perpetuum.* (3) Eadem habet: *Morimundenſi.* (4) *Murlingen.* (5) *Huſruch.* (6) *Hocbeche.* (7) *Keizeruche.* (8) *Sichendorf.* (9) *Marchbach.* (10) *Draſchirch.* (11) *Muochorsdorf.* (12) *Domino.* (13) *Gadmen.* (14) *Sigenvelde.* (15) *Adelahte.* (16) *Lubort.* (17) *Tribanswinchele.* (18) *Murlingen.* (19) Autographum tribus etiamnum munitum ſigillis, & quidem ſigillum FRIDERICI Ducis Equeſtre eſt, ejus imaginem in adverſa exhibens & in averſa. Typum illius habes *Diſſ. I. Tab. IV. n. I.*

IX.

GERTRUDIS Ducissa *Austriæ* monasterio *S. Crucis* parochiam *Aleht* cum jure patronatus confert. *Act. Indict. XI.*

1253. *Ex autographo ejusdem archivi Abbatiæ S. Crucis. Cista 17. n. 1.*

GERDRUDIS *Dei gratia Ducissa Austrie & Styrie, omnibus presentem paginam inspecturis, in perpetuum. Cum omnium Ecclesiarum utilitatibus intendere debeamus, pia progenitorum nostrorum*
1 *vestigia & exempla salubria imitando; in hac tamen gratia eis esse debemus, & volumus proniores, quos in sancte religionis proposito & hospitalitatis bono DEO scimus fervencius ac studiosius deservire. Eapropter dilectis in Christo fratribus Abbati & Conventui* Sancte Crucis, *apud quos plura progenitorum nostrorum corpora requiescunt, pro remedio anime nostre, pro salute quoque progenitorum ac liberorum nostrorum parrochiam* Aleht (1) *cum suis attinenciis conferimus & donamus: ut in ea* jus patronatus *& presentationis libere & quiete possidere debeant perpetuo pleno jure, prout nos & progenitores nostri idem jus presentandi ratione fundi libere & legitime hactenus noscimur possedisse. Ut autem hec nostra donatio perpetuo maneat inconvulsa, presentem exinde paginam conscribi*
2 *& sigillo nostro* (2) *fecimus roborari. Hujus rei testes sunt:* Rapoto de Valkenberch, Chuonradus de Hymperhc, Heinricus de Lihtenstein, Chrafto de Slevonz, Ulricus *Camerarius* de Hittendorf, Otto de Leyzz, *& alii quam plures. Actum anno Domini M.° CC.° L.° III.° Indictione undecima.*

(1) ALEHT & *Alecht*, item *Alaht*, ut nonnumquam in diplomatariis occurrit.

(2) Sigillum exhibet GERTRUDEM sedentem, & dextera lilium tenentem. Ejus typum habes supra *Diss. I. Tab. IV. n. III.*

X.

Diploma MARGARETÆ Romanorum Reginæ & Ducis Austriæ, quo monasterio *S. Crucis* jus montanum in *Talarn* relaxat. *Dat. in Chrumenowe, Indict. V. X. Kal. Jun.*

1262. 23. Maji. *Ex eodem archivo, cista 13. n. 15.*

IN *nomine sancte & individue Trinitatis.* MARGARETA *Dei gratia Romanorum Regina, filia Ducis* LIUPOLDI, (1) *semper Augusta. Universis Christi fidelibus presentibus & futuris in perpetuum. Quo-*
1 *niam quidem obstante secularis conversacionis habitu & honore, non possumus Creatori universorum, sollicitudine debita deservire, nec ipsius benignitati cottidianis nos supplicacionibus commendare; saluberrimum arbitramur, illis elemosinarum prebere subsidia, qui a terrenis tumultibus sequestrati, in DEI servicio devotis oracionibus, ceterisque spiritualibus exerciciis sollicicius occupantur. Igitur tenore presencium constare volumus universis: quod nos pro remedio anime nostre parentumque nostrorum, monasterio DEI genitricis* MARIE *in* Sancta Cruce, *usui fratrum DEO inibi serviencium, libere contulimus* jus montanum *in* Talarn,
2 *quod ad* tres carratas & decem urnas vini (2) *majoris mensure noscitur estimatum. Ne ergo temporum labente curriculo hujus donacionis firmitas presumptione cujuspiam infringatur, presentem paginam sigillo nostro* (3)
3 *& adnotacione testium roboramus. Testes sunt* Rapoto de Valkenberch, Ulricus de Chaphenberch, Chunradus de Ebersdorf, Albertus de Celkingen, Chunradus de Ceckingen, Liupoldus *Camerarius*

rarius, Treusliebus de Altenburch, *& alii quam plures. Datum in* Chrumenowe *anno Domini MCCLXII.* (4) *Indictione quinta. X. Kal. Junii.* 4

(1) Liupoldi VII. *Glorioſi* filia, quæ nupta fuit Henrico VII. Rom. Regi.

(2) Confer ſubſequens diploma Ottocari Boëmiæ Regis, quo idem penſum vini ſolvendum condonat.

(3) Typum ſigilli, quo diploma iſthoc firmatum eſt, dedimus ſupra *Diſſert. I. Tab. IV. num. II.*

(4) Æra hæc ad ſpeciem, quamdam difficultatem habet; nam anno 1261. Margareta ab Ottocaro Rege repudiata jam erat; hinc videri poſſet, diploma hoc, quo ipſa *Romanorum Regina* ſcribitur, datum fuiſſe ante annum 1252. id eſt antequam Margareta, Ottocaro matrimonio juncta fuerit. Verum Margaretæ etiam poſt divortium certi provinciæ Auſtriacæ diſtrictus relicti fuerunt, quibus illa cum poteſtate etiam tunc præfuit. Quare facile intelligitur, qua ratione poſt annum quoque 1261. diplomata ordinibus ſuis promulgare potuerit. Abſtinuit quidem in hoc inſtrumento a titulo *Ducis Auſtriæ*, utpote quem Ottocarus uſurpaverat; ſed jura ſua cum dignitate ſatis luculenter manifeſtavit, dum ſe ferebat: *Reginam Romanorum* & *filiam Ducis* Liupoldi. Eodem hoc axiomate, poſterioribus quoque annis uſa fuit Margareta, anno ſcilicet 1264. quo aliis item monaſteriis Auſtriæ, donationes fecit. Vid. dicta *Diſſ. I. §. VIII.*

XI.

Ottokarus Rex Boëmiæ & Dux Auſtriæ monaſterio *S. Crucis* penſum annuum vini perſolvendum remittit, ac condonat. ——.

1262. *Ex eodem archivo, ciſta 13. n. 14. lit. B.*

In nomine ſancte & individue Trinitatis, Amen. Otakarus *Dei gratia Rex Boëmorum, Dux Auſtrie & Styrie & Marchio Moravie. Omnibus Chriſti fidelibus preſentem paginam inſpecturis, in perpetuum. Quoniam auctor omnis gratie & fons largiflue pietatis ad hoc nos honorum & facultatum culmine ſublimavit, ut tanto uberius juxta Prophete conſilium peccata noſtra elemoſinis & miſericordiis pauperum redimamus, quanto amplius in hoc mundo pre ceteris poſſidemus; eo moniti inſtinctu, notum facimus tam preſenti etati quam ſucceſſure poſteritati: quod nos, cernentes Eccleſiam* Sancte Crucis *frequenti incurſu Ungarorum & Chumanorum pre ceteris cenobiis periculoſius laborare, volentesque commutare pro terrenis celeſtia, pro temporalibus ſempiterna, vinum quod pro* jure montis *in* Talarn *de officio, quod* Wartperch *dicitur in vulgari, nobis annuatim fratres ejusdem Eccleſie perſolvebant, quod ad* tres carratas & circa decem urnas (1) *majoris menſure fuerat eſtimatum,* 1 *ad conſilium & interventum miniſterialium noſtrorum, ipſis relaxavimus eorum defectibus conſulendo. Ut autem hec noſtre relaxationis gratia ipſis perpetuo maneat incorvulſa, noſtreque ſaluti orationum ſuarum ſemper deſerviant adjumenta, preſentem paginam ſuper hiis conſcriptam, ſigilli noſtri munimine* (2) *ipſis fecimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt,* Heinricus de Chunring *Marſchalcus Auſtrie,* Chunradus de Hintperch, *&* Marquardus *filius ejus,* Otto de Pertoltsdorf, Wocko *Marſchalcus Boëmie & Capitaneus Styrie,* Wuluingus de Stubenberch, Ulricus de Pylihdorf, Albero de Arberch, Otto Turſo, Pertoldus, Otto *&* Wichardus *fratres* de Arſtain, Pertoldus de Engelſchalsvelde, Albertus de Celking *Pincerna Curiæ, & frater ſuus* Ludewicus, Chunradus de Cecking, Marquardus de Gerewot *Magiſter cellarii,* Gotfridus *&* Gerungus *Magiſtri montis* de Wartperch, *& alii quam plures. Actum anno Domini MCCLXII.* 2

(1) Hanc ipſam relaxationem debiti jam obtinuerat Abbas San-Crucenſis a Margareta Rom. Regina; uti ex proxime præcedenti charta liquet. Confirmatio itaque eſt prioris, qua Abbas omnino egebat; quia Ottocarus ſuperiori anno Margaretam repudiaverat.

(2) Ectypon hujus ſigilli habes *Diſſ. I. Tab. IV. n. V.*

XII. Ru-

XII.

RUDOLPHI I. Rom. Regis litteræ fundationis pro monasterio Tulnensi. *Dat. Wiennæ Prid. Kal. Sept. Indict. VIII.*

1280. 31. Augusti. *Ex scriniis monasterii Tulnensis, Monialium Ordinis S. Dominici.*

RUDOLPHUS *Dei gratia Rom. Rex, semper Augustus. Universis Imperii Romani fidelibus in perpetuum. DEO laudabilem, nobis necessarium,* (1) *& re vera reipublice utilem belli, sive conflictus,* 1 *contra quondam* OTHOGARUM *Bohemorum Regem, nostrum & Imperii persecutorem notorium, obtenti triumphum, non nobis, non nostre potentie, non armorum Ducibus, non nostris viribus attribuimus; sed illius tantum misericordie, & dispositioni, qui nostra & Imperii negotia quelibet hactenus misericorditer disposuit, bonorum omnium largitori videlicet, & victorioso* Salvivice Crucis *signaculo, sub quo belli hujusmodi ambiguitas feliciter est concluſa, tante laudem victorie, digne ducimus ascribendam; unde ne tante gratie, tante beneficentie, tanteque misericordie, quibus nos humiles, & immeritos, tunc, cum vita nostra penderet in pendulo, gratioſe respexit altissimus, ingrati vel immemores omnimodis videamur, ad predicte* Crucis vivifice *laudem, & tanti trophei memoriale perpetuum, in oppido nostro* Tulna, *clauſtrum sive cenobium sanctimonialium, DEO, ut credimus placitum ereximus, inibi sub observantia Regule* S. Auguſtini, *& constitutionum sororum Ordinis* Fratrum Predicatorum *divinis obsequiis jugiter vacaturum. Ad universorum igitur Romani Imperii fidelium notitiam volumus pervenire. Nos predicto cenobio nove nostre plantule, bona, & redditus infra scriptos pro dote, seu dotis nomine assignasse: scilicet curiam Magistri* Conradi, *que antiquitus* Aula *nuncupata est, ad aream ejusdem, ipsi curie contiguam, cum Capella* S. Crucis *contigua eiisdem curie & aree, quam quidem Capellam ab Abbate, & Conventu* Scotorum *in Vienna noscimur exemisse. Item insulam dictam* Chronowe, *vicinam civitati* Tulnensi, *sicut nunc est,* 2 *vel ampliari* (2) *per alluvionem Danubii, hoc est per crescentiam vel decrescentiam aque, cum omnibus juribus, libertatibus, piscationibus, judiciis & attinentiis quibuscunque (causis sanguinum tantum exceptis, & salvis juribus & pascuis, que ipsi cives* Tulnenses *in eadem insula ex gratia, & donatione Principum terre antiquitus habuerunt) dotamus; nihilominus locum sive cenobium predictum cum duubus curiis villicalibus, sitis in suburbio civitatis ibidem, quas a fideli nostro* Friderico Dapifero de Lengenbach *justo emptionis titulo noscimur comparasse. Insuper promisimus assignari pro dote eidem conventui, viginti modiorum avene, ac viginti carratarum vini, &* centum liberarum redditus denariorum monete Viennensis, *de quibus redditibus ipsum conventum expedivimus,* 3 prout in aliis nostris literis continetur. (3) *Autoritate Regia firmiter inhibentes, ne quis Imperii fidelium predicti cenobii conventum in bonis, seu redditibus sibi per nos in dotem assignatis, aliqualiter audeat molestare; quod qui fecerit, indignationem Regiam se noverit incurisse. Testes hujus rei sunt Venerabiles, Apostolice Sedis Nuncius specialis, frater* Paulus *Ordinis fratrum minorum Episcopus Tripolitanus,* Wicardus *Episcopus Patavienſis,* Henricus *Episcopus Eccleſie Ratisponenſis,* Joannes *Episcopus Curtzenſis,* Bernhardus *Episcopus Seccovienſis,* Conradus *Episcopus Chyemenſis,* Henricus *Episcopus Basilienſis. Illustres,* Ludovicus *Dux Bavarie, Comes Palatinus Rheni,* Albertus *Dux Saxonie,* Otto

Dux

Dux Bavarie, Rudolphus *Aule noſtre Cancellarius. Spectabiles*, Fridericus *Burgrafius in Nierenberg*, Albertus & Hartmanus de Habeſpurg, *filii noſtri;* Eberhardus de Kazenellenbogen, Albertus & Burckhardus *fratres* de Hochenberg; Gottfridus Seignenſis, Hugo de Wertenberg, Albertus de Harteckhe, Fridericus de Furſtenberg, *Comites. Nobiles*, Otto de Haslau, Otto de Berkholtstorff, Udalricus & Conradus de Billichtorff, Leutold & Henricus *fratres* de Chyenring, Fridericus *Dapifer* de Lengenbach, Stephanus de Meuſa *Marſchalcus Auſtriæ*, Ertenger de Lantſer, Renbertus & Cadoldus *fratres* de Eberſtorf, *miniſteriales*, & *alii quam plures. In quorum omnium teſtimonium preſens inſtrumentum ſepefato cenobio*, & *perſonis inibi Domino famulantibus tradimus, ſigilli noſtri charactere* (4) *inſignitum. Datum* Vienne *per manum Magiſtri* Gottfridi, *curie noſtre Protho-Notarii, Pathavienſis Eccleſie Prepoſiti, pridie Calendis Septembris, Indictione octava. Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo; Regni vero noſtri anno ſeptimo.* (5)



(1) Edidit quidem CZERWENCKA *in ſuis Annalibus p. 87. litteras fundationis cœnobii Tulnenſis*; ſed ita mendoſe, ut nemo non ſit, qui vel ex ipſo initio diplomatis non ſtatim intelligat, *litteras* a CZERWENCKA vulgatas, mirum in modum alteratas fuiſſe. Sic enim ordiuntur: RUDOLPHUS *Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus. Omnibus fidelibus Romani regni noſtri. Æternam laudem de obtenta victoria, quam habuimus, ſuperato nuper* OTTHOGARO *Bohemiæ Rege, & publico regni noſtri hoſte, ſoli Omnipotenti* DEO *adſcribimus.* Aſt piget plura exſcribere.

(2) Supple. *poteſt.*

(3) Chartæ iſtæ, ad quas hic provocatur, anno demum 1281. & 1282. expeditæ fuerunt; ut alia inſtrumenta, quæ in tabulario monaſterii *Tulnenſis* reperire ſunt, nos docuerunt.

(4) Sigillum ſimile eſt illi, quod exſtat in archivo San-Crucenſi, de quo a nobis actum *Diſſ. I. §. X. pag. 11.*

(5) Addimus hic quoque ſchema Monogrammatis in inſtrumento expreſſi.

XIII.

Reverſales civium in *La*, quibus RUDOLPHO Regi Rom. ejusque filio ALBERTO per Auſtriam & Styriam conſtituto Generali Vicario, ſuper fide illis jurato data, in caſum contraventionis, pœnis in refractarios ſtatutis, ſe nominatim ſubjiciunt. *Dat. Wiennæ, Sabbato primo poſt Aſcenſionem Domini.*

1281. 20. Maji. *Ex MSS. Collectaneis R. P. Steyeri T. III. n. 79.* 1

NOs Judex, jurati, & univerſi cives in La, *recognoſcimus tenore preſentium literarum & publice profitemur: nos Sereniſſimo Domino noſtro* RUDOLFO (1) *Romanorum Regi ſemper Auguſto, ac Illuſtri Domino* ALBERTO, *Domini noſtri primogenito, quem ipſe Dominus noſter terris Auſtrie & Styrie prefecit* Vicarium Generalem, *ad perfecte devocionis & fidei debitum obligari; firmiter promittentes: quod nos dicto Domino noſtro, ac prefato ſuo filio, noſtro* Vicario & Rectori, *fidelitatis hujusmodi debitum, ad quod nos nunc de novo, fidei dacione,*

&

& ſacramento preſtito corporali, ſervandum eisdem aſtrinximus, ſtabili devocione ſervabimus illibatum, nec ab eo ullo umquam tempore recedemus; ſi vero nos, quod abſit, contra jurate devocionis & fidei noſtre debitum modo aliquo veniremus dicti Domini noſtri, & filii ſui, dominium reſpuendo, aut alias fidem noſtram in aliquo violando, ex tunc eo ipſo
2 *exleges* (2) *erimus & infames, & bona noſtra mobilia & immobilia fiſco regalis camere aſcribentur; perſone quoque noſtre, ſue ſubjicientur arbitrio poteſtatis; inſuper privilegia, libertates, & jura noſtra univerſa, & ſingula, quibus noſtra civitas hactenus eſt gaviſa, omnibus ſuis viribus vacua, irrita, ſive caſſa perpetuo permanebunt. Et ut noſtre devocionis integritas, qua Dominum noſtrum, ac filium ſuum predictos amplectimur, eisdem lucidius appareat, ſpontanea ac libera voluntate preſcriptis elegimus, ſi in fide jurata & debita claudicantes fuerimus, perpetuo ſubjacere. In cujus rei teſtimonium & cautelam preſens ſcriptum civitatis noſtre ſigillo duximus roborandum.* Dat. Wienn. *Sabbato proximo poſt Aſcenſionem Domini, anno Domini mill. ducent. octoges. primo.*

(1) RUDOLPHUS, poſtquam in Auſtria & vicinis ei locis quatuor fere annos transegiſſet, diſceſſum parans, in frequenti procerum conventu, ALBERTUM filium Auſtriæ & Styriæ Præfectum & Imperii Vicarium creavit, donec ex ſuo & Principum conſilio Dux hæreditario jure conſtitueretur. *Vid. Gerard. a Roo p. 28.* & notas, quas ſupra *Diſſ. I. §. XI.* ad ſigilla ALBERTI ex perſona VICARII GENERALIS *per Auſtriam & Styriam* dedimus; quæ hoc, & mox ſubſequenti inſtrumento (quod proinde hic pariter adjicimus) plane confirmantur, ac illuſtrantur.

(2) *Exleges*, id eſt, omni legum beneficio & præſidio carentes, omniumque injuriis expoſiti. Civitas vero de LA, non ex conventione, has ſibi in caſum contraventionis imponit pœnas; ſed jam antea legibus moribusque ſancitas, nominatim recenſet. Qualiter poſtea præſens juramentum cum aliis ſimilibus relaxatum fuerit, ſubſequens num. XIV. docebit.

XIV.

RUDOLPHI Romanorum Regis edictum, quo Comites, Nobiles miniſteriales, milites, clientes, & vaſalli Auſtriæ jubentur, filiis ſuis ALBERTO & RUDOLPHO, ob collatos iisdem *Ducatus Auſtriæ & Styriæ*, fidelitatem plenam, ſubjectionemque omnimodam præſtare.

Dat. Auguſtæ IV. Kal. Febr. Indict. X. Anno Regni X.

1282. 29. Januarii. *Ex iisdem MSS. Collectaneis R. P. Steyerere T. III. n. 7.*

RUDOLFUS *Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Comitibus, Nobilibus miniſterialibus, militibus, clientibus & vaſallis Auſtrie,* (1) *fidelibus ſuis dilectis, graciam ſuam & omne bonum. Cum nos accedente conſenſu libero Principum Venerabilium &*
1 *Illuſtrium, in electione Romanorum Regum & Imperatorum voces habentium,* (2) *vacantes nobis & Imperio terras ſeu* Ducatus Auſtrie & Stirie, *cum ſuis dominiis, honoribus, juribus, & univerſis utilitatibus,*
2 *quondam ingenuis* LEUPOLDO *&* FRIDERICO (3) *Ducibus ipſorum principatuum, debitis & conſuetis, Illuſtribus* ALBERTO *&* RU-
3 DOLFO (4) *filiis noſtris Kariſſimis, & heredibus eorundem contulimus, a nobis & ſacro Romano Imperio perpetuo poſſidendas, & eos inveſtivimus ſceptro regio de eisdem;* ut declarant plenius privilegia, ſuper ipſa collacione tradita & confecta. *Univerſitatis veſtre fidelitati committimus firmiter & mandamus; quatinus eisdem* ALBERTO *&* RUDOLFO, *filiis & principibus noſtris, veris veſtris Dominis & Ducibus, plena fide, nec non ſubjectionis omnimode debito & reverentia intendatis.*

Non

Non obſtantibus quibuscunque juramentis, nobis & Imperio ſacro, per vos preſtitis, que preſentibus relaxamus, & literis hinc inde datis, ſeu privilegiis omnibus conceſſarum vobis per nos quarumlibet libertatum. Datum Auguſte *IIII. Kalend. Febr. Indict. decima, anno Domini M. CC. LXXX. II.* (5) *Regni vero noſtri anno decimo.*

(1) *Comites, Nobiles miniſteriales, milites, clientes,* & *vaſalli* proprie ſtatus ac ordines Ducatuum Auſtriæ Styriæque erant, eosque primario repræſentabant. Sub *Nobilibus miniſterialibus* vero ii *Nobiles* intelliguntur, qui *Officia hæreditaria* in Principatibus Auſtriæ & Styriæ obibant. Voces denique *clientum* & *vaſallorum*, ad omnes ſpectant; quatenus ob allodia vel clientelæ vinculo, vel ob feuda nexu vaſallitico erant obſtricti. Epiſcoporum & Abbatum nulla fit mentio, ſicut nec civitatum. Civitates enim in capite, vel per Comites, vel per Nobiles regebantur earum Præfectos, ipſis vel feudi lege, vel jure hæreditario, aut etiam, qua Officialibus Cameræ Principis, præpoſitos. Epiſcopi autem & Abbates advocatiæ jure tenebantur; a ſtatibus proprie ſic dictis, tunc ſegregati. Miniſteriales denique tam Comitum, quam Nobilium miniſterialium, atque militum, nominare ſuperfluum fuiſſet; cum fide ſuorum capitaneorum Principi & Principatui jamtum obligati eſſent. Hinc eſt, quod Corpora Eccleſiaſtica, in variis provinciis ſerius in ordine ſtatuum occurrant.

(2) Ad reinfeudationem ſolum Electorum conſenſum neceſſarium fuiſſe præſens Edictum Rudolphinum nos edocet. Cæterum Imperatores quondam ſolitos fuiſſe tam Electoralia (ſicut Ludovicus *Bavarus* Brandenburgenſem Electoratum in filium cognominem transtuliſſe legitur) quam cætera regalia beneficia ad Imperium redeuntia filiis ſuis, aliisque, qui neceſſitudine quadam ſibi conjuncti erant, concedere, exempla Friderici I. & Rudolphi I. apud Ottonem *de S. Blaſio* cap. 21. & Albertum *Argentinenſem* in Chron. ad an. 1273. teſtantur: quod ipſum hocce *Edicto Rudolphino* abunde confirmatur.

(3) Leopoldo *Glorioſo* & Friderico *Bellicoſo* Ducibus Auſtriæ, ſtirpis Babenbergicæ ultimis.

(4) Ex quo diſcimus, Auſtriam & Styriam Alberto & Rudolpho conjunctim collatam fuiſſe: utut ante reinfeudationem, ſolus Albertus, tamquam *Vicarius Generalis* & *Rector*, Cæſaris & Imperii nomine, Auſtriæ Styriæque præfuerit; eique ſoli, ſub hac *Vicarii* qualitate, juramenta præſtita fuerint; quæ diſerte Rudolphus, *ſibi* & *Imperio*, in perſona *Vicarii* facta fuiſſe hic memorat; indeque Ordinibus Auſtriæ & Styriæ illa relaxat, atque hos Ducatus filiis ſuis, non amplius tamquam *Vicariis*, ſed ut veris Dominis & Ducibus, non Vicaria ac temporaria, ſed *plena fide*, *ſubjectioneque omnimoda* addictos eſſe jubet. Quale porro juramentum Alberto, qua *Vicario Generali*, præſtitum ſit, proxime præcedenti inſtrumento didicimus.

(5) Scriptores non conveniunt in deſignando anno, quo ſolemnia Auguſtæ celebrata ſunt Comitia. Hæc ad annum 1282. refert Hiſt. Auſtr. Plenior. ſequuntur Trithemius, Nauclerus, & Mutius: alii vero apud Struvium *Pet. X. p. 525.* annum 1283. ſtatuunt, & litteras ſuper conceſſione feudorum Auſtriæ, Alberto & Rudolpho facta, eodem anno 83. ſcriptas eſſe contendunt. Cl. M. Hansizius *Germ. Sac. T. II. pag. 291.* conventum hunc Auguſtæ habitum fuiſſe ſub anni 1282. finem, feſto Natalis Domini, quo Rudolphus filiis ſuis Provincias Auſtriacas more feudi conceſſerit. Litem non dirimo, ſed tantum animadverto: reliquas chartæ huic adpoſitas notas chronologicas ſe recte habere; currebat namque anno 1282. Indictio X. & annus regni X.

XV.

Albertus I. Dux Auſtriæ & Styriæ monaſterio *Admontenſi* confirmat privilegia a Rudolpho I. Rom. Rege eidem conceſſa. *Dat. in Kymenberg.*

1283. *Ex archivo Abbatiæ Admontenſis.*

Albertus *Dei gratia Dux Auſtrie & Styrie, Dominus Carniole, Marchie & Portus Naonis, omnibus in perpetuum. Digne illos prerogativa favoris noſtri reſpicimus, & ſpecialibus gratiis honoramus, qui ſtabilis fidei puritate nobis ſe gratos conſtituunt, & in noſtris obſequiis fructuoſos non minus ſeu utiles exhibent, quam prudentes. Cum itaque Pater honorabilis & diſcretus Dominus* Hainricus *Abbas monaſterii* Admontenſis, *ſcriba noſter fidelis per* Stiriam, *tam erga ſereniſſimum patrem noſtrum Dominum* Rudolfum *Romanorum Regem ſemper Auguſtum, quam erga nos etiam tanta devotionis & fidei luce cla-*

claruerit; quod proinde ſpecialis noſtri favoris gratiam merito debeat reportare; quasdam gratias ſpeciales ſibi ac monaſterio ſuo a prefato Domino & patre noſtro conceſſas, (1) *eisdem tam liberaliter, quam libenter duximus innovandas; auctoritate preſentium miniſtrantes & dantes eidem liberam facultatem, munitionem in fundo ipſius* Admontenſis *Eccleſie, ubi magis ſibi ſuoque monaſterio expedire videbitur, erigendi; univerſis Nobilibus, Comitibus, miniſterialibus, militibus, clientibus, ceterisque noſtris fidelibus per* Stiriam *conſtitutis, firmiter injungentes, ut ad requiſitionem ejusdem Abbatis, ſibi in ſtructura munitionis hujusmodi cooperari & prodeſſe debeant, non obeſſe: ad inſtar etiam patris & Domini noſtri predicti hanc ſibi ſuoque monaſterio duximus indulgendam gratiam: quod jurisdictio & judicium univerſum inter* Cluſam, *ubi ſitum eſt monaſterium* Admontenſe, *ſecundum quod Abbas dicti monaſterii & ſui officiales ab antiquo judicare conſueverunt, ad ipſum Abbatem, ſuumque monaſterium perpetuo jure pertineat; nullo extraneo judice aliquod ibidem judicium exercente; dimidiam* libram denariorum Grecenſium, (2) *quam de eodem judicio ſibi per patrem noſtrum prefatum conceſſo, ſingulis annis eidem ſolvere tenebatur, dicto Abbati ſuoque monaſterio de ſpeciali gratia in perpetuum relaxantes. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtre innovationis & conceſſionis infringere, vel eidem in aliquo auſu temerario contraire. Quod qui forſitan attemptare preſumpſerit, gravem noſtre indignationis offenſam ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium & cautelam preſens ſcriptum exinde conſcribi & ſigillo noſtro* (3) *voluimus communiri. Datum in Kymnenberg anno Domini MCCLXXXIII.*

(1) Has gratias ſpeciales expreſſas habet aliud diploma RUDOLPHI, ad an. 1278. 30. April. quod in eodem archivo Abbatiæ Admontenſis cuſtoditur.

(2) De hujusmodi denariis ſermo recurret Tomo ſequenti Proleg. I. & II.

(3) Hujus ſigilli mentionem fecimus *Diſſ. I. §. XI. pag. 13.*

XVI.

ALBERTI Ducis Auſtriæ confirmatio privilegiorum Abbatiæ *S. Crucis* Auſtr. Infer. elargita. *Dat. IX. Kal. Jan. Indict. XV.*

1286. 24. Decemb. *Ex archivo Abbatiæ S. Crucis eiſd. I. n. 7.*

ALBERTUS *Dei gratia Dux Auſtrie & Styrie, Dominus Carniole, Marchie ac Portus Naonis, univerſis tam preſentibus quam futuris, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, in perpetuum. Cum Illuſtrium Principum inclite recordationis anteceſſorum noſtrorum geſta pia mente revolvimus, & perſpicimus oculis conſiderationis interne; ut eorum juſtis exemplis noſtra coaptemus veſtigia, in voto gerimus & deſiderio ampliori; ſperantes ex eo, quod Eccleſias & perſonas eccleſiaſticas divino cultui deputatas, liberas atque ereptas a preſſuris injuſtis, majori pre ceteris gratia confovemus, conceſſam nobis a ſummo Rege regente & gubernante omnia, ampliari gratiam & ſalutem. Hinc eſt, quod ad inſtar excellentium predeceſſorum noſtrorum Ducum Auſtrie & Styrie, religioſos viros Abbatem & Conventum monaſterii* Sancte Crucis *in Auſtria,* Ordinis Ciſtercienſis, *pluribus dotatos libertatibus & bonorum titulis inſignitos in amplexus defenſionis & gratie noſtre ſpecialis duximus cum perſonis & rebus omnibus ipſius monaſterii aſſumendos; approbantes inſuper & habentes ratas ac gratas gratias omnes, libertates, ac jura quibus*

bus hucusque ex largicionibus & indultis Divorum Imperatorum & Regum Romanorum, nec non anteceſſorum noſtrorum Principum Auſtrie & Styrie idem monaſterium eſt gaviſum: & easdem generaliter preſentium ſerie innovantes, quasdam emunitatum ipſarum in ſpecie decrevimus permiſſione munifica declarandas, videlicet quod in omnibus poſſeſſionibus eorundem Abbatis & Conventus ſibi judicium quodque competat, cauſis mortis dumtaxat exceptis. Item ſi fur aut malefactor alius, mortis obnoxius, in bonis ipſorum deprehenſus fuerit & detentus per officialem eorum, aſſignandus ſit cingulotenus judici competenti. Item in cauſis civilibus dicti Abbas & Conventus coram nobis, & non judicibus aliis, reſpondere de juſtitia debita cenſentur aſtricti. Item religioſis prefatis liceat, & licebit duo talenta ſalis, majoris ligaminis, per alveos Eny & Danubii, *& res ſuas alias per Ducatus noſtros & terras Auſtriam & Styriam ac cetera noſtra Dominia ducere ſine theloneo quolibet, & libere ſine muta. Item in quatuor curiis ſuis, ſcilicet* Wienne, *in* Nova Civitate, *in* Prukka, *& in* Marhekke *exemptionis & ſecuritatis indulto fruantur, ita, quod eedem curie a violentia judicum ipſarum civitatum ſignanter eductæ, ad nullas teneantur collectas, contributiones, dacias, ſive ſteuras; ſalva ipſis Abbati, & Conventui nichilominus in poſterum libertate, in* Wienna *ſeptuaginta duas carratas vini, in* Nova Civitate *quadraginta carratas vini, ſine ſteure ſive exactionis debito propinandi. Qua gratia freti ſunt tam ex indulto Principum anteceſſorum noſtrorum, quam ex conſenſu civium usque ad hec tempora annuatim. Mandamus igitur univerſis, ac ſingulis fidelibus noſtris firmiter & diſtricte, ne dictum monaſterium, vel perſonas DEO famulantes ibidem, una cum bonis ipſorum preſumant aliquatenus moleſtare, aut jura infringere, vel conceſſas eisdem libertates quomodolibet violare. Qui vero in contrarium venire preſumpſerit, indignationem noſtram graviſſimam ſe noverit incurriſſe. In cujus rei teſtimonium & perpetui roboris firmamentum preſentes literas memoratis Abbati & Conventui ſigillo noſtro tradidimus communitas.* (1) I
Teſtes autem omnium premiſſorum ſunt, Venerabilis Wilhelmus Abbas Scotorum in Wienna, Ulricus *Nobilis* de Tovuers, Otto de Haslowe, Hermannus de Wolfgerſtorf, Fridericus *Dapifer* de Lengenbach, Leutoldus de Chunring *Pincerna*, Reinbertus & Chalhohus *fratres* de Eberſtorf, Albertus Stuhſo de Trovtmannſtorf, Ulricus de Chappelle, *& quam plures alii fide digni. Datum* Wienne *per manum Magiſtri* Bentzonis, *noſtri Protho-Notarii, & plebani de* Miſtelbach. *Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, VIIII. Kalendas Januarii, Indictione quinta decima.*

(1) De ſigillo hujus chartæ pariter mentionem fecimus cit. *Diſſ. I. §. XI. pag. 13.*

XVII.

Privilegia Monialibus ad *S. Nicolaum* Wiennæ conceſſa, roborat ALBERTUS Dux Auſtriæ, & nova ſuperaddit.
Dat. Wienne. III. Id. Octob.

ALBERTUS *Dei gracia Dux Auſtrie & Styrie, Dominus Carniole, Marchye ac Portus Naonis, univerſis tam preſentibus quam futuris, ad quos preſens ſcriptum pervenerit in perpetuum. Cum Illuſtrium Principum* (1) *inclite recordacionis, anteceſſorum noſtrorum geſta* I

1287. 13. Octob. *Ex eodem archivo San-Crucenſi, ciſta 18. n. 8. lit. B.*

pia mente revoluimus, & perſpicimus oculis conſideracionis interne; ut
2 *eorum juſtis - - - - - - ſtra* (2) *coaptemus veſtigia, in voto gerimus & deſiderio ampliori; ſperantes ex eo, quod Eccleſias & perſonas eccleſia-*
3 *ſticas divino cultui depu - - - -* (3) *atque ereptas a preſſuris, juſtis majorum preceptis gracia confovemus, conceſſam nobis a ſummo* Rege *regente & gubernante omnia, ampliari graciam & ſalutem. Hinc eſt, quod ad inſtar excellencium predeceſſorum noſtrorum Ducum Auſtrie & Styrie, religioſas feminas - - Abbatiſſam & Conventum monaſterii* Sancti Nicolai *in* Wienna, extra muros, Ordinis Ciſtercienſis, *pluribus dotatas libertatibus & honorum titulis inſignitas, in amplexus defenſionis & gracie noſtre ſpecialis duximus cum perſonis & rebus omnibus ipſius monaſterii aſſumendas: approbantes iuſuper & habentes ratas ac gratas gracias omnes, libertates, & jura, quibus hucusque ex largicionibus - - - - - -*
4 *Imper - -* (4) *Romanorum, nec non anteceſſorum noſtrorum Principum Auſtrie & Styrie, idem monaſterium eſt gaviſum: & easdem gracialiter preſencium ſerie innovantes, quasdam emunitatum ipſarum in ſpecie decrevimus permiſſione munifica declarandas, videlicet quod omnibus poſſeſ-*
5 *ſionibus earundem Abbatiſſe & Conventus ſibi judicium quodque - - -* (5) *cauſis mortis dumtaxat exceptis. Item ſi fur aut malefactor alius, mortis obnoxius, in bonis ipſarum deprehenſus fuerit & detentus, per officialem earum aſſignandus ſit cingulotenus judici competenti. Item in cauſis civilibus dicta Abbatiſſa & Conventus coram nobis & noſtris judicibus aliis reſpondere de juſtitia debita cenſentur aſtricte. Item dominabus prefatis liceat, & licebit duo talenta ſalis majoris ligaminis per alveos* Eny *& Danubii, & res ſuas alias per Ducatus noſtros & terras Auſtriam & Styriam ac cetera noſtra Dominia ducere ſine theloneo quolibet, & libere ſine muta. Mandamus igitur univerſis & ſingulis fidelibus noſtris, firmiter & diſtricte, ne dictum monaſterium vel perſonas DEO famulantes ibidem, una cum bonis ipſarum preſumant aliquatenus moleſtare, aut jura infringere, vel conceſſas eisdem libertates quomodolibet violare. Qui vero in contrarium venire preſumpſerit, indignacionem noſtram graviſſimam ſe noverit incuriſſe. In cujus rei teſtimonium & robur perpetuo va-*
6 *liturum, preſens ſcriptum exinde conſcribi & ſigilli noſtri* (6) *munimine juſſimus communiri. Datum* Wienne *per manum Magiſtri* Gotfridi *noſtri Protbo-Notarii, tercio Idus Octobris. Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo.*

(1) Idem diploma patrio ſermone in duplo expeditum fuit. Renovata porro hæc ipſa privilegia a FRIDERICO *Pulchro* Rom. Rege anno 1316. & ab ALBERTO Duce Auſtriæ an. 1357. ut ex ſequentibus patebit. Defectus vero hujus chartæ ſupplemus ex inſtrumento proxime præcedenti, quod ejusdem ferme tenoris ab ALBERTO Duce in gratiam Abbatiæ S. Crucis anno ſuperiori, 1286. collatum fuit.

(2) In priori charta legitur: *exemplis noſtra.*

(3) Ibidem habetur: *Deputatas liberas atque ereptas a preſſuris injuſtis, majori pre ceteris gratia confovemus.*

(4) Ibid. *Ex largicionibus & indultis Divorum Imperatorum & Regum Rom.*

(5) Supple: *competat.*

(6) De hoc quoque ſigillo actum ſupra *Diſſ. I. §. XI. pag. 13.*

XVIII. Te-

XVIII.

Teſtamentum Blancæ, primæ uxoris Rudolphi III. Auſtriaci, poſtea Regis Bohemiæ, quo Capellam *S. Ludovici* Viennæ in monaſterio *S. Crucis* FF. Min. Conventualium conſtitutam, donat; ibidem ſepulturæ ſuæ locum eligit; diverſisque Auſtriæ monaſteriis & noſocomiis dona legat, & confert. *Dat. die S. Mauricii.*

1304. 22. Sept. *Ex autographo tabularii Patrum Minoritarum Wienne.*

In den Namen des Vaters und des Sunes und des heligen Geiſtes Amen. Wir Blanka *von den genaden Gotes des Chuniges Tochter von Franchrich,* (1) *und auch Herzoginne von Öſterrich und von Steyre: Ordenen und ſchaffen unſer geſchefte, als iz hernach geſchriben ſtat: des erſten, ſo wel wür unſere büülig* (2) *ob Got über uns gebeutet, datz den Minneren Prüdern ze* Wienne *in dem Chore vor dem alter; vnd ſchaffen bundert phund, darumbe man chaufe ein gewiſſe gülte, vnd daz mann darumbe vnſeren vnd vnſerer Vordern jartag lege, alle jar, datz denſelben Minnern Prüdern; vnd ſchaffen vmb ein erber grab von mermelſtaine* (3) *yber Vns fünfzig phundt; vnd ſchaffen, daz man an den erſten tage unſerer büülig tail vnter arme leutbe zwainzig phund; an dem dritten zebene, an dem ſybenden zebene; an dem dreizigiſten zebene: Vnd ſchaffen tauſend phund, datz man darumbe die Chirchen, und datz Münſter, datz den vorgenanten Minnern Prüdern ze* Wienne, *in eren* Sand Lvdwiges *newe macbe, vnd von newen dingen erbowe; vnd wibe* (4) *in eren* Sand Lvdwiges *diſelben Chirchen. Wir ſchaffen auch bundert phund, darumbe man chaufe gülte; damit man alle jar beleüchte vnd berichte* Sand Lvdwiges *alter* (5) *mit alle den,* (6) *vnd darzu geböret, alſo daz man alle tage da Meſſe ſprechc; vnd ſchaffen auch bundert phund, di man tailen ſoll vnter alle die Clöſter Minnern Prüdern, di von Öſterrich ſint, vnd allen den Clöſtern* Sand Claren *Orden in Öſterrich vüerzig pfund. Wir ſchaffen allen Prüdern vnd Sweſtern von* Prediger Orden *bundert phund: Wir ſchaffen den* Augusteinern *fünfzeben phund. Wir ſchaffen auch denn Nunnen bintze* Neümburch (7) *fünf pfund: und den Nunnen datz der* Himmelporte *fünf phund; und den Nunnen bintze* Sand Marie Magdalene *fünf phund; und allen den Spitalen, di in* Öſtrich *ſint, drizech phund, und bintz allen den auſſetzigen, di in* Öſtrich *ſint, zwainzich phund. Wir ſchaffen auch den vier Vrawen vnſeren diennerinen der von* Puchperch, *Agneſen,* (8) *Gertrauten, und der weſchen ſechzig phund. Vnd denen* (9) *andern unſerm Gesünde, die teüsb* (10) *ſint, bundert phund. Daz alles daz bie benennet iſt; und wir verſchaffet han; und darzu zwai bundert phund, die wir noch ſchaffen, datz man damit gelte, ob jemant Chome in jaresfriſt, der debeine gülte von Vns aiſche, ob detz nibt enwere,* (11) *oder ſwaz yber die gülte belibe* (12) *daz man datz geb durch Got, daz ſol man alles nemen von Vnſeren Clenoden,* (13) *Swi di genant ſin, und von unſerm gewande. Datz aber ditz geſchefte ſtete belibe; darumb empbelbe wir iz Vnſer liben Vrowen der* (14) Chunegine von Rome, (15) *und Vnſerm liben Würte,* (16) *Herzoge* Rudolphen (17) *von Öſtrich, vnd unſerem Pichtiger auf ir trewe vnd auf ir ſele, datz ſy diz geſchefte volfüren nach Gotes lobe, vnd meiner ſele troſt. Vnd darumbe zu einer ſteticheit, haben wir diſen brif haizen ſchreiben. Vnd haben in verſigelet mit unſerem inſigele.* (18) *Diz iſt geſchehen, da von Chriſtes*

Geburt ergangen waren touſent jar, drew hundert jar, an dem virden jare
19 20 (19) *an* Sand Mauricien *tage.* (20)



Edidit quidem Clar. *P. Bernardus* PEZIUS hoc ipſum teſtamentum BLANCÆ *Cod. Dipl. Hiſt. Epiſt. P. II. pag. 201. a.* ſed cura alterius ſcribæ cum ſiglis P. H. notati, ex autographo deſcriptum. Ego vero ſigillum huic inſtrumento adpenſum inſpiciens, contextum chartæ cum editione contuli; qua occaſione, variantes lectiones reperi: eas itaque hic addere, & chartam notis illuſtrare, typumque ſigilli inſtrumento mox adponere eo minus abs re eſſe judicavi, quod iſtam operam in me ſuſcepturum jam ſupra *Diſſ. II. §. XIV.* Lectori Benevolo adpromiſi.

(1) PHILIPPI III. Regis Francorum filia.
(2) Id eſt: *Beylegung*, *Beyſetzung*, dies ſepulturæ.
(3) Tumulus hodie adſervatur in templo P. P. Minoritarum; cujus ectypa & deſcriptionem aliquando dabimus Tomo IV.
(4) Id eſt: WEYHE, dedicetur. Edit. PEZIANA: *Wir.*
(5) Ara hæc S. Ludovici hodieque exſtat in eodem templo P. P. Minoritarum.
(6) Edit. PEZ. *mit aller dru.*
(7) Monaſterium monialium olim Clauſtro-Neoburgi; quod non exſtat amplius.
(8) Laud. edit. *Agneten.*
(9) Eadem edit. *dem.*
(10) Eadem: *Tuſch.*
(11) Ibidem: *Ob dar nicht newere.*
(12) Ibid. *beliebe.*
(13) Ibid. *Chleinodien.*
(14) Tò *der*, deeſt ap. PEZ.
(15) ELISABETHA Romanorum Regina, ALBERTI II. uxor.
(16) Ita veteri idiotiſmo *Wirte*, pro marito.
(17) ALBERTI I. filius, anno 1307. factus Rex Bohemiæ.
(18) Sigillum hoc, ex cera rubra, ſupra delineatum, ab inſtrumento pendulum eſt, cum contra ſigillo. De eo conferantur dicta Diſſert. I. §. VIII. & Diſſ. II. §. XIV. circa finem.
(19) Obiit inſecuto anno 1305.
(20) Id eſt: 22. Septembris.

XIX. Di-

XIX.

Diploma FRIDERICI Ducis Auſtriæ, quo privilegia & immunitates Abbatiæ *B. V. M. ad Scotos Wiennæ* confirmat. *Dat. Wiennæ IV. Kal. Jul.*

1314. 28. Junii. *Ex archivo Abbatiæ B. M. V. ad Scotos Ord. S. Benedicti Wiennæ Auſtriæ. n. 16. lit. S.*

FRIDERICUS *Dei gratia Dux Auſtrie & Styrie, Dominus Carniole, Marchie, ac Portus Naonis, univerſis tam preſentibus quam futuris in perpetuum. Quamquam eccleſiaſtica loca perſonasque religioſas promotionis generalis jugiter ſincero zelemur affectu; ceteris tamen precellentius, ſingularis gratie noſtre & continue pietatis, Eccleſiis illis fructuoſis debetur effectus, quas Illuſtrium predeceſſorum noſtrorum, Ducum Auſtrie & Styrie fundavit ad gloriam & laudem DEI benignitas, & dotatas magnifice commendavit, colendas ſtudiis & favoribus ſucceſſorum. Quapropter exemplo priorum laudabili & religionis munde meritis monaſterium* SANCTE MARIE Scotorum *in Wienna, tanquam memorialem plantulam eorundem terre Principum, quam & nos ſpecialis amoris pariterque favoris fovere ſemper intendimus & amplexamur conſtantia, una cum Abbate & Conventu fratrum ibidem, nec non hominibus & poſſeſſionibus ipſorum in ulnas gratie & protectionis noſtre gratanter duximus aſſumendum. Ad ampliorem ipſorum ſolidandum profectum favorabiliter approbantes, inconvulſe ratificantes, & pro recentiori memoria preſentibus innovantes eisdem univerſaliter ſingulas & ſingulariter univerſas donationes, jura, gratias, & libertates, quibus ex conceſſionibus Regum Romanorum & fundatorum ſuorum, aliorumque Principum, monaſterium idem usque in preſentiarum rite dinoſcitur viguiſſe; expreſſis nichilominus emunitatum ipſarum quibusdam articulis ſub compendio ſpeciali, videlicet quod nulli de colonis, mancipiis, aut aliis attinentibus, memoratis Abbati & Conventui, coram nobis aut noſtris judicibus debeant conveniri, niſi in cauſis ſanguinis, que pro mutilatione membrorum vel dampnatione fuerint perſonarum. Remiſſarum quoque cauſarum actiones in preſentia dicti Abbatis vel officialis ſui, juris ordine decidantur; nec ulli judicum ſecularium de rebus mobilibus aut poſſeſſionibus illorum, quos in cauſas hujusmodi trahi contigerit, intromittere ſe preſumant; ſed ſimul res ſive poſſeſſiones eorumdem, predictis Abbati & Conventui aſſignentur. Preterea ſi contingat aliquem metu periculi perſone proprie, quocunque cogente, exceſſu monaſterii jam dicti fugere ſive cedere intra ſepta, non liceat in eundem cuipiam ad ledendum vel extrahendum ipſum auſu temerario manum mittere violentam. Redditus etiam antefate Eccleſie tam a juditio provinciali, quod vulgo* Lantaidinch (1) *dicitur, quam a ſolutione pabuli dicti* Marchfuoter, (2) *quod marſtallum noſtrum reſpicit, immo & ab omni jure noſtro, perpetuo ſint exempti, ita quod nulli officialium noſtrorum, ſive Marſchalcus, judices, aut precones, in bonis ſepedicte Eccleſie, ſibi a fundatoribus ſuis, vel ab aliis fidelibus conceſſis vel concedendis, intus vel foris, occaſione noſtre repetende juſtitie, que prorſus ipſis remittitur, quicquam recipiant, ſeu requirant. Nulli ergo hominum banc noſtre innovationis paginam & decretum infringere liceat, aut aliquatenus violare; quod qui ſecus attemptare preſumpſerit, indignationem noſtram graviſſimam ſe noverit incurriſſe. Datum*

1
2

Wien-

Wienne, *anno Domini, milleſimo trecenteſimo quarto decimo. IIII. Kalend. Julii.* (3)

(1) *Lantaidinch*, idem ac *Provinciale judicium*; nam *dinch*, ſeu *ding*, judicium ac forum veteribus erat. Idem vocabulum recurrit in charta WILHELMI & ALBERTI Ducum Auſtriæ de anno 1404. promulgata, (infra num. XXVII. recenſenda) in hunc modum exaratum: *Landtaiding*.

(2) *Marchfuoter*, id eſt, equorum pabulum: *March* enim ſeu *Mark* equum ſignificat. Vide *Gloſſ.* WACHTERI, hac voce.

(3) Sigillum, quo hæc charta firmatur, recenſuimus *Diſſ. I. §. XII. pag. 13. & 14. ad n. V.*

XX.

FRIDERICUS Dux Auſtriæ, ALBERTI I. Imp. fil. confirmat anniverſarium ab ELISABETHA matre ſua, in Abbatia B. M. V. *Wiennæ apud Scotos* conſtitutum, eique viduam ſtipendiariam certis conditionibus tribuit. *Dat. an Sant Gylgen-Tag.* i. e. *In feſto S. Ægidii.*

1314. 1. Septemb. *Ex eodem archivo. n. 17. lit. S.*

Wir FRIDERICH *von Gotes genaden Herzog in Oſterreich und in Steyr, Herre ze Chrain und der Marche, und ze Portnawe, verjehen offenlich an diſem briefe und tuen chunt allen den, di diſen brief leſent, horent, oder ſehent: daz weilen unſer liebe Vrowe und mueter Chungin* ELSPETH *von Rom, der Got genade! von der beweiſunge, und von dem rat, weilen Piſchof* WERNHARTES *von* Pazzawe, *mit wol bedachtem muet, ze Selgeret aller unſer vordern, und beſunderlich unſers lieben herren und vater Chunch* ALBREHTES *von Rom, ires wirtes, und auch ir ſelber ſel, und aller unſer nachchomen, und ſunderlichen ze einer widerlegunge, der veiertag, di an dem* Sieden *ze* Halſtat, *di ſi mit irem guet, von wilden gepirge erpowen hat, ubergangen und zerbrochen werdent, mit arbait, der man doch ze noet nibt enpern mach, ir almueſen, von dem vorgenanten* Sieden *den gaiſtlichen leuten . . . dem Apt und dem Convent des Gotesbauſſe unſer Vrowen* Sant MARIEN *der* Schotten *ze* Wienne *mitgetailt und gegeben hat, alſo daz in unſer phleger oder amptleut ze* Halſtat *alle jar an* Sant Georgen *tag dreizzich fueder durres ſaltzes geben ſullen, und daz ſelbe ſaltz ſol in an allen unſern mauten ze* Gmunden *und ze* Stain, *oder ſwie ſi genant ſint, an allain ze* Ybſe, *di unſer Sweſter di Chungimn von Ungern an gehort, ledichlich an maut furgen; wer aw, daz in di phleger oder amptleut, daz vorgenant ſaltz an dem vorgenanten tage nibt geben, ſo hat ſi gepoten veſtiglichen und bei iren hulden, den purchleuten ze* Halſtat *daz ſi debain ſaltz ze* Halſtat *auz lazzen fueren, untz daz daz vorgenant ſaltz, dem vorgenanten Gotesbauſe verrichtet werde. Ez ſol auch der vorgenant Apt und ſein Convent unſerr dienerin* Alhaiten Nichlos *von* Newnburch *witiben, weilen unſerr vorgenanten Vrowen und mueter Chuchenmaiſter, ein tegelich herrenpbruent geben, von Cheler und von Chuchen rebt, als einem herren, doch alſo, ſwaz von ſelgereten, oder ſuſt von andern ſachen beſunder* pitantz (1) *den herren zu ir phruende, underſtunden, gegeben wirt, deſt iſt man ir nibt gepunden ze geben, ſuſt ein teglich herrenpbruent ſol man ir geben, untz an ir tot, und nach irem tode, ſo iſt di pbruende dem Gotesbauſe ledich worden, daz man ſi furbaz niemen geit; und danne ſo di phruent im ledich worden iſt, ſo ſol furbaz der vorgenant Apt, oder ſwer ze den zeiten Apt iſt, alle jar an* Sant Philippes *tage ſinem Convent ein halbes phunt* Wienner phenning *ze bezzerunge irr phruent geben,*

geben, von dem vorgenanten ſaltz, daz ſi darumbe des ſelben tages, unſers vorgenanten Herren und Vater, der an dem ſelben tag verſchied, und der vorgenanten unſerr Vrowen und Mueter und aller unſerr vordern, und nachchomen jartach begen, (2) *mit Vigilien und mit Sel-meſſen, und mit* 2
andern gotlichen ſachen. Ez ſuln auch di vorgenanten ſetze, umbe di phruende, untz an Alhaiden *unſerr vorgenanten dienerinne tode, und umbe den jartach, alle jar ewichlichen von dem vorgenanten Goteshauſe veſtichlichen behalten werden, alſo ob in daz vorgenant almuoſen behalten, und alle jar gegeben wirt; ſwo des awer nibt geſchibt, ſo ſint ſi auch niemen nihtes gepunden, weder der phruende, di da vor genant iſt, noch des jartages. Und wan unſer vorgenante Vrowe und Mueter daz vorgeſprochen ſelgeret, mit weiſem rat, und mit unſerm willen und gunſt, ſo ſelichlichen gemachet hat, des gelub wir ez, uns, und allen unſern vordern und nachchomen ze hail und ze troſt, ze volfueren und ſtet ze haben. Und darumbe, daz daz ſelbe ſelgeret von uns, und von allen unſern nachchomen, an aller der weiſe, als da vor geſchriben iſt, ewichlichen behalten werde, des geb wir dem vorgenanten Apt, und ſinem Convent diſen prief ze einer ewigen beſtetigung diſer ſach, verſigelten mit unſerm inſigel.* (3) 3
Der brief iſt gegeben do von Chriſtes gepurt waren ergangen tauſend jar, drev hundert jar, und darnach in dem viertzehenten jare an Sant Gylgen tage.

(1) *Pitantz*, *Pietantia* & *Pitantia* vox in chartis medii ævi frequens, denotat ferculum, ſeu cibum honorarium ac extraordinarium.
(2) Forte *legen*, ut ſupra *n. XVIII. pag. 221. lin. 8.*
(3) Sigilli hujus delineationem habes *Diſſ. I. Tab. V. num. V.*

XXI.

FRIDERICUS *Pulcher* Rex Rom. monaſterio *S. Nicolai* Ord. Ciſterc. extra muros *Wiennæ*, confirmat privilegia, eidem ab ALBERTO Duce Auſtriæ conceſſa. *Dat. in Wienna Id. April.*

FRIDERICUS *Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus. Univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus preſentes litteras inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Conſtitute in noſtre Majeſtatis preſencia honorabiles & religioſe perſone Abbatiſſa & Conventus monaſterii* Sancti Nicolai *in Wienna extra muros,* Ordinis Ciſtercienſis, *devote noſtre in Chriſto dilecte, privilegium quoddam nobis obtulerunt, petentes cum inſtantia, idipſum, & articulos in eo contentos, de benignitate Regia confirmari, cujus tenor de verbo ad verbum talis eſt:* ALBERTUS *Dei gracia Dux Auſtrie & Styrie, Dominus Carniole ac Portus Naonis. Univerſis tam preſentibus quam futuris, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, in perpetuum. Cum Illuſtrium Principum, inclite recordacionis, anteceſſorum noſtrorum geſta pia mente revolvimus, &c.* (1) *Datum* 1
Wienne *per manum Magiſtri* Gotefridi *noſtri Protho-Notarii III. Idus Octobr. anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo. Nos igitur clare recordationis predicti genitoris & predeceſſoris noſtri piis actibus imitentes, memoratarum Abbatiſſe & Conventus monaſterii* Sancti Nicolai *in* Wienna *extra muros, privilegium, cum omnibus in ipſo contentis, auctoritate Regia innovamus, approbamus, & preſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtre innovacionis, approbacionis, ſeu confirmacionis paginam infringere, vel ei-*

1316. 13. April. *Ex archivo Abbatiæ S. Crucis. Ciſt. D. n. 18.*

dem ausu temerario contraire; quod qui facere presumpserit, gravem nostram indignacionem se noverit incurrisse. In cujus rei testimonium pre-
2 *sentes litteras conscribi, & sigillo nostre Majestatis* (2) *jussimus communiri. Datum in* Wienna *Id. Aprilis anno Domini millesimo trecentesimo*
3 *sexto decimo; Regni vero nostri anno.* (3)

(1) Contextum hujus instrumenti jam dedimus supra n. *XVII.*

(2) Ectypon sigilli, quo hoc diploma munitum est, habes *Diss. I. Tab. V. n. VI.*

(3) Supple: *Secundo*; ut infra *n. XXIV.* legitur, in confirmatione, quam ALBERTUS Dux Austriæ anno 1357. eidem monasterio concessit.

XXII.

Litteræ fundationis FRIDERICI Romanorum Regis, pro monasterio *Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Viennæ. Dat. Id. Martii.*

1327. 15. Martii. *Ex autographo, tribus sigillis munito.*

IN Nomine Domini Amen. FRIDERICUS *Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus: omnibus in perpetuum. Illustratur serenius Regia celsitudo, dum presidendo temporalis regni regimini, pietatis exercitio pro transitorio, permansurum, & pro terreno, celicum lucrari studuerit incolatum; hac etenim commutatione utique celebri & devota, nedum mansione polorum siderea, immo perhenni visione & glorificatione Deifica perfruetur. Quocirca considerantes attentius, nos posse potissimum pietatis exercitium in divini augmentum ministerii & religiose vite propagationem perficere; oculos Regalis Clementie & favoris in viros Religiosos* Fratres Heremitarum Sancti Augustini, *devotos nostros carissimos (quos eo ampliori gratiarum prerogativa conferre disponimus, quo magis ipsos monastice ac celibis vite insigniis clarere cognoscimus) dignum duximus convertendos; ipsis (gratia Sancti Spiritus inflammati) unacum Illustribus* ALBERTO *&* OTTONE *Ducibus Austrie & Styrie fratribus & Principibus nostris carissimis, donantes & assignantes, donatione irrevocabili inter vivos, domum in* Wienna, *que olim pertinebat monasterio* Maurbacensi, *sitam in* Alta strata *cum quibusdam areis adiacentibus, ubi ad cultum divini ministerii augmentandum novum eisdem monasterium cum choro, ecclesia, domo, & aliis officinis, eis necessariis, fundandum & erigendum permisimus, per ipsos tenendum, inhabitandum, & perpetuo possidendum: ita quod derelicto inferiori ipsorum monasterio extra* Werder-tor, *quod prius inhabitabant, antedictum novum monasterium ex nostra & predictorum fratrum nostrorum parte, tredecim sacerdotes continue inhabitent, vel etiam plures, si eleemosynis Christi fidelium commode sustentari queant; ad quod ipsis consensum voluntarium impertimur. Volumus preterea, auctoritate regia nichilominus perhenniter statuendo, ut idem novum monasterium unacum fratribus & personis illud ad laudem & honorem DEI inhabitantibus, omnibus libertatibus & honoribus gaudeat, & fruatur, quibus talia monasteria a Romanorum Regibus ac aliis Principibus fundata, perfrui dinoscuntur; quodque idem monasterium cum personis prenotatis sub nostra & predictorum fratrum ac successorum nostrorum* protectione speciali *permaneat, ne ullis adversitatibus, quibus divinum obsequium prepediri valeat, perturbentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre donationis & fundationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire, sicut omnipotentis*

DEI

DEI gravem ultionem & noſtre Majeſtatis leſionem voluerit evitare. In cujus rei teſtimonium & perpetuam firmitatem ſigillum noſtrum regale unacum ſigillis predictorum fratrum noſtrorum (1) *duximus preſentibus* 1
appendendum. Et nos ALBERTUS & OTTO *Dei gratia Duces Auſtrie & Styrie prenotati recognoſcimus omnia & ſingula premiſſa, per predictum Dominum & fratrem noſtrum Dominum* FRIDERICUM *Romanorum Regem, & per nos conſenſu unanimi rite & concorditer eſſe facta. In cujus evidentiam etiam noſtra ſigilla decrevimus preſentibus appendenda. Datum* Wienne *Id. Marcii anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo; Regni vero noſtri anno tertio decimo.*

(1) Ectypa ſigillorum FRIDERICI Rom. Regis habes *Diſſ. I. Tab. V. n. VI.* ALBERTI & OTTONIS ibidem *Tab. VI. n. I. & VI.* Illud quidem ALBERTI hic fractum & mutilum reperimus.

XXIII.

Litteræ protectionis a RUDOLPHO IV. Auſtriæ Duce, in gratiam Cleri Eccleſiæ *S. Stephani* Wiennæ promulgatæ, *Sabbato poſt diem S. Pancratii.*

1357. 13. Maji. *Ex tabulario Metropolit. Eccleſiæ ad S. Stephanum Wiennæ.*

WIr RUDOLF *von Gottes Gnaden Hertzog ze Öſterrich, ze Styr, und ze Kernden, Herre ze Krayn, uf der Marcb, und ze Portnow, Grafe ze Habſpurg, ze Pbyrt, ze Kyburg, ze Veringen, ze Lax, ze Fridberg, ze Wartſtain, ze Raprechtswil, ze Schelcblingen, ze Lentzburg, und uf dem Schwartzwalde, ze Clarus, ze Pilſtein, ze Pernſtein, ze Ragtz, ze Rechberg, und ze Nuwenburg uf dem In, Lantgraf in Elſazz, Marchgraf ze Purgow, ze Paden, und ze Droſendorff, Herre ze Fridburg in Öchtlant, ze Lutzern, ze Wolhuſen, ze Rotemburg, ze Switz, ze Underwalden, und ze Hinderlappen, ze Regenſperg, ze Tryberg, ze Hoben Gundolfingen, ze Ortenberg, ze Tatenriet, ze Roſenvels, ze Masmünſter, und ze Abelant, und Vicary in obern Peyrn, und mer.* (1) *Allen Chriſtan leuten ewiklich unſern grus, und diſe nachgeſchribne unſer ordnung ſelichlichen ze behalten. Wan menſchlich natur, an ettlichen leuten, auf leiplich wolluſt, ze weltlicher verlazzenbait, alſo vaſt genaigt iſt, daz dieſelben leut underſtunden, vergezſent dez inflizzes göttlicher vernunft, und chriſtenlichen geborſam, darumb zimt wol Fürſtliche wirdechait, die unſer herre, der almechtig Got, dartzu geordnet, und geſetzet hat, daz ſi ſolich unwizzentlich volch, mit leiplicher cheſtigung und mit weltlichem gewalt darzu nöte und bringe; daz dieſelben leut, nicht allain götliche werch, und chriſtanliche ſatzung, die vorin geſchechen ſint, halten; ſunder, daz ſi hinzu geweiſet werden, von der irrung, ir vichlichen unerchantnuzze, und chomen auf den weg der warbait, alſo, daz ſi begreifen die gnade göttlicher vernunft, und chriſtanlich geborſam, nach willen dez almechtigen Gottes, von dem aller menſchen ewichait geflotzſen iſt, der uns nach ſeiner pildung lieplich und gnedichlich geſchöphet hat. Nu wizzen alle leut, und beſunder die, den ez ze wizzen durft geſchicht, daz wir mit gutem willen, und gunſt dez bochgeporn furſten unſers hertzen lieben berren, und Vatters herrn Albrecht, Hertzogen, und herren der vorgenanten lande, nach guter vorbetrachtung, von beſundern gnaden, auz unſerm Fürſtlichen gewalt, mit aller der ordenung, beſchaidenhait, und chraft, worten und geberden, geiſtlicher und weltli-* 1

cher rechten, nach fryehait, recht und gewonhait unſer landez ze Oſterrich ſolich fryhait recht und gnade getan, und geben haben, recht und redlich tun, und geben auch mit dieſem prief für uns, und aller unſer nachkomen, und erben ewiglich, in Gottes namen der Chappellen unſer newn ſtift ze Wienn, *in unſerm turne, nebent* widmer-tor, *die wir in* aller heiligen *ere gepawen, und bewidemt haben; were daz jeman, die Chapplan und holden, die jetzunt zu derſelben Chappellen gehörent, und ouch, die hernach jemer darzu gehören werdent, wa die in allen unſern landen oder anderswa geſeſſen, und wie ſi genant ſint, oder werdent, angrife frevenlich, oder ſi anviele und vienge, oder beſchedigette, und irrete an iren leiben, an iren guttern, an den freyhaiten, rechten und gnaden, die wir in vormals geſchriben und geben haben, oder dhains anderen weges, ane recht, daz der, oder die, die ſolchen ubermut, und unrecht begant, leiden ſullen, ane gnade, ſolich putzze, als hienach geſchriben ſtet, daz ſoll man alſo merchen: iſt er ain Graf, oder ain Frye, ſo ſoll er vervallen ſein, und geben zu puze uns und unſern nachkomen, und erben an dem hertzogentum ze Oſterrich* zehen march goldes, *und dem obriſten Chapplan der egenanten Chappelle* fünf march goldes; *iſt er aber ain dienſtherre, oder ain dienſtmann, oder von ain ſchilt, ſo ſol er uns in dem namen als davor, geben* zehen march goldes, *und dem Chapplan* drey march goldes, *und waz darnach puriger, und ander leut, in allen unſeren Stetten, Merchten, und Landen, oder anderswa geſeſſen ſint, die ſullen dieſelben pezzerung tun, uns, in dem nammen als davor, mit* ſiben marchen goldes, *und dem Chappellan mit* zwain marchen goldes. *Und daruber ſol jederman, der in diſe ſculde vallet, er ſi Graf, Frye, dienſtherre, dienſtman, puriger, oder ander leute, wie ſi genant ſint, dem oder den, die ſi anvallent, und beſchedigent ane recht, als vor beſchaiden iſt, ablegen, und wider tun vollenchlich, und gentzlich allen den ſchaden, den ſi in danen getan habent, daruber ſei, noch werde nieman, als geturſtig, noch als ubermitig, der die vorgenant unſer geſazt allechlich, oder bei teilen widerrede, oder dhains weges ubervare; wan wer uns dieſelben unſer ordenung iemer verbrichet, der wizze nicht allein Gottes und aller heiligen zorn damitte verſchulden, an ſel und an leib, ſunder daz er auch darzu unſer Furſtlichen wirdechait alſo erzürnet, das er in unſer, und in aller unſer nachkomen und erben chünftigen Hertzogen ze Öſterrich ungnade und ſware veintſchaft hertichlichen vervalet. Mit Urchundt*

2 3 *ditz priefs,* (2) *der geben iſt ze* Wienn (3) *an Samſtag nach* Sant Pancracy *tag, da man zalt von Gottes gepurt tuſent dreuhundert funfzig jar, und darnach in dem ſibendem jare; unſerr gebürtlichen zeit in dem achtzehenden jare.*

(1) Diploma hoc jam typis editum reperi ap. Cl. STEYERERUM in Comment. ALBERTI II. *in addit. col. 259.* A nobis vero de ſingulari ejus titulo actum ſupra *Diſſ. IV. §. XXVII.*

(2) Huc ſpectat ſigillum cum quinque faciebus, ex una parte, & caſſide ex altera, cujus delineationem & deſcriptionem dedimus ſupra *Diſſ. I. §. XVI. Tab. VII. n. III. pag. 20.*

(3) Ex hisce RUDOLPHI litteris colliget lector, qualis *Viennæ* medio adhuc ſæculo quarto decimo viguerit idiotiſmus linguæ Germanicæ.

XXIV. Re-

XXIV.

Renovatio privilegiorum, ab ALBERTO Auſtriæ Duce, in gratiam Monialium *ad S. Nicolaum* Wiennæ facta. *Dat. Wienne in die S. Viti M.*

1357. 15. Junii. *Ex archivo Abbatiæ S. Crucis, ciſta 18. n. 26. lit. E.*

ALBERTUS *Dei gratia Dux Auſtrie, Stirie, & Karinthie, Dominus Carniole, Marchie, ac Portus Naonis, Comes de Habſpurch & de Kyburch, Lantgravius Alſacie, Dominusque Phirretarum, omnibus in perpetuum. Preſentato nobis ab honorabilibus & devotis in Chriſto . . Abbatiſſa, & Conventu monaſterii* Sancti Nicolai *extra muros Wienne* Ciſtercienſis Ordinis *quodam privilegio, a dive recordationis quondam Domino & germano noſtro Kariſſimo Domino* FRIDERICO *Romanorum Rege, ipſis & monaſterio eidem conceſſo, rogabamur inſtanter, ut de ſpeciali dignaremur gratia predictum innovare privilegium, tenoris & continencie ſubſcriptorum:* FRIDERICUS *Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus preſentes litteras inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Conſtitute in noſtre Majeſtatis preſentia honorabiles & religioſe perſone, Abbatiſſa & Conventus monaſterii* Sancti Nicolai *in Wienna extra muros* Ordinis Ciſtercienſis &c. (1) *Datum in Wienna Id. Aprilis anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexto decimo; Regni vero noſtri anno ſecundo. Nos igitur Dux* ALBERTUS *prefatus piis ac racionabilibus Abbatiſſe, Conventus quoque predictarum deſideriis eo favorabilius annuentes, quo majorem per hoc in oracionibus & bonis operibus earum participationis gratiam promeremur, privilegium ſupradictum, & ſingula, nec non omnia in eo contenta innovamus, gratificamus, & per heredes & ſucceſſores noſtros haberi volumus inconvulſa. Datum* Wienne *in die* Sancti Viti Martiris glorioſi *anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo.*

(1) Contextum chartæ habes ſupra *num. XXI. pag.* 225. una cum confirmatione Albertina de anno 1287. 13. Octob. *num. XVII. pag.* 219. Cæterum inſtrumenti hujus ſigillum expoſuimus. *Diſſ. I. §. XII. Tab. VI. ad num. II. pag.* 15.

XXV.

Pancharta RUDOLPHI IV. Archi-Ducis Auſtriæ, qua monaſterio *S. Crucis*, Auſtr. Inferior. privilegia a FRIDERICO II. Imp. RUDOLPHO I. Rom. Rege, & ALBERTO *Sapiente* Auſtriæ Duce, eidem conceſſa, confirmat ac roborat. *Dat. Wien. Kal. April. ætat. XXIII. Regiminis anno IV.*

1362. 1. Aprilis. *Ex autographo ejusdem archivi, ciſta 2. n.* 110.

RUDOLFUS QUARTUS *Dei gratia* ARCHI-DUX *Auſtrie, Styrie, & Karinthie, Dominus Carniole, Marchie, ac Portus Naonis, Comes de Habichsburch, Phirretis, & Kyburch, Marchio Borgovie, nec non Lantgravius Alſacie, omnibus in perpetuum. Si ad loca DEO dicata benigne dirigimus aciem mentis noſtre, & eorum commodis intendimus diligenter, non tantum eterne retribucionis merita, ſed & laudis preconia conſequimur temporalis. Univerſis igitur preſentibus & futuris volumus eſſe notum: nos privilegium honorabilibus & religioſis viris* CHOLOMANNO *Abbati & Conventui monaſterii* Sancte Crucis, *Ordinis Cyſtercienſis Pathavienſis Dyoceſis, a patre ac Domino noſtro Kariſſimo, bone recordacionis traditum, interſeruiſſe preſentibus, ac inno-*

vasse per omnia in hunc modum: Nos ALBERTUS *Dei gratia Dux Austrie, Styrie & Karinthie, Dominus Carniole, Marchie ac Portus Naonis, Comes in Habichsburch, & in Chiburch, nec non Lantgravius Alsacie, Dominusque Phirretarum, omnibus in perpetuum. Constitutus in nostra presencia, honorabilis & religiosus vir, devotus, noster dilectus frater* CHUNRADUS *Abbas monasterii* Sancte Crucis, *Ordinis Cystercienſis, Pathavienſis Dyocesis, pro se & suo Conventu, nobis humiliter supplicavit, quatenus privilegia quedam per dive recordacionis, Serenissimos Principes Dominum* RUDOLFUM *avum nostrum, & Dominum* ALBERTUM *genitorem nostrum, Romanorum Reges, progenitores nostros karissimos, concessa & approbata, etiam nos ipsis & suo monasterio approbare, innovare, & concedere de speciali gratia dignaremur. Quorum privilegiorum tenor unius talis:* RUDOLFUS *Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, omnibus in perpetuum. In excellenti specula regie dignitatis ordinacione divina feliciter constituti, oculos nostros longe lateque diffundimus, religiosarum personarum indempnitatibus precavendo; ut per lubrica hujus mundi naufragia transeuntes, ipsorum piis oracionibus eterna premia consequamur. Noverint igitur universi presentis etatis homines & future, quod veniens ad nostre Majestatis presenciam honorabilis vir* SYGEHARDUS *Abbas monasterii* Sancte Crucis *in Austria, Cystercienſis Ordinis, Pathavienſis Dyocesis, nobis quoddam privilegium, sub bulla aurea Incliti quondam Domini* FRIDERICI *Romanorum Imperatoris Augusti, Jerusalem & Sicilie Regis, presentavit, humiliter supplicando, ut idem privilegium sibi & suo monasterio in perpetuum confirmare, & innovare de benignitate Regia dignaremur; cujus privilegii tenor talis est: In nomine sancte & individue Trinitatis.* FRIDERICUS *Secundus Divina favente Clemencia Rom. Imperator semper Augustus, Jerusalem & Sicilie Rex. Imperialis excellencia tunc precipue sui nominis tytulos ampliat & extollit, cum divine pietatis intuitu, per quem preest Principibus orbis terre, personas religiosas, & loca venerabilia, pia mentis affeccione protegit ac tuetur, & eorum justas favorabiliter peticiones admittit. Eapropter noverit presens etas & futura posteritas,*

1 *quod ad supplicacionem fratris* EGLOLFI *venerabilis Abbatis* (1) *monasterii* Sancte Crucis, *in Austria, Cystercienſis Ordinis, fidelis nostri, Abbatem & ipsum Conventum monasterii & omnia bona sua, que in presenti juste tenent & possident, & que in antea justo tytulo poterunt obtinere, sub nostra & Imperii proteccione recipimus speciali; mandantes, ut quecunque jura, quecunque exempciones & libertates a felicibus Imperatoribus, predecessoribus nostris, vel ab aliis Imperii Principibus racionabiliter eidem monasterio sunt collata, vel juste de cetero conferentur, rata sibi omni tempore integraque serventur. Et sicut Ordo Cystercienſis ab exordio sue institucionis, nullis umquam fuit obnoxius advocatis; ita predictum monasterium cum omnibus possessionibus ejus, ab omni advocatorum racione, atque exaccione sit liberum tam communi Ordinis libertate, quam presenti nostra concessione exemptum. Paci insuper & immunitati ipsius de Imperiali Clemencia providentes, inhibemus omnino, ne quisquam dicti monasterii, aut ullius predii sui advocaciam in feodo, a quocunque habeat, vel habere ullo nomine aut jure valeat, nec donacionis alicujus predii racione, seu commisse aut expetite defensionis occasione, vel qui a progenitoribus hereditaria successione nomen & jus advocati in*

eos,

eos, aut bona eorum sibi quispiam vindicet, vel assumat. Sed quodcunque predium eidem monasterio est hactenus, vel amodo fuit in elemosinam datum, aut justis modis aliis acquisitum, Imperiali tuicioni eo ipso subjaceat; quia . . . (2) *monasterii esse cepit. Verum ne plerumque nobis* 2
absentibus aliquid juri & utilitatibus dicti monasterii valeat exinde deperire; defensorem eis, ipsum dumtaxat, quem Abbas & Conventus predicti ad hec elegerint, deputamus, & habere concedimus; cui in eorum defensione in contractibus, in causis civilibus & in aliis civilium negociorum transactionibus, nostre vicis execucionem non in feodo habendam, non perpetuo obtinendam, neque heredibus relinquendam; sed salva dicti monasterii libertate committimus, ita, ut liberum eis esse debeat, recusare eum, & alterius se defensioni & sua committere, si sub nomine defensoris se ipsis exhibuerit offensorem, si immunitatis eorum privilegium ullo vexacionum ac exaccionum genere infringere, aut evacuare voluerit. Volumus etiam nostre potestatis executores, nostre sectatores pietatis habere; precipientes, ut qui nostra jussione vel eorum peticione, seu quacunque occasione, ipsos & eorum jura defendunt, liberaliter, sincere, & pro sola DEI retribucione defendant, ita ut neque hanna, neque peticiones, quas Steuras *vocant, neque pernoctaciones, neque operarios, nec ulla omnino servicia eis invitis, vel a colonis eorum, sub obtentu defensionis exigant, aut extorqueant; colloquia in locis suis placita cum colonis ipsorum nulla prorsus habeant: de placitis eorum, qui cum colonis suis habere voluerint, nisi ab eis rogati, se nullatenus intromittant, & indulta sibi exempcionum privilegia nulla vi vel fraude convellant. De habundanciori quoque gracia nostra eis concedimus, ut propria victualia domorum suarum, videlicet annonam, caseos, pisces, sales, oleum, vinum, & pecudes, ad usus suos tantum, tam in aquis, quam in terris, sine theloneis, vectigalibus, ac aliis exaccionibus libere ducere permittantur; prout ex concessione quondam Ducum Austrie, qui prefatum monasterium fundaverunt, libertatem ipsam soliti sint habere. Statuimus igitur & Imperiali sancimus edicto, ut nulla persona ecclesiastica vel secularis, alta vel humilis, predictum Abbatem, Conventum, eorumque successores, monasterium & bona sua, contra presentis privilegii nostri seriem super aliquibus ausu temerario molestare presumat; quod qui facere presumpserit, preter indignacionem nostri culminis, quam incurret,* centum libras auri puri *componat, medietatem fisco nostro, reliqua dicto monasterio persolvenda. Ad hujus itaque nostre proteccionis & concessionis memoriam & robur inposterum perpetuo valiturum, presens privilegium fieri, &* bulla aurea *tipario nostre majestatis inpressa, jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt: Patriarcha Aquileyensis,* S. *Magunciensis, - - Salzburgensis.* T. *Trevirensis Archi-Episcopi.* S. *Ratisponensis, Imperialis Aule Cancellarius, &* G. *Bambergensis Episcopus.* O. *Dux Bavarie,* H. *Lantgravius Turingie,* B. *Dux Karinthie, frater* Hermannus *venerabilis Magister Domus Sancte Marie Theutunice in Jherusalem,* C. *Comes* de Hardekke, L. *Comes* de Playn, Gothfridus de Hohenloch, *Burchgravius de Nuremberch, & alii quam plures. Signum* (3) *Domini* FRIDERICI *Secundi Dei* 3
gracia invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Jerusalem & Sicilie Regis. Acta sunt hec anno Dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo sexto, mense Januarii, decime indiccionis, imperante Domino FRIDERICO *Secundo, Dei gracia invictissimo Romanorum*

Im-

Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem & Sicilie Rege, Imperii ejus anno ſeptimo decimo; Regni Jeruſalem undecimo; Regni vero Sicilie triceſimo octavo. Datum Wienne, *anno Domini, menſe & indiccione preſcriptis.*



Nos autem predicti Abbatis devotis ſupplicacionibus favorabiliter inclinati, Illuſtris ALBERTI *Auſtrie & Stirie Ducis, Principis & filii noſtri predilecti concurrente favore, predictum privilegium in omnibus & ſingulis ſuis articulis expreſſis ſuperius, de benignitate Regia quam libenter & liberaliter religioſis perſonis, Chriſto jugiter militantibus, in perpetuum innovamus, confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre innovacionis & confirmacionis infringere, vel ei in aliquo temerarie contraire. Quod qui fecerit, gravem noſtre Majeſtatis offenſam, ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium preſentem paginam conſcribi fecimus, & ſigillo noſtre Majeſtatis Regie roborari. Hujus rei teſtes ſunt, venerabilis* Rudolfus *Archi-Epiſcopus Salzburgenſis,* Henricus *Baſilienſis,* Hartmannus *Auguſtenſis,* Wernhardus *Patbavienſis. Ratisponenſis, Euſtetenſis, Gorcenſis, Chomenſis, Chimenſis &c. Laventinus Epiſcopi; nec non Illuſtres:* Ludowicus *Comes Palatinus Reni &* H. *frater ſuus, Duces Bavarie, &* ALBERTUS *&* RUDOLFUS *Auſtrie & Stirie Duces.* Fridericus *Lantgravius Turingie, & Nobiles* Meynhardus *Comes Tyrolis, & alii quam plures fide digni. Signum* (4) *Sereniſſimi Domini* RUDOLFI *Rom. Regis invictiſſimi. Datum* Auguſte *nono Kalendas Februarii, Indiccione XIIII. anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto; Regni vero noſtri anno XIII.*

4

Tenor vero ſecundi privilegii talis eſt : ALBERTUS *Dei gracia Dux Auſtrie & Stirie, Dominus Carniole, Marchie, ac Portus Naonis, univerſis tam preſentibus quam futuris, ad quos preſens ſcriptum pervenerit, in perpetuum. Cum Illuſtrium Principum inclite recordacionis anteceſſorum noſtrorum geſta pia mente revolvimus, & proſpicimus oculis conſideracionis interne, &c.* (5) *Dat. Wienne anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, nono Kal. Jan. Nos itaque progenitorum noſtrorum, Romanorum Regum, ac aliorum Principum Illuſtrium veſtigiis inherentes, qui monaſterium* Sancte Crucis *predictum auxerunt honoribus, & favoribus ampliarunt, devocionem quoque ſinceram, qua dicti dilecti noſtri Abbas & Conventus circa divini cultus obſequia ferventer invigilant, ſince-*

5

